








TEMPE HELVETICA,

Dissertationes atque Observationes

THEOLOGICAS, PHILOLOGICAS, CRITICAS, HISTORICAS, EXHIBENS.

Tomi Quarti

Sectio Prima.



TIGURI,
EX OFFICINA HEIDEGGERIANA.
M DCC XXXIX.

SYNOPSIS
Sectionis Decimæ Tertiæ.

NB. *Nova Literaria Helvetica* quæ spatium hac vice non admisit, sequens b. c. D. exhibebit Sectio.

Summe Venerando, Amplissimo atque Celeberrimo,

JACOBO ZIMMERMANNO,

S. S. Theologiæ in Academia Tigurina Professori Clarissimo,

VIRO,

Sincera in Deum Pietate,

Integro in Proximum Amore & Affectu, multarum Disciplinarum, quæ Magnos Viros ornant, solida Cognitione,

Ingenii elegantissimi, nec non Judicii acerrimi Laude,

vere Inclito,

Humanitatis, Simplicitatis atque Candoris, Cultori & Sectatori illustrissimo,

ΤΗΣ ΑΛΗΘΕΙΑΣ ΤΗΣ ΚΑΤ᾽ ΕΥΣΕΒΕΙΑΝ

Promotori & Vindici indefesso;



Decimam Tertiam

Hanc

Collectionis Philologicæ Sectionem

L. M. D. O. C. Q.

& sinceri, nec non obſervantiſſimi animi Teſtimonium publicum ponit,

Simulque Valetudinem Stabilem,

Lares nunquam non lætos,

Proſperrimos moliminum variorum in Emolumentum Eccleſiæ & Reipublicæ Literariæ Succeſſus,

Optat & ardentiſſimis votis apprecatur

Amicus ad Cineres integerrimus

JOH. GEORGIUS ALTMANNUS.

Acad. Bern. h. t. Rector.

****

PRÆFATIO.

Candido Lectori
S. P. D.
JO. GEORGIUS ALTMANNUS.

ITa pauca sunt, quæ præfationis loco in fronte hujus Tomi quarti monenda videntur, ut hoc Volumen prævia allocutione vix opus habere videatur. Ad finem, bono cum Deo, perduximus tres priores tomos; ad quartum nunc Orbi Literato exponendum deproperamus. Cum enim hæc qualiscunque collectio plures indies inveniat & Fautores & Lectores, longe abest, ut nos instituti pœniteat; Strenue ideo eandem illam calcabimus viam, quam ab initio fueramus ingressi. Operam vero omnem in id collocabimus, ut tanto, quanto fieri potest, delectu tales exhibeamus vel Observationes vel Dissertationes, quæ majorem saltem lectorum partem delectent. Non omnes disquisitiones, quas hactenus dedimus, ejusdem esse ingenii & ponderis, facile largimur. Cum autem tanta sit Lectorum diversitas, quanta est ingenii & eruditionis Doctissimorum Virorum differentia, qui ad hanc collectionem adornandam suas contulerunt symbolas, tam diversum etiam futurum esse de his Miscellaneis judicium, per se quivis facile colliget. Exhibuimus ab initio hujus Sectionis prolixiorem explanationem sententiæ nostræ, jam ante quosdam annos in Bibliotheca Bremensi paucissimis verbis propositæ, de Gallicinio à Petro in ædibus Pontificis audito, additis

vindiciis contra objectiones, a tribus Viris eruditissimis, Christiano Biel, Johanne Doitsma, *atque* Dan. Godofr. Wernero. *in hanc rem factis. Non quidem ea mente hoc factum à nobis, ut gallum gallinaceum mordicus ex historia Evangelica velimus eliminare, aut honorem animalis pugnacissimi ita lædere & sufflaminare, ut dehinc ejus cantus inhibeatur; Sed ideo tantum, ut constet, dari viam, per quam objectionibus Judæorum, aliorumque, qui S. Scripturæ auctoritatem quocunque prætextu deprimunt & conculcant, obviam ire possimus. Nolo contendere cum iis, qui Gallinacei sunt defensores; Credat per me qui velit, fuiße Gallinaceum, aut Indicum, aut Anglum, qui reliquos cantu anteire dicitur, aut Africanum, qui robore & fortitudine reliquos antecellere fertur, non moror, hoc quilibet contra me si velit statuet, & quidem salva amicitia, dummodo mihi concedatur, non illaudabile nostrum fuisse conamen, viam detegere, per quam adversariis os possit obthurari. Hoc autem in hac dissertatione aliquatenus factum esse, mihi saltem persuadeo. Non addimus jam plura. Lectorem oramus, ut hos nostros conatus, aliosque labores, propensa voluntate velit accipere & dijudicare. Vale Benevole Lector, & vive diu sospes & beatus. Scriptum Bernæ Helvetiorum, Prid. Nonar. Januarii, Anno à Virginis partu CIƆDCCXXXIX.*

I.



I.

JO. GEO. ALTMANNI.

Ling. Græc. & Ethic. in Academia Bernensi Prof. P. O.

DISSERTATIO

De

BUCCINATORE

VEL CORNICINE STATIONARIO

Hierosolymis à Petro in ædibus Pontificis audito.

Ad explicanda loca

Matth. XXVI: 74. Marc XVI: 68. 72. Luc. XXII: 60. Joh. XVIII: 27.

Conspectus Dissertationis.

§. I. Occasio & historia hujus controversiæ enarratur. §. II. Scopus & instituti ratio brevi-

bus exponitur. §. III. Gallicinium in ædibus Pontificis Caiaphæ fuiſſe auditum, demonſtratur. §. IV. Lex Judæorum de non alendis in urbe ſancta Gallinaceis producitur. §. V. Reſponſiones Cl. *Relandi* ad conſtitutiones Judæorum breviter exhibentur. §. VI. Alia Virorum Doctorum hunc nodum ſolvendi via profertur, quæ autem rejicitur. §. VII. Nova ſententia profertur, atque per auditum Petro Gallicinium fuiſſe ſonum è buccina vel cornu emiſſum, aſſeritur. §. VIII. Varia teſtimonia ex Græcis auctoribus producuntur, ex quibus conſtat, quod αλεκτωρ Græcis non tantum Gallum Gallinaceum, ſed etiam Buccinatorem & Cornicinem ſignificet. Ad propoſitas à Cl. *Doitſma* difficultates & objectiones reſpondetur. Locus Athenæi explanatur. De Idæis Gallis prolixius diſſeritur. §. IX. Locus Ariſtophanis examinatur, atque contra objectiones factas, ex antiquitate Græca demonſtratur, quod apud Comicum præco publicus, non autem gallinaceus poſſit intelligi. §. X. Novis præſidiis noſtra ſententia munitur, atque ex variis Luciani teſtimoniis probatur, quod ἀλεκτωρ Græcis ſæpius ſit Vir, non autem Gallinaceus. Quare Scriptores Evangelici hac voce potius, quam alia uſi fuerint, docetur. §. XI. Mos loquendi Græcorum non eſt, Gallinaceo φωνην tribuere, quemadmodum à Scriptoribus Evangelicis factum; φωνη tubæ & voci humanæ tantum tribuitur, quod latius oſtenditur. §. XII. Quam-

Quamnam vel vocem humanam vel ſonum tubæ jam Petrus exaudire potuerit, inveſtigatur. Duplex via aperitur. Per hanc φωνὴν intelligere poſſemus vocem Præconis Romani horas more Romano annuntiantis. Hic ritus Romanorum exponitur. §. XIII. Magis autem eſt veriſimile, Petrum audiviſſe Cornicinem Romanum. Mos Romanorum, vigilias per buccinatorem & cornicinem committendi & diſtinguendi, ex antiquitate exhibetur & firmatur. Buccinatorem & Cornicinem in aula Caiaphæ præſentem fuiſſe, certis argumentis docetur. Officium Buccinatorum & Cornicinum deſcribitur. §. XIV. De tempore, quo Petrus Cornicinem Romanum audivit, diſputatur. Trium abnegationum tempus determinatur, primaque refertur ad tempus mediam noctem proxime antecedens. Primum abnegationis ſignum Petro datum à Cornicine, milites a ſecunda vigilia reducente. Secundæ & tertiæ abnegationis tempus refertur inter ſecundam & tertiam vigiliam. Secundum Gallicinium à Petro auditum, ſive repetitum ſignum monitorium abnegationis, refertur ad cantum Cornicinis, milites à tertia vigilia revocantis. Ad objectiones *Werneri* reſpondetur. Anonymi accuſationes & objectiones convelluntur, atque contra eundem probatur, quod Buccinatorum & Cornicinum uſus idem fuerit in caſtris & urbibus. Milites ſtationarios in urbe ſancta plurimos fuiſſe, contra eundem demonſtratur. §. XV. Nova accedit

 ratio,

ratio, quare magis sit probabile, Petrum audivisse Cornicinem, quam autem Gallinaceum, exinde petita, quia cantus Galli a gentilibus pro malo & sinistro admodum augurio fuit habitus, cujus quædam exempla afferuntur. §. XVI. Contra Cl. *Evvaldum* probatur, quod Gallinaceus non possit esse emblema doctorum & ministrorum Ecclesiæ. Dissertationi finis imponitur.

§. I.

EX longo equidem tempore apud me constitueram, sententiam meam de cantu Galli Hierosolymis in ædibus Pontificis à Petro exaudito, à propositis objectionibus liberare, mentemque meam circa hanc controversiam ita explanare, ut lectori constet, hanc meam opinionem sufficienti ratione ita esse munitam, ut dehinc paucis difficultatibus locus relinquatur. Ut autem candido lectori constet, quæ mea in his mens fuerit, quis scopus & instituti ratio, notandum ante omnia, quæ me ad novam hanc sententiam proferendam pellexerint. Controversiæ de cantu galli gallinacei in ædibus Pontificis non admittendo, primam ansam fecit Judæus Amstelodamensis, vir doctus, rituum ac traditionum Judaicarum rigidissimus observator, Religionis autem nostræ infensissimus hostis. Hic pro suo in sanctissimam doctrinam nostram livore, productam jam olim legem Judaicam de Gallinaceis Hierosolymis non alendis non tantum recoxit, sed etiam variis fabulam anilem redolentibus figmentis ita exornavit, ut inde plurimis historiam Novi Fœderis suspectam redderet.

Hoc

Hoc vero potiſſimum pugnabat argumento, quod Chriſtiani equidem ad explanandam Sacram Scripturam V. & N. Teſtamenti ſcriptis Talmudicis & Rabbinicis uterentur, quoties ad rem noſtram aut explanandam aut firmandam conducerent, in aliis autem rebus Chriſtianos eandem illam auctoritatem Judaicam deprimerent & abjicerent; noſtrum ergo eſſe, agnitam nobis illam veterum Judæorum auctoritatem aut ubique ſpernere, aut vero debitam in rebus Ritus Judaicos concernentibus fidem adhibere. Ut ergo Chriſtianorum hac in re candorem ſuſpectum redderet, citabat jam memoratam legem, quam ejusdem ponderis cum reliquis clamabat, quarum præſidio ſæpius contra Judæos ipſos uteremur. Hæc etiam moverunt Virum eruditiſſimum *Hadrianum Relandum*, ut in publica Oratione, *de cantu Galli Hieroſolymis audito*, Judæorum ſententiam excuteret, & ad motas difficultates reſponderet, quæ etiam prodiit Trajecti ad Rhenum 1718. Quam, tum propter ejus rarentiam, tum etiam propter thematis noſtri affinitatem, in hac Sectione recudendam eſſe exiſtimavimus. Carebat autem Viri longe Celeberrimi oratio apud Judæos illo ſucceſſu, quem de ſua in hanc rem meditatione & reſolutione conceperat. Nullatenus enim ad difficultates ita reſponſum fuiſſe Judæi exiſtimabant, ut Scriptoribus Evangelicis ſua inde redderetur auctoritas. Movit me hic impius hoſtium Religionis noſtræ adverſus Sanctiſſimæ Hiſtoriæ Paſſionis Salvatoris noſtri livor & conatus, ut ad novam neminique, quantum mihi conſtat, tritam viam, ad hæc adverſariorum tela retundenda, inveniendam animum adverterim; ideoque transmiſi ad Cl. Haſæum brevem obſervationem, in qua mentem meam de hoc ſcrupulo ſolvendo candide declarabam, quam etiam Vir doctiſſimus, pro ſua in me benevolentia & humanitate *Bibliothecæ Bremenſi*, *Claſſ. V. p. 451.* inſeruit.

ruit. Vix autem lucem viderat hæc mea observatio, quæ typus tantum erat majoris dissertationis, ut ipse monui sub ejus finem p. 456. cum integrum fere agmen Criticorum hanc meam novam assertionem impugnaret. Primus erat *Joannes Christianus Biel*, cujus indignationem in me suscitaveram, cum ejus assertionem de Lydia Thyatirensi modesto examini in *Bibl. Brem. Class. V. p. 670.* subjecissem. Nec certe indigne ferebam, virum doctum suas difficultates proposuisse, quas etiam Cl. Hasæus publici juris fecit, *Bibl. Brem. Class. VI. p. 1041.* Secundus erat anonymus, mihi non incognitus, quique tum temporis in Belgio versabatur. Fateor, quod ab hoc homine tam acerbam crisin, cum eum usque ad illud tempus mihi amicissimum crederem, non expectaverim; Latuerat me per aliquod tempus, quinam esset auctor Scripti contra me editi, quod, ut beate defunctus Hasæus ad me scripsit, acerbissimis verbis scatebat. Cum autem nescio quo fato cognovissem, amicum esse, qui acerbam hanc crisin in me exercuisset, nolebam illico aures dare, hinc ipsum per literas rogabam, an vera essent, quæ fama ad me transtulisset; Fatebatur illico & sine ambage, quod omnino hanc contra me dissertationem exarasset, nec temere à se hanc compositam fuisse disquisitionem, cum à Viris doctis fuisset rogatus, ut examini subjiceret meam observationem, quam ex aliis male descriptam, tot tantisque erroribus conspurcassem, ut exinde meam in politioribus literis ruditatem & ignorantiam merito omnibus ridendam exposuerit. Hanc etiam ad Hasæum missam, Vir optimus, dicteriis & conviciis prius purgatam, *Bibliothecæ* suæ inseruit, *Class. VI. p. 1070.* Dolebam tum temporis conterraneum, cum quo, quantum memini, per vitam ne umbram quidem rixæ aut altercationis exercueram, cum quo familiarissime vixeram, quem in numero hominum amicissimorum reposueram, tam atroci stilo me voluisse

con-

confodere. Minime autem me movit hominis atra bile tumentis insultus, præsertim vero, cum viderem, omnem ejus contra me disceptationem talem esse, ut præter nocendi & cavillandi desiderium in illa nihil inveniatur, de quo autem alios judicare velim. Minime vero ex aliquo tempore mirabar, hunc hominem omnes lacertos contra me movisse, cum viderem illum tanto rixandi furore corripi, ut etiam Viros doctos, ætate, fama, pietate & eruditione graves & illustres, rabido dente lacerare non erubuerit. Aliam vero contra me scribendi rationem habuit tertius, qui priscam illam contra me sententiam defendit *Daniel Godofr. Wernerus, Eisenbergensis*, in dissertatione gemina Jenæ edita 1728. Cui nomen fuit, *Gallus Gallinaceus, vigil, Petri monitor, ex veterum auctoritate pristinæ formæ restitutus.* Agmen tandem claudit Vir Cl. *Johannes Doitsma, in observationibus* contra meam assertionem allatis, & *Museo Bremensi* insertis, *Tom. I. p.* 377. Fateor, me cum delectatione legisse hujus viri docti, mihi alias plane incogniti, observationes, ab omni contentione certe alienas. Non enim id agit Vir humanissimus, ut veritatem deprimat, aut ut ubique contradicat, sed ut tales objectiones exhibeat, ex quarum solutione certior fieri posset. Atque certe vir eruditissimus eosdem illos scrupulos movit, quos & ego sæpissime apud me volvebam, postquam primam illam, nec sufficientibus testimoniis Græcorum suffultam meam dissertatiunculam inspicerem. Gratias etiam, quas debeo publicas, Viro & Eruditione & Candore Clarissimo hic publice persolvo, quod tam ingenue, ut Virum Literatum decet, ea carpere voluerit, quæ ipsi nondum firmo talo stare videbantur.

§. II.

Necesse videbatur, historiam aliquam controversiæ nostræ præmitti, ex qua pateat candido lectori,

scopum nostrum in asserenda nova explicatione nullum alium fuisse, quam demonstrare, viam nobis relictam esse, per quam os dicacis appellæ possit obturari, nec ego certe aliâs unquam ad novam hanc delapsus fuissem explicandi rationem. Pace ergo mea dicat, quicunque velit, Petrum audivisse Gallum Gallinaceum, aut Indicum, non moror, dummodo mihi è contra concedatur, non illaudabile esse institutum, veritatem quocunque modo vindicare; indeque ego certe nunquam concipiebam, quænam esset valida ratio, quare Rambachius & alii tantopere vel contra Relandi orationem vel etiam contra nostram in hanc rem inventam explicationem tanta concitatione declamaverint. Condonandum autem illud præsertim Rambachio, Viro certe pio, probo & docto, sed in politioribus literis ad ejusmodi controversias criticas notandas non satis instituto. Ne autem hæc dissertatio lectori molesta accidat vel fastidiosa, rem totam ea qua fieri poterit brevitate ita exponere constitui, ut simul ad objectiones propositas in ipso hujus exercitationis decursu respondeam. Cum autem anonymi supra memorati tales sint, ut, unica excepta, nec nervum nec pondus in se habeant, illum cum suis difficultatibus valere jubemus. Inepte fecerat amicus noster se immiscendo rebus ad politiores literas & studia critica spectantibus, de quibus per vitam pauca exaudiverat.

§. III.

Ut jam ad rem ipsam accedamus, dicendum est, Petri abnegationem factam esse in aula Pontificis Caiaphæ; Repugnat equidem *Baronius in Annalib. ad ann. XXXIV. num. 71.* Illum autem sine ulla valida ratione novam hanc suscitasse opinionem, nos docet unanimis Evangelistarum consensus. Cum autem hæc liquida sint & aperta, supervacaneum haud dubie foret, si in asserenda hac veritate prolixiores essemus,

mus, præſertim autem cum hunc Baronii errorem dudum ſat ſuperque confutaverit *Caſaubonus, Exercit. Anti-Baron, XVI. §. 67.* Fatetur ipſe Baronius, quod tres priores Evangeliſtæ paſſionem Chriſti, antequam ad Pilatum deductus eſſet, non in ædibus Hannæ, ſed in aula Caiaphæ transactam narrent; hinc ſolo militat teſtimonio Evangeliſtæ Johannis. Quod autem licet miſere à Baronio contortum, nullam tamen argumenti ſpeciem inducere potuit. Eſt ideo res certa & extra omnem dubitationem poſita, Petrum, cum ingreſſus eſſet atrium Pontificis Caiaphæ, audiviſſe Gallum cantantem Matth. 26 : 57. collat. cum verſu 69. &c.

§. IV.

Cum jam certum ſit, Petrum eo tempore, quo audiverat vocem Galli, in aula Caiaphæ fuiſſe conſtitutum, prima quæſtio occurrit: Annon pugnet contra conſtitutiones Judæorum, aſſerere, Petrum vocem Galli Gallinacei audire in illo loco potuiſſe? Hoc equidem verum eſt, quod ſi attendere velimus ad conſtitutiones & leges Judæorum, quas ipſe recenſet Vir in rebus, leges Judaicas & ritus Hebræorum concernentibus, eruditiſſimus, *Joh. Ligthfootus in Hor. Hebr. ad Loc. Matth, 26: 34. op:r. Tom. 2. p. 382. Mireris*, inquit, *Gallinaceum inveniri Hi:roſolymis, cum canone prohibitum ſit, Gallos illic alere, Bava Kama. cap. 7. balac. ult.* אין מגדלין תרנגולין בירושלם מפני קדשים *Non alunt Gallos Hieroſolymis, propter Sacra, nec ſacerdotes eos alunt per totam terram Iſraeliticam; Rationem reddit gloſſa. Etiam Iſraelitis prohibitum eſt, Gallos alere Hieroſolymis propter Sacra, nam Iſraelitæ illic comederunt carnem ſacrificiorum pacificorum atque eucbariſticorum. Jam vero mos eſt Gallis Gallinaceis, vertere ſtercoraria, atque inde forſan reducere poſſent carnem reptilium, unde pollui poſſent Sacra iſta comedenda.* Similia plane affert eruditiſſ. *Joh. Henr. Otho in Lexico Rabbin. Philolog. p. 224.* Quæ ideo

nolumus repetere. Inſtar omnium autem eſſe poteſt *Hadr. Relandus*, qui in ſua ad hanc rem oratione decem prærogativas urbis Hieroſolymorum ex placitis Hebræorum recenſet, quibus præ reliquis gaudebat urbibus, ex quibus nonam ita deſcribit: *Nonum autem urbis Sanctæ præ aliis teſtimonium in ea re conſiſtebat, quæ nunc in manibus eſt, nullos Hieroſolymis Gallos debere nutriri.* Quæritur jam, quanti ponderis & auctoritatis hæc lex fuerit. Quidam ad illam plane nolunt attendere, alii hanc legem equidem ſcriptam fuiſſe fatentur, ſed rigidam ejus obſervationem tempore Chriſti obtinuiſſe negant. Relandus autem in oratione ſua docet, fidem atque auctoritatem huic legi derogandam non eſſe, cum juſtum atque æquum ſit, ut Judæis, cum de rebus ſuis narrant, eandem ſaltem fidem habeamus, quam Græcis & Romanis Scriptoribus de rebus domeſticis tribuimus. Juſte, quantum video, & ſapienter Vir Clariſſimus judicavit; cum enim Scripta Judæorum ad uſum & commodum noſtrum adhibeamus, quotiescunque lucem aliquam exinde vel emolumentum capere datur, injuſtum foret illorum auctoritatem abjicere, quoties nobis ſcrupulum aliquem objiciunt; cumque unicuique in ſua arte credendum, Judæis haud dubie fides habenda in rebus ritualia eorum concernentibus, ex quorum numero haud dubie & illud eſt, quod de Gallinaceis afferunt.

§. V.

Lege autem hac Judæorum admiſſa, Vir Clariſſimus exiſtimavit, alias poſſe inveniri vias, per quas oſtendi poſſit, quomodo Petrus ſalva lege Judæorum Gallum in ædibus Pontificis cantantem exaudiverit, ideoque diverſos modos expoſuit, quibus vel poſitis vel conceſſis Petrus Gallum exaudire potuiſſet. Fuiſſet autem illud facile, ſi ponatur, domum Caiaphæ non procul a muris urbis fuiſſe remotam, ita ut

ut Apostolus gallum extra mœnia cantantem in urbe audiverit, inque hanc rem profert exempla probantia, quod galli Italici in Sicilia fuerint auditi. Statuit porro Relandus, quod gallus ille forsan à Romanis, Hierosolymis habitantibus, fuerit enutritus. Adfert porro, quod equidem prohibitum fuerit Judæis, gallos alere per spatium longioris temporis, non vero per noctem vel paucos dies. Res tandem confecta non videtur Viro docto, an hæc lex Judæorum tantæ sit antiquitatis, ut jam tempore Salvatoris in terra viventis obtinuerit. Has jam doctissimi Viri solutiones si accuratius inspiciamus, dicendum erit, nullam earum esse, quæ non totum scrupulum solvere posset, si sufficienter probetur. Cum autem sint conjecturæ & verisimilitudines, ad quarum veritatem probandam omni testimoniorum autoritate caremus, fatendum erit, ad propositas Judæorum difficultates non solidam hactenus allatam fuisse responsionem.

§. VI.

Fuere & alii viri docti, qui ut intactam servarent legem Judæorum, per cantum Galli intelligunt קרא הגבר *clamorem præfecti templi*, qui singulis diebus aurora jam illucescente januam Beth Moked pulsabat, ut sacerdotes ad ministerium templi suscitaret. Hoc equidem verum est, quod præfectus ad portas atrii aperiendas constitutus, בן גבר *filius Galli*, a Judæis fuerit vocatus, inde phrasis sueta Judæorum קרא הגבר per *clamorem viri* explicatur. Verum hanc sententiam tria confundunt, I. situs domus Caiaphæ, qui ignoratur, ita ut determinari non posset, Petrum hunc præconem audivisse, licet concederemus, ædes pontificis proxime clivo templi fuisse adjectas. II. Tempus quo Petrus Gallicinium audivit, quod nondum ad auroram accesserat. III. Repetitus cantus galli, nusquam enim probatur, quod ille גבר bis clamaverit.

§. VII.

§. VII.

Cum jam in his descriptis sententiis variæ obveniant difficultates, videbimus, an non demonstrari possit, per cantum Galli melius & commodius intelligi cornicinem, quem Petrus exaudierit, cum Buccinator aut Cornicen stationarius cornu vel tubæ clangore vigilias militibus ad hoc constitutis committeret. Nostra ergo sententia eo redit, ut probemus, Petrum hunc Buccinatorem stationarium audivisse, cum ex luculentis testimoniis possit probari, Græcorum ἀλέκτωρ & ἀλεκτρυων æque cornicinem, ac autem Gallinaceum significare. Talem autem in ædibus Caiaphæ buccinatorem vigilias committentem fuisse, ex eo concludimus, quia Christus captus fuerat cum cohorte Romana, præsente Centurione, atque deductus primum per hos, ne tumultus suscitaretur, ad Hannam, & ab hoc ad Caiapham, Joh. 18: 12. 13. Cum ergo in aula Caiaphæ esset cohors Romana, una cum centurione, facile est colligere, etiam vigilias ibi more Romano fuisse cornu & buccina commissas. Hæc autem mox uberius probanda erunt. Notandum insuper & hoc, quod admissa nostra hac sententia duæ adhuc difficultates evanescant. Quis enim dixerit, quod apud alium Scriptorem Græcum, Gallo Gallinaceo singulariter sumto φωνη tribuatur. Altera autem hæc est, quod Petrus hunc Galli cantum ante mediam noctem finitam, qua galli ordinarie nondum cantare solent, audiverit.

§. VIII.

In hac jam probatione maximus rei cardo in eo vertitur, ut demonstrem, quod per vocem ἀλέκτωρ & ἀλεκτρυων, quod Græcis unum idemque est, æque Buccinatorem & cornicinem, quam autem Gallum Gallinaceum possimus intelligere. Hinc etiam doctissimus *Doitsma*, solam hanc contra nos difficultatem

tatem movit, existimans, quod à me primitus adducta loca probare nondum liquido possint, Græcos per ἀλεκτορα etiam buccinatorem significasse. Dabimus ergo illa jam antea producta, sed illis adjungemus alia, quæ haud dubie nullam difficultatem vel ambiguitatem post se relinquent. Primum locum produxeram ex *Athen. Deipnosoph. Lib. IV. p. m. 184.*

Ἰων δ' ἐν Φοινικι ἡ καινει ἀλεκτορα τον αὐλον καλει ἐν τετοις

Ἐπηδ' αὐλος ἀλεκτωρ, λυδιον ὑμνον Ἀχαιων.

Εν δε Φρερεοις τον ἀλεκτρυονα Ἰδαιον ειρηκε συριγγα δια τετων,

Προθει δε τοι συριγξ Ἰδαιος ἀλεκτωρ.

Quæ *Dalechampius* ita vertit:

Jon in Phœnice, sive Cœneo, tibiam Gallum sic vocat;
Canebat vero Gallus, nimirum tibia Lydia Achivorum laudes
Idem in custodibus sive præsidiariis:
Præcurrit vero fistula Idæus gallus.

Quis jam lecto hoc Athenæi testimonio diceret, illud non esse satis lucidum & apertum? sed aliter sentiunt Viri docti, qui contra me scripserunt. Athenæus diserte dicit, quod Jon, qui erat Poëta bibax, *tibiam gallum vocet*, ergo Græcis ἀλεκτωρ idem est quod tibia. Rationem reddit *Dalechampius in notis*, his verbis: *Tibia Gallus vocatur, quia dormientes cantu instar gallorum expergefaciat.* Clariss. *Doitsma* existimavit, magnum argumentorum meorum pondus mihi esse ereptum, si probasset, quod ἀλεκτωρ *tibiam*, non autem *buccinam* significet. Mihi autem perinde est, sive *buccinam* sive *tibiam*, sive *buccinatorem* sive *tibicinem* denotet. Dabo ergo Viro doctissimo, & quidem integra manu, quod in hoc loco ἀλεκτωρ tibiam aut cornu denotet. Jam habet quod vult; & quam apte ad rem meam, mox videbimus. Fatetur consimiliter Clariss.

Wer-

Wernerus, in suo *Gallo pristinæ formæ restituto*, quod disertis verbis Jon *tibiam* vocet ἀλεκτορα *pag. 60. §. 14. Inficias ire non possumus*, inquit, *hic tibiam* ἀλεκτορα *gallum vocari*. Vident haud dubie viri docti, quam liberalis sim. Sed ulterius progrediendum. Quæritur jam, an non in altero testimonio ex *Athenæo*, quem ipse ex Φερεοις sive custodibus Jonis citat, Ἰδαιος ἀλεκτωρ sit Vir vel sacerdos Idæus gallus? Fatetur ipse Cl. *Doitsma*, quod hæc verba

Προθει δε τοι συριγξ Ἰδαιος ἀλεκτωρ

ita sint vertenda. *Præibat autem fistula Idæa Gallus*. Jam autem videndum, quid Idæus Gallus, qui fistula præibat? Hoc ut planum fiat, dicendum, quod Idæa fuerit illud numen gentilium, quod alias etiam sub nomine Magnæ Matris Deum, item Cybeles, Telluris & Lunæ, cognitum erat apud priscos, ut hæc prolixe docet *Reinesius in Syntagm. Inscript. p. 73.* ut & *Vossius in Theol. Gentil. Lib. 2. cap. 52. &c.* Sacerdotes hujus numinis dicebantur Curetes, quantum video, a κυρα h. e. tonsura ita dicti, quia caput radebant; dicebantur etiam Corybantes, ex opinione vulgari criticorum, quia κορυπτοντες βαινοιεν, h. e. saltantes incederent. Cabiri etiam dicebantur, a Cabiro, Berecynthiæ monte. Idæi vocabantur ab Ida monte, ad cujus radicem habitabant. Dactyli, quia quinque essent, ac totidem haberent sorores. Galli vocabantur à flumine Gallo, teste *Herodiano Lib. I. cap. 20.* ajebant enim, quod si de hoc flumine bibissent tantum, illico eos incedere furorem, ut se ipsos evirarent. Nolo hæc extendere vel prolixius probare. Non enim id agitur, ut pagina turgescat: sed ut lucidissimis verbis atque brevissimis ea exhibeantur, de quibus sermo est. Habemus ergo in hoc loco Jonis ab Athenæo allato Ἰδαιον ἀλεκτορα, h. e. Idæum Gallum, sive Cybeles sacerdotem. Ergo verum est, quod ἀλεκτωρ sacerdotem, hominem fistula vel alio quocunque in-

strumen-

ſtrumento, quod in ſacris Cybeles receptum & commune erat, canentem ſignificet. Atque idem Gallus hic eſt, qui apud *Lucianum in Libell. de Dea Syria, oper. Tom. 2. edit. Amſtel. anni 1687. p. 680.* dicitur ἀλεκτρυων ἱερος. Nec jam ulteriori, quantum confido, probatione opus eſt, niſi aliquis ſine ratione ſolem negare velit. Jam demum demonſtrandum, quare huic Idæo Gallo fiſtula tribuatur. Notandum ergo, quod ſacra Cybeles iſti ſacerdotes variis inſtrumentis muſicis, tibia, cornu, buccina, cymbalo, &c. exegerint, ut hæc etiam docet *Lampius de Cymbalis, Lib. 2. cap. 16.* aliique, quos jam in medium proferre prolixum foret. *Ovid. Faſtor. Lib. IV. verſ. 182.*

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ feſta parentis erunt.
Ibunt ſemimares, & inania tympana tundent,
Æraque tinnitus ære repulſa dabunt.

Hoc autem tibiarum genus propius adhuc explicat *Carol. Neapolis,* in notis ad hunc locum allatis in edit. *P. Burmanni. p. 243.* ex loco *Athen. Lib. 15.* το κεϱας ἀυτω πϱοσαπlισιν ἀναλογον τω των σαλπιγγων κωδωνι, *Cornu tibiæ adjiciunt proportionatum ut eſt nola tubæ.* Ut autem melius adhuc videamus, quonam tibiarum genere (erant autem varia) uſi fuerint iſti ἀλεκτοϱες Cybeles, in rem noſtram vocandus iterum *Ovidius, Metam. Lib. III. verſ. 528.* talem tibiam in feſto Bacchi uſitatam deſcribens.

--- Feſtis fremunt ululatibus agri.
Turba ruunt. Miſtæque viris matresque nurusque;
Vulgusque proceresque ignota ad Sacra feruntur.
Quis furor, anguigenæ, proles Mavortia, veſtras
Attonuit mentes? Et adunco tibia cornu.

& idem *Lib. IV. Metam. verſ. 390.*

Tym-

Tympana cum subito non apparentia raucis
Obstrepuere sonis, & adunco tibia cornu
Tinnulaque æra sonant.

Ex his productis veterum testimoniis haud dubie quilibet videbit, qualis fuerit tibia, qua utebantur isti ἀλέκτορες sive sacerdotes magnæ matris Deum. Nec ergo simplex erat tibia, qualem sibi fingit Doctiss. *Doitsma*, sed tibiæ genus aduncum & curvatum, quo in bello cornicines utebantur. Nec peccabimus contra fidem antiquitatis, si dicemus, buccinam nihil aliud fuisse, quam tibiæ genus, nam eadem plane forma facta erat buccina Veterum, qua talis tibia in formam cornu incurvata; differebat buccina in magnitudine tantum, non autem in forma. Tuba è contra à *tubo* dicta, teste *Varrone Lib. 4.* Tuba ergo formam habebat tubi longiusculi, qui in summa parte amplus erat & concavus, in infima arctus; partem illam latiorem Græci κώδων vocabant; tale etiam κώδων, sive tintinnabuli formam exhibentem nolam tibiis incurvatis addebant, ut jam ex Athenæo vidimus. Cum ergo à Jone descriptus Gallus tali usus fuerit tibia, quæ majorem sonum edebat, hauddubie perinde est, sive hunc ἀλέκτορα *tibicinem*, sive *cornicinem*, sive tandem *buccinatorem* dicamus. Nec pugnat contra hanc nostram assertionem ipsa etymologia vocis ἀλέκτωρ, quæ sua naturali significatione rem quamcunque homines ex lecto suscitantem denotat. Hinc *Etymologus pag. 60.* Ῥηματικὸν ὄνομα ἀλέκτωρ ἀπὸ τῶν λέκτρων, τοῦτ' ἐστι τῶν κοιτῶν ἡμᾶς διεγείρων. *Vox* ἀλέκτωρ *rem ipsam denotat, quia ex lecto suscitat dormientes.* Consentientem habemus in hac re ipsum Clariss. *Doitsma in animadvers. Museo Brem.* insertis, *Tom. I. p. 383. ut taceam in Cadmo Græco-Phœnice* ἀλέκτορα *etiam tibiam dici.* ἀλέκτωρ, *Gallus, qui homines excitat, ut lectum relinquant, ab α & λέκτρον. Est etiam tibia, ob cantus similitudinem.*

In

In eandem etiam abit sententiam *Casaub. animadvers. ad Athen. p. 317. Jon Chius*, inquit, *tibiam vocavit ἀλεκτορα, in promtu causa est, nam & galli gallinacei & tibiæ cantu dormientes excitantur.* Totus ideo error doctissimorum Virorum, *Joh. Doitsma, & Dan. Godofr. Werneri*, contra me pugnantium inde natus, quia per tibiam communissima significatione instrumentum longius musicum tenuem aliquem sonum edens intellexere.

§. IX.

Tanta, quanta fieri potuit, brevitate gallum nostrum Idæum ex veterum monumentis descripsimus. Plura qui petit, adeat diligentissimum harum rerum explanatorem *Casp. Bartholinum de Tibiis Veter. Lib. 2. cap. 8. p. 200.* Ulterius jam pergendum. Citaveram porro in prima mea de hoc themate dissertatiuncula locum ex *Theognide, vers. 862.* quem ad sententiam meam stabiliendam advocaveram. Multis vero verbis contra me pugnat doctiss. *Doitsma*, ut ostendat, factam ibi nullatenus nec tibicinum nec buccinatorum mentionem. Fateor, locum illum dubium esse; sed fatebitur etiam Vir eruditiss. quod ad utramque sententiam æque commode trahi posset, illum ideo in medio relinquo. Rapiat illum Vir doctus in partes suas, non moror, cum alii in promtu sint, contra quos nulla datur nec exceptio nec disputatio. Illos autem in medium producemus, cum viderimus, quo jure Vir Cl. citatum à nobis *Aristophanis* testimonium rejecerit. Est autem hoc in Σφηκ. *vers. 100.*

Τον ἀλεκτρυονα δ' ὃς ἠδ' ἐφ' ἑσπερας, ἔφη
Ὡς ὀψ' ἐγειρεν αὐτον, ἀναπεπεισμενον
Παρα των ὑπευθυνων ἔχοντα χρηματα.'

Hunc locum ita vertit *Q. Sept. Florens Christianus*:

Aitque gallum, qui canebat vespere,
Argento ab ipsis corruptum esse reis,
Ut excitet se serius quam usus velit.

Eandem etiam versionem adposueram in mea dissertatiuncula, quam autem ut non in omnibus textui Græco conformem merito incusat *Cl. Doitsma. l. c. p. 388.* quantum autem video, ita esset reddendus, & quidem de verbo ad verbum:

Gallum autem, qui canebat vespere, dixit
Quia sero suscitavit eum, illum ad id faciendum persuasum fuisse
Ab illis, qui rationem reddere debuissent, & id quidem factum argento.

Videamus jam, quo jure Viri doctissimi *Joh. Doitsma atque Wernerus*, hoc Aristophanis testimonium male ad rem nostram probandam pertractum existiment. Hoc ut videamus, dicendum est, Comici scopum esse, Senatorem Atheniensem, forum impense amantem, ad scenam producere; talemque judicem Atticum nobis proponit, qui prima occupabat subsellia, hominem ad clepsydram tempus mensurantem nocte, ne sero veniat. Et ex his jam facile videmus, quod Comicus vesaniam quidem hominis aut avari, ut ex dato judicio argentum colligentis, (solvebatur enim unicuique judici pro lata sententia drachma,) risui omnium voluerit exponere. Quis jam crederet, hunc Senatorem Atheniensem, quem nobis Comicus unum ex primariis describit, ad tantam processisse stultitiam & effrenem amentiam, ut gallum gallinaceum acceptæ à partibus in jus vocatis pecuniæ incusaret. Quis quæso suspicari posset, hanc fuisse mentem Aristophanis? ipse certe vir acutissimus vesaniæ increpandus foret, cum nullus ad tantam prolabi posset de-

dementiam, ut animal omnis rationis expers talis culpæ reum faciat; imo certe hæc assertio ab ingenio & sale nostri comici ita est aliena, ut ne umbra quidem verisimilitudinis sapienti remaneat, per hunc ἀλεκτρυόνα gallinaceum intelligendum esse. Ut autem sanus sensus verbis supra citatis tribui possit, dicendum est, morem Atheniensium fuisse, per præconem publicum populo noctem judicii Areopagitarum notam facere. Probat id ex auctoritate veterum *Meursius de Areopago. Cap. VI. p. m. 37.* quem hic exscribere nolumus. Solebant, ut hoc notum est omnibus, nocte convenire senatores isti, nec hoc probatione indiget. Vocabantur autem, ut moris est ubique, Senatores ostiatim, populus ut jam dictum per præconem. Cum autem præco vel accensus iste Atheniensis solito aliquantisper tardius hunc hominem ad senatum vocasset, suspicio oriebatur, illum a partibus in jus vocatis argento fuisse corruptum. Notandum insuper & hoc, quod Comicus cantum hujus Galli ad vesperam referat, qui mos gallorum non est, cum illorum sit, homines summo mane, tempore Gallicinii, advenientis auroræ certos reddere. Aut quæso quis sensus verbis hujus Comoediæ inesset, si ad literam illa vellemus intelligere? Quanta in Comico foret stultitia? dicere, hunc senatorem Atheniensem ira commotum fuisse, quod gallinaceus tarde nimis cantasset, qui tamen jam sub vesperam cantarit, cum tempore demum matutino accedente cantare debuisset. De his autem æquum lectorem appellamus judicem, quænam jam explicatio loci Aristophanis ingenio Scriptoris acutissimi magis sit accommodata, an illa doctorum virorum, an hæc nostra, quam ex ritibus Græcorum exhibemus.

§ X.

Disputavimus hactenus de sensu vocis ἀλέκτωρ in testimoniis, ut videbatur, dubiis veterum auctorum,

 nunc

nunc ad clariora accedendum, nec ex poëtis ſed ex auctoribus ſolutæ orationis deſumta; & ex his, quantum confido, in prima noſtra diſſertatione nondum allatis, omnis aberit ſcrupulus & difficultas. Primum dabit *Lucianus* in libello *de Dea Syria, oper. Tom. 2. p. m. 680. edit. Amſtel. 1687.* Ἀγγειον ἑκαϛος ὑδατι σεσαγμενον φερεσι, κηρῳ δε ταδε σεσημανται, και μιν ὐκ ἀυτοι λυσαμενοι χεονται, ἀλλ᾽ ἐϛι ἀλεκτρυων ἱερος, οἰκει δε ἐπι τη λιμνη. *Vas autem unusquisque aqua repletum portat, idque cera obſignatur; Nemo autem ſuum ipſe reſolvens, effundit, ſed quidam ſacer Gallus, qui ad lacum habitat.* Miror, quid ad hoc teſtimonium Clariſſimi antagoniſtæ; illud enim ſi apertum non eſt, nil certe deinceps videbo, quod manifeſtum vocari poſſit. Fatetur id *Palmerius* in notis ad hunc locum his verbis: *Mirum eſt*, ἀλεκτρυων *de homine dici.* Sed ne quis putet, lectionem hanc eſſe vitiatam aut corruptam, alia eaque plura dabimus loca ex eodem hoc auctore; mox enim ſubjungit *loc. cit. p. 681.* Πολλαι μνεες ἐκ τετε τε ἐργε τω ἀλεκτρυονι ἀγειρονται. *Multæ minæ ex hoc opere Gallo accumulantur.* Si autem parum attendiſſet *Palmerius*, alia etiam ipſi obveniſſent teſtimonia, quæ ipſum docere potuiſſent, *Lucianum* hac voce ſæpius de hominibus uti. Idem in *ſomnio. Oper. Tom. 2. p. 161.* Ἠκεσα τι καὶ παλαι τοιετον ἀμελει περι ὑμων, ὡς ἀλεκτρυων τις νεανισκος φιλος γενοιτο τω Ἀρει. *Audiveram & olim certe & aliquid de vobis, quod fuerit adoleſcentulus Gallus Marti deamatus, &c.* Atque vocem hanc eandem in hoc plane ſenſu in eadem illa pagina tertium repetit idem Scriptor, quem evolve, ſi libet, nobis brevitatis ſtudioſis non licet. Ex his vero breviſſime allatis, cuilibet, qui hæc ſine partium ſtudio conſiderabit, conſtare poteſt, vocem ἀλεκτωρ & hominem & tibicinem & cornicinem, imò & tandem buccinatorem, poſſe ſignificare. Si autem quis roget, quare Scriptores Sacri tali voce ambigua uſi fuiſſent,

fuissent, curque non diserte αὐλητην, vel κερατανλην vel etiam σαλπιγκτὴν nominaverit, si equidem vera foret hæc nostra assertio? Ratio in promtu est, quia Scriptores Evangeliorum hac voce utentes se accommodabant genio & linguæ hominum & Judæorum & Græcorum; cum enim Hebr. גבר & hominem alta voce aliquid proclamantem & gallinaceum denotet, ut hæc prolixius docet Relandus, atque ipsa vox sua origine idem denotet apud Græcos, sapienti haud dubie consilio hac voce utebantur.

§. XI.

Sed alia insuper accedit ratio, quæ nostram de Cornicine Romano à Petro exaudito sententiam confirmat. Dicunt enim Evangelistæ unanimi consensu, ἀλεκτωρ ἐφωνησε. Argumentum jam antea verbulo tetigeram, hincque magno conatu omnes mei opponentes in id allaborant, ut demonstrent, quod Gallinaceo φωνη possit tribui; sed eheu quam irrito conatu & vano molimine! Prolixe id egit Cl. *Doitsma*, nec minus *Wernerus* & *Biel*, ut doceant, quid sit φωνη, atque hac in re suam probavit eruditionem *Wernerus pag. 67.* ex Plutarcho, Epicteto & aliis, definitiones afferens. Clariss. *Doitsma* exinde se rem totam confecturum existimabat, si probaret ex Athenæo, gallum vocatum fuisse ἡμεροφωνον *diei nuntium*. Sed hæc vox nihil contra nos, cum exinde tantum probari possit, quod gallinaceus instantis vel advenientis auroræ signum det; neutiquam vero, quod gallo φωνη tribui possit. Optassem verò vel unicum legere testimonium, in quo gallo peculiari, ut apud Evangelistas, φωνη tribuitur. Cum autem à Viris tribus doctissimis, anonymus enim cum reliquis non confundendus, nullum allatum fuerit testimonium ex Scriptoribus priscæ fidei, exinde facile colligo, quod ἀλεκτωρ, cui φωνη tribuitur, non possit esse Gallinaceus. Nulla etiam avis est, cui φωνη, hoc est sonus distinctus &

 cum

cum modulatione conjunctus, minus tribui possit, quam vero gallo gallinaceo; hinc *Vossius in Theol. Gentil. Lib. 3. cap. 89. De cantu diximus, nunc transeo ad loquelam, quam natura nullæ aves habent, multæ etiam nec disciplina assequi possunt, talesque sunt Galli Gallinacei.* Φωνη verò à Scriptoribus Græcis ubique tubæ tribuitur & tibiæ. Apostolus ipse hac in re luculentissimum testimonium suppeditat 1. Cor. XIV. 8. Και γαρ ἐαν ἀδηλον Φωνην σαλπιγξ δω, τις παρασκευασεται ἐις πολεμον, & *Pollux in Onomast. Lib. IV. cap. 11. pag. 397.* ἐιποις δὰν το Φθεγμα της σαλπιγγος Φωνην. *Vocabis autem tubæ sonum* Φωνην. Tibiæ consimiliter Φωνην adscribit *Pollux Lib. IV. cap. 10. p. m. 391. edit. Lederlin.* In his ergo difficultas nulla. De Gallinaceis longe aliter Græci. *Homerus* Βατραχ. *vers. 191.*

.... Εγω δ' ἀυπνος κατεκειμην
Την κεφαλην ἀλγȣσα, ἑως ἐβοησεν ἀλεκτωρ.

Ego vera insomnis jacebam
Caput dolens, donec clamavit gallus.

Quid autem Gallinaceorum proprium sit, & qua voce Scriptores soleant eorum cantum verbis significare, nos iterum docet *Pollux Onomast. Lib. V. cap. 13. p. 525.* 'Ειποις δὰν ἀλεκτρυονας ἀδειν; Ὑπεριδης δε και Δημοσθενης, ἐπ ἀλεκτρυονων το κοκκυζειν ἐιπον. *Dices autem Gallos cuccurire; Hyperides autem & Demosthenes Gallos cuculare dixerunt.* Ut autem, quantum quidem fieri potest, omnes præoccupemus objectiones, verbulo respondendum illis, qui contendunt, quod Φωνη omnino etiam Gallinaceis tribui possit, argumentum inde petentes, quia ipsum Gallicinium ἀλεκτοροφωνια, Gallus autem ipse ἡμεροφωνος dicatur. Qualis videatur aliis hæc objectio, ego equidem ignoro, nec ullum, ut jam supra monuimus, in his præsidium, cum istæ vocabulorum conjunctiones non probent, quod Φωνη Gallinaceis tribuatur; ἀλεκτοροφωνια enim dicitur quasi

quasi των ἀλεκτορων φωνια, gallinaceorum simul sumtorum clamor, ideo quia galli illo potissimum noctis tempore cantant, & advenientis lucis cantu suo indicium præbent; nec certe Græci aliam aut commodiorem vocem ad commune hoc gallorum advenientis auroræ testimonium exprimendum invenire potuissent. Quæ Clariss. *Doitsma* affert ex Athenæo, plane nihil probant, ita ut mirer, Virum doctum hoc uti voluisse argumento. Qui enim dixerit, quod Gallinaceus buccin averit, nihilominus tamen buccinus vocatur *Petronio Satyric. cap. 74.* plura ad hanc vocem notata vide in notis in editione *Burmanniana p. 365.* ut ergo argumentum concludat, locus ex auctoribus afferendus est, in quo vox ἀλεκτωρ cum verbo φωνεω conjungatur. De varia autem significatione της φωνης plura attulit Rev. & eruditiss. *Joh. Alberti, in observat. in N. T. p. 245.* aliique.

§. XII.

Nemo jam, quantum quidem confido, negabit, quod φωνη de voce humana, ut & sono tubæ & tibiæ, apud priscos auctores usurpetur. Inquirendum nunc, ad quam vocem humanam, vel ad quem sonum buccinæ vel cornu, hoc auditum Petro abnegationis monitum referre velimus. Duplex patet via, quarum nulla magnis obstruitur difficultatibus. Cum ergo antea ex Luciano probatum fuerit, quod ἀλεκτωρ omnino hominem significet, dicere possumus, hanc φωνην Petro auditam referri posse ad accensum illum centurionis Romani, qui cum militum cohorte, teste Evang. Johanne, in palatio Caiaphæ excubias agebat Joh. XVIII. 12. 13. Habebant autem Centuriones Romani suos accensos, sæpius etiam servos, qui illis horas nuntiabant, ut in hanc rem plurima attulit testimonia *Pitiscus in Lex. Antiq. Rom. Titulo de accensis*, quem autem describere nolumus. De consuetudine autem Romanorum pervulgari, qua volebant

ſibi horas per præconem aut ſervum nuntiari, nos erudiunt priſci Scriptores paſſim, inde *Martialis Lib. VIII. 67.*

Horas quinque puer nondum tibi nuntiat, & tu
Jam conviva mihi Cæciliane venis.

Similem locum legimus apud Juvenalem. *Sat. X. 216.*

-- *Clamore opus eſt, ut ſentiat auris,*
Quem dicat veniſſe puer, quot nuntiet horas.

Solebant etiam lautiores Romani, per buccinatorem horarum diſcrimina indicare; inde *Petronius Satyric. cap. 26. Trimalchio lautiſſimus homo, horologium & buccinatorem habebat ſubornatum.* Ex his verbis (ad quæ omnino videndus *P Burmannus*, magnum in literis humanioribus nomen,) facile cognoſcimus, quod etiam ſoliti fuerint Romani, horas ſuas cantu buccinæ diſtinguere. Alia vero loca, hanc conſuetudinem Romanorum probantia, jam conſulto omittimus Poſſemus ergo ſuſpicari, vel accenſum vel præconem aliquem aut buccinatorem fuiſſe, qui horarum intervalla notaverit, & quem Petrus facile etiam potuit audire. Sed tranſeamus ad alia.

§. XIII.

Hanc jam, quam protulimus ſententiam, cuilibet dijudicandam relinquimus, cum nobis ſaltem magis videatur veriſimile, Petrum aut buccinatorem aut cornicinem Romanum audiviſſe, cum ſupra jam ſatis probatum fuerit, quod ἀλέκτωρ cornicinem ſignificet. Hoc autem ut demonſtremus, dicendum eſt, morem fuiſſe Romanorum, in locis poteſtati & imperio illorum ſubjectis, præſidia militaria conſtituere. Hoc præſertim omnino erat neceſſarium apud Judæos, homines ad turbas & ſeditiones admodum pronos; ne ergo tumultus oriretur, ſapienti conſilio, tempore

re præſertim feſti, cohortes Romanæ in promtu erant, ut omnia ſine turba vel molimine ſeditioſo fieri poſſent. Aderant hinc in aula Caiaphæ Romani milites, ut jam ſupra probatum; habebant cohortem prætoriam Præſides in provinciis, & ex hac cohorte, Judæis flagitantibus, idoneus militū numerus datus ad Chriſtum capiendum, captumque ad Caiapham, indeque ad Pilatum deducendum. Stabat tempore feſto, teſte *Joſepho, Antiq. Lib. VI. cap. 6.* in arce Antonia cohors Romana cum armis parata ad omnes caſus, indeque cohors tam ſubito accurrit ad ſeditionem coercendam Act. XXI. 3. Acceperat Judas proditor, ad ſceleſtum conſilium promovendum, miniſtros, ſervosque à Pontificibus atque Phariſæis; his accedebant χιλίαρχοι militesque Romani, quos Pilatus petentibus Pontificibus aliisque juratis Salvatoris noſtri hoſtibus conceſſerat, à quibus ad Caiapham rapiebatur agnus innocentiſſimus. Prolixius hæc ita geſta fuiſſe probat *Emundus Merillus* in not. ad Paſſion. Chriſti, quas lege *Faſcic. III. opuſcul. quæ ad Hiſt. & Philolog. Sac. ſpectant, à Grenio collector. p. 583.* Mos porro Romanorum erat, noctem in quatuor dividere vigilias, quæ buccina committebantur; inde etiam prima buccina, pro prima vigilia, ſecunda buccina pro ſecunda vigilia &c. Probat hoc locus *Propertii Lib. IV. 4. 61.*

Et jam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipſaque in oceanum ſidera laſſa cadunt.
Experior ſomnum.

Seneca Tragicus in Thyeſt. verſ. 798.

Nondum in noctem vergente die
Tertia miſit buccina ſignum.

Ex quo loco Senecæ colligimus, non vigiliarum tantum nocturnarum, ſed & diurnarum ſtationum ſignum buccina datum fuiſſe, quæ etiam eſt ſententia Cl. *Drakenborgii*, licet adhuc dubitare videatur Celeberrimus

berrimus *Petrus Burmannus in commentario ad Petron. p. 93.* Cum jam probatum sit, Centurionem Romanum cum cohorte in aula Caiaphæ adfuisse, sine ulla difficultate exinde etiam cognoscimus, quod illi milites more consueto ad vigilias deducti & post finitum trihorium iterum exinde reducti fuerint, aliis in vicem priorum succedentibus. Quemadmodum autem milites sono buccinæ ad vigilias vocabantur, ita etiam illi, qui per trihorium officio suo functi fuerant, à Cornicine revocabantur; testis est ipse *Vegetius de Re militar. Lib. III. cap. 8. p. m. 75. A tubicine*, inquit, *omnes vigiliæ committuntur, & finitis horis à cornicine revocantur.* Nec video, quod alio munere functus fuerit buccinator, alio cornicen, & qui primo buccina cantabat, postea cornu signum edebat, inde etiam Tubicen in veteri onomastico *σαλπιστης* vocatur, quod annotavit *Godesch. Stewechius in Commentar. ad Veget. p. m. 272.* Imo communi nomine hoc hominum genus *Æneatorum* nomine veniebat, cujus rei testes sunt lapides antiqui, apud *Gruterum in Corp. Inscript. p. 264.* & *Gasp. Bartholinum. Lib. 3. De Tibiis Veter. p. 399.* In eandem etiam abit sententiam *Lipsius de Militia Romana, Lib. IV. p. m. 198.* asserens, quod quondam nihil discriminis fuerit inter buccinam & cornu. Cum autem posteriori tempore instrumentum utrumque ex ære factum esset, aliqua differentia erat, sed non magna, quæque non in forma, sed magnitudine instrumenti hujus bellici consistebat. Cum autem superius evictum sit, sacerdotem Cybeles, qui *ἀλεκτωρ* vocatur, cornicinem fuisse, nemo jam, quantum equidem speramus, negabit, quod Cornicen in æde Caiaphæ, vel etiam buccinator vigilias committens, militesque reducens, à Petro fuerit exauditus; atque ex hoc nostrum deducimus signum, Apostolo Petro admissi criminis memoriale.

§. XIV.

§. XIV.

Inquirendum nunc, cujusnam vigiliæ Cornicinem audiverit Petrus. Illud autem difficile non erit; Primam vigiliam, quæ hora noſtra ſexta incipiebat, merito excludimus, illo enim tempore Chriſtus comedebat Paſcha cum ſuis diſcipulis, inſtituit Sacram Cœnam, atque exivit ad montem oliveti, ibique orans graviſſime confliɗatur, Apoſtolis ægre cum eo vigilantibus. Qua hora autem à cohorte, cui ducem ſe præbuit Judas, fuerit captus, tam certo definiri non poteſt. Hoc autem mihi certum eſt & indubitatum, Salvatorem noſtrum ab impia Judæorum & militum turba ante mediam noctem captum & in aulam Pontificis Caiaphæ fuiſſe abductum. Quam primum autem illuc fuiſſet deductus, milites, qui excubias agerent, ſuis locis in palatio Caiaphæ & ad portas conſtituti, ne tumultus aliquis, tempore præſertim nocturno, quo mali homines cædes & motus tutius exercent, oriretur. Cum ergo Chriſtus ante mediam noctem in ædibus Pilati eſſet conſtitutus, milites ad vigilias conſtituti, licet trihorium ſuum in excubia nondum expleviſſent, à cornicine revocantur; Habemus jam media nocte in ſigno cornicinis primum ſignum Petro à Chriſto prædictum; facile enim videmus ex Matth. XXVI. 69. quod Apoſtolus Petrus, ſtatim poſtquam ingreſſus fuerat aulam Pontificis, dominum ſuum abnegaverit. Conveniunt hæc cum hiſtoria Evangelica, dixerat enim Jeſus Petro, Luc. XXII. 34. Ὀυ μη Φωνησει σημερον ἀλεκτωρ πριν η τρις ἀπαρνηση, μη ἐιδεναι με. *Hodie non cantabit gallus, priusquam ter neges, quod tu me non noſcas.* Et ſimiliter Joh. XIII. 38. Ὀυ μη ἀλεκτωρ Φωνησει, ἑως ὑ τρις απαρνηση με. *Non cantabit gallus, priusquam ter me neges.* Debuiſſet equidem Cornicen jam cornu canere hora nona, cum autem tum temporis Chriſtus nondum fuerit captus, nullæque hactenus à centurione Romano con-

constitutæ vigiliæ, non potuit canere cornicen ante mediam noctem; illud ergo prima fuit à Christo prædicta ἀλεκτοροφωνία. Prædictionem vero suam Christus non ad signum tantum monitorium, sed etiam ad tempus restringere voluit secundum Marcum, prædicebat enim futuram ternam abnegationem Petri, antequam *bis cantaret*, Marc. XIV. 30. Dominum suum abnegavit Petrus quam primum advenisset in aulam Caiaphæ, hoc est ante mediam noctem; prima hac abnegatione facta, cantabat Cornicen, sed verborum Christi nondum memor Petrus, bis adhuc illum abnegat usque ad tertiam vigiliam; auditum vero fuisse cornicinem post primam abnegationem, nobis testis est Marcus cap. XIV. vers. 66 & sequentibus usque ad 69. Reliquæ autem duæ abnegationes factæ post auditum prima vice Cornicinem, vel si mavis, post auditum primum Gallicinium. Dandum ergo aliquod intervallum inter tres illas abnegationes, præsertim vero inter secundam & tertiam, teste Luca Cap. XXII. 59. qui horæ intervallum ponit inter abnegationem secundam & tertiam. Quis jam est, qui credat, gallum gallinaceum incepto semel gallicinio per integram horam conticuisse, cum satis constet, quod gallinacei advenientem auroram nuntiantes, non soleant per tantum temporis spatium cantum suum retardare aut suspendere. Dicendum ergo foret, quod hic Gallinaceus contra indolem suam, vi quadam naturam ejus constringente & cohibente impeditus fuerit, quominus more consueto repetitis vicibus cantet. Notandum vero hoc loco, quod secundum hanc nostram explicationem tempus primæ, secundæ & tertiæ abnegationis à Christo exactissime fuerit determinatum; Prima ergo eventura esset ante mediam noctem, sequentes inde à media nocte usque ad tertiam vigiliam. Ad hæc, quæ ex historia Evangelica satis nota sunt, si attendisset

ſet Doctiſſ. *Wernerus*, non ad illam difficultatem nullius ponderis relapſus fuiſſet, cum objicit, noſtram ideo ſententiam ſtare non poſſe, quia Chriſtus tempore vigiliæ ſecundæ adhuc fuerit in horto, nulla hactenus abnegatione commiſſa; cum non opus ſit dicere, primum cantum cornicinis, qui auditus fuit ſub finem primæ vigiliæ, eſſe primam illam ἀλεκτοροφωνίαν, incipiente vigilia ſecunda auditam; prima autem illa eſt, quæ prima fuit in aula Caiaphæ, nec audiri potuit ante mediam noctem. Iterum ergo dicendum, quod cornicen Romanus in aula Caiaphæ non ante cantarit, quam milites ſtationarii ibi eſſent conſtituti. Ibi autem illos, adducto demum Chriſto, media nocte jam jam appropinquante, excubias agere incepiſſe, manifeſtum eſt. Et exinde nemo non concludet, quod Cornicen ſignum dimittendorum militum tempore mediæ noctis edens, referendus ſit ad primum illud ſignum monitorium Petro prædictum, vel ſi mavis ad primum gallicinium à Petro auditum. Quis vero dixerit Clariſſ. *Wernero*, quod inter duo ultima Gallicinia non niſi unius & dimidiæ horæ ſpatium interceſſerit? Hæc equidem Vir doctus dicit, ſed non probat. Definit Marcus intervallum inter ſecundam & tertiam abnegationem, illudque quaſi horæ ſpatium recenſet; ſed quantum interceſſerit inter primum & ſecundum, altum apud Evangeliſtas ſilentium; ſolus Lucas dicit, quod illud contigerit *μετὰ βραχὺ, poſt puſillum*, cap. XXII. 58. Verum etiam obſervandum, quod ſpatium temporis, quod Marcus XV. 70. vocat *μετὰ μικρὸν*, Lucas ad horam integram extendat. Computus ergo Viri Cl. adeo eſt incertus & dubius, ut exinde ne umbram quidem argumenti contra nos poſſit elicere. Poſſemus hoc loco ad forum politioris Literaturæ principum provocare anonymum, qui ritum Romanum notiſſimum & communiſſimum in dubium vocat.

Verba

verba ejus dabimus ex *Biblioth. Brem. Class. VI. p. 1074. Hinc ulterius provehimur, qualem quærat Altmannus in urbe sancta buccinatorem, examinaturi; Romanos vigilias suas buccina commisisse, certum est; at vero idem apud præsidiarios per urbes dispositos Provinciarum obtinuisse, secundum stationes non tantum ordinarias, sed & extraordinariam in ædibus Pontificis, si auctori fides est, Vigilias ebuccinantes, probatum esse hactenus ex Vegetio & Livio, non perspicio, nam de præsidiariis ne γρῦ quidem illi.* Tales autem sunt plerumque objectiones, quas animus livore turgidus potius, quam amor veritatem indagandi suscitat. Quam turpiter se in his exposuerit amicus noster, mox videbimus. Petit à me, ut probem ex Vegetio & Livio, milites Romanos excubias egisse in ædibus Caiaphæ. Fateor, me id præstare non posse, & concedo ultro, Vegetio & Livio nunquam in mentem venisse, ut de excubiis in palatio Pontificis Hierosymitani, in scriptis suis mentionem facerent. Ut autem candido lectori constet, illum anonymum talem probationem à nobis petere, quam nemo desiderat, nisi humaniorum literarum rudis, dabimus testimonium apertum ex *Livio*, ad quem provocat, *Lib. III. cap. 20. Vigiliæ in urbe, stationes ante portas; præsidia in muris disposita.* Satis jam ex his videmus, quis mos Romanorum fuerit, non in castris tantum, sed & in urbibus, in quibus militum erant præsidia. Idem *Lib. X. cap. 4.* ait. *Custodiæ in portis, vigiliæ vicatim exactæ.* Nec temere, ut opinor, *Vegetius* de vigiliis loquens ait: *Lib. III. cap. 8. Quia impossibile videbatur, in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare, hinc à tubicine omnes vigiliæ committuntur.* In his, quantum confidimus, satis contra indoctam anonymi objectionem probavimus, Vigilias & in urbibus & in castris æqualiter fuisse commissas. Quod sine controversia nos

nos docet addita particula *omnes*, à Vegetio non sine ratione adjecta, ut hoc modo doceret, eandem legem & consuetudinem Romanis observatam in castris & in urbibus, Romanis cohortibus munitis. Sed ut ultra debitum nostrum rem totam probemus, testem damus *Josephum*, *Antiq. Lib. VI. cap. 6.* disertis verbis probantem, quod non tantum in arce Antonia, sed & per porticus fuerint dispositi milites excubias agentes: Cum enim Judæi Christum tanquam hominem seditiosum accusaverint, omnino necesse erat, illum per milites præsidiarios asservari & tuto custodiri, ne forsan conjurationis seditiosæ amici & asseclæ illum ex vinculis eriperent. Hinc *Augustinus in tractatu 112. in Johannem.* Cohors, inquit, *non Judæorum, sed militum fuit à Præside; itaque intelligitur accepta tanquam ad tenendum reum, servato ordine legitimæ potestatis, ut nullus tenentibus auderet obsistere.* Sed hæc ad rem nostram probandam antiquitatis Romanæ peritis sufficient. Si vero amico scrupulus remaneat, abeat ad antiquitatis compendia, ad tyrones elegantioris Literaturæ, qui eum meliora edoceant, ne deinceps ea neget, de quibus apud antiquarios nullum dubium.

§. XV.

Verum alia, præter allegatas hactenus rationes & argumenta, adhuc obveniunt, quæ hanc nostram commendant sententiam, & quæ suadent, dignius & convenientius omnino esse, hoc datum Petro signum, non ad cantum gallinacei, sed ad sonum cornu militiæ Romanæ referendum. Nemo enim vel parum in priscis ritibus versatus ignorat, veteres ex gallinaceorum cantu tristissima hausisse auguria. Exemplum refert *Sueton. in Vitell. cap. 9.* Verba historici hæc sunt. *Mox Viennæ pro tribunali jura reddenti Gallinaceus supra humerum, ac deinde in caput adstitit; quibus ostentis par respondit exitus, nam confirmatum per*

legatos

legatos suos imperium per se retinere non potuit. Similia fere refert *Petron. in Satyric. cap. 74. Hæc dicente eo, Gallus Gallinaceus cantavit, qua voce confusus Trimalchio, vinum sub mensa jussit effundi, lucernamque & mero spargi, imò annulum trajecit in dextram manum, & non sine causa inquit, hic buccinus signum dedit, nam aut incendium oportet fiat, aut aliquis in vicinia animam abjiciet; Longeque à nobis itaque, quicunque hunc indicem attulerit.* Ad hæc certe non attenderunt Viri docti, qui ad Gallinaceum hunc inveniendum ad pullaria Romanorum confugiunt, & cantum gallinacei ex pullario Romanorum superstitioso, ad infaustum hoc augurium Petro exhibitum transferunt. Quis autem tam levis, ut facile credat, Sanctissimum Salvatorem nostrum more gentili per gallinaceum Petro lapsum denuntiare voluisse. Notum est etiam ex sacris paginis, quod Deus jam tempore V. Testamenti prohibuerit Judæos, ne ad ullum avium cantum attenderent. Quare ergo ipse Christus contra expressum hoc Dei mandatum Petro cantum avis fatidicæ lapsus & admissi criminis signum fecisset. Rationes autem, quare Gallus præ reliquis avibus inter oscines fuerit numeratus, nos docet *Cuperus in Harpocrate p. 16.* atque Celeberr. *P. Burmannus in notis ad Petron. pag. 364.* ad quos lectorem remittimus. Quis vero est, qui non videat, multo augustius esse, asserere, Cornicinem Romanum publice signum certum temporis edentem, Petro tristissimæ abnegationis monitorium dedisse, quam vero si in his ad cantum Galli Gallinacei confugiamus. Novi autem, neminem ex cordatis & æquis lectoribus futurum, qui non hoc nobiscum confessurus sit.

§. XVI.

Hæc jam fere sunt, mi Lector, quæ ad Cornicinem nostrum vindicandum dicenda videbantur. Tanta vero, quanta fieri potuit, brevitate à me id factum esse

esse, haud dubie nemo non fatebitur. Non enim agebam, ut pagina turgescat, vel ut prolixioribus excursionibus ad argumenta adversariorum responderem; verum unice, ut assertionem nostram ad majorem lucem & certitudinem eveherem, quod in prima nostra dissertatiuncula, Bibliothecæ Bremensi inserta, fieri non poterat. Hoc autem, an jam factum sit, judicare nolo; Viris autem doctis, & hæc sine ullo studio partium dijudicantibus relinquo. Dissertationi jam finem imponerem, sed unico adhuc verbo ad hanc nostram controversiam vocandus Rev. atque Eruditissimus *Wilh. Ern. Ewaldus Emblem. Sacr. Lib. IV. exercit. 4. pag. 378.* In illo loco Vir Clariss. (cui pro elogio, quo me indignum judico, dignas persolvo grates) supponit, rem certam & extra omnem dubitationis aleam positam, Petrum gallinaceum audivisse, indeque gallum gallinaceum typum & symbolum facit præconum Evangelii. Ipsa autem verba Viri doctissimi dabimus, l. c. *Gallus hic voce sua ad resipiscentiam vocans, typus & symbolum elegans esse poterat præconum Evangelii, qui Judæos & gentes voce Evangelii conversuri essent.* Fateor equidem, quod Vir Cl. magno eruditionis apparatu ad hanc suam sententiam probandam & illustrandam accesserit. Sed, pace Viri doctissimi, omnes ejus positiones & argumenta mihi hactenus tanti ponderis non fuerunt, ut in gallo gallinaceo Symbolum doctorum Ecclesiæ invenire potuerim. Hoc equidem constat, quod Salvator symbolum deducat ex gallina, Matth. 23:37. ut id prolixius explanat *Joh. Cunr. Dietricus in Illustram. N. T. p. 78.* Cum autem nullum extet in sacris paginis vestigium, ex quo veritatem hujus emblematis possemus exsculpere, ego certe non video, quod gallinaceus potius possit esse typus ministrorum Evangelii, quam autem asinus Bileami, in quo plura adhuc forsan inveniri possent, quæ emblema illustrarent & con-

firmarent, quam in gallinaceo Caiaphæ, si equidem supponere velimus, Petrum revera gallum audivisse. Ad probationem vero emblematis sui affert Rev. *Ewaldus*. I. Cristam gallinacei, quam galeæ seu coronæ instar in capite gerit. II. Colorem varium pennarum, quibus est ornatus. Caudam falcatam. III. Gressum elatum, cervicem in sublime erectam. IV. Singularem gallorum erga gallinas amorem. V. Vocem acutam, elatam, distinctam. VI. Scientiam, horas & tempestates distinguentem. VII. Singularem cum sole sympathiam. VIII. Indolem bellicosam & ad pugnas promtam, IX. Naturam vulpibus & avibus rapacibus contrariam; & quæ alia adhuc sunt gallinaceorum attributa. Liceat autem dicere, talia obvenire in gallinaceo, quæ magis suadent, quod si equidem Symbolum inde velimus deducere, hoc animal esse emblema falsorum doctorum Ecclesiæ Romanæ. Est enim I. Animal salacissimum, ad polygamiam pronum, non unica sed plurimis gallinis vix contentum, ex una conjuge ad alteram transiliens. II. Non purioribus cibis gaudens, sed reptilia quærens, sterquilinia ruspans. III. Gallinaceorum reliquorum impetiens, cumque omnibus aliis perpetuam inimicitiam exercens. IV. Ova inania projiciens, hocque modo sexum fœmineum affectans vel mentiens. V. Indolem habens ad livorem & iram pronam. VI. Nocte potius quam die vocem edens; & quæ sunt alia, quæ egregium hoc Viri Doctissimi Symbolum evertunt. Ne jam dicam, quod à Viro doctissimo in præsidium allatæ rationes tales sint, ut illas æque commode in contrariam hanc partem, adductis plurimis Veterum testimoniis, trahere possemus Sed satis de his. Gallinaceum autem felicem prædico, qui nullis suis meritis tot ebuccinatores invenit, qui per integras noctes ejus formam, cantum, virtutes, contra ejus hostes voluerunt defendere.

Hæc

Hæc ſunt, quæ in hanc rem dicenda videbantur. Credat jam qui velit, fuiſſe Gallinaceum in aula Caiaphæ, aut Cornicinem Romanum, controverſia mihi nec bilem nec ærumnam movebit. Tantum de Gallo.

II.

HADRIANI RELANDI
ORATIO
DE
GALLI CANTU HIEROSOLYMIS AUDITO,

Habita publice in Academia Trajectina A. d. 26. Martii M DCC IX.

Quum magiſtratu Academico abiret.

Argumentum.

I. Quo plura quis cognoſcit, hoc plura ſupereſſe inveſtiganda comperit; & quæ plana videntur intuenti obiter, non ſine ſalebris ſubinde occurrunt oculo acutiori. II. Huc refertur *Galli cantus Hieroſolymis a Petro auditus*, atque de ſcrupulo heic reſidente evellendo conſilium proponitur. III. Sanctitatis Urbis Hieroſolymorum decem capita Judæi recen-

ſent; Inter quæ nonum eſt, *nullos in ea gallos nutriri.* IV. V. Putant nonnulli, traditionem hanc ex corpore ipſo Talmudico infirmari ac dilui poſſe. VI. VII. Voces קרא הגבר apud Talmudicos, utrum explicandæ ſint per *cantum galli*, an vero per *clamorem viri.* VIII. Poſterior ſententia rejicitur. IX. Per *cantum Galli* vero intelligendum eſt tempus Gallicinii. X. Alii cenſent, ob narrationem Hiſtoriæ Evangelicæ fidem derogandam eſſe Talmudicis; Sed potius conciliatio quærenda eſt. XI. Petrus Hieroſolymis potuit gallum audire extra urbem canentem. Quam procul Gallorum voces audiri poſſint. XII. Dici etiam poteſt, legem de non alendis in urbe gallis, latam fuiſſe ſolis Judæis, quam Romani Hieroſolymis degentes non obſervarint. XIII. Ad captanda auguria Romani gallorum pullos in provincias ſecum ferre ſolebant. XIV. Neque Judæi ipſi leges ſuas ſemper aut accurate obſervarunt; adeoque veriſimile eſt, non defuiſſe ex illis, qui contra præcepta Magiſtrorum gallos in urbe nutriverint. XV. Notatur, verba legis ipſius prohibere duntaxat, gallos *alere*, non vendere vel comedere. Hinc nova conciliationis ratio affertur. XVI. Denique lex iſta Chriſti forſan tempore nondum fuerat lata. XVII. Concluditur, diverſis modis Hiſtoriam Evangelicam cum Talmudicorum traditione poſſe conciliari. XVIII. Momentum ejusmodi conciliationis expenditur & adſtruitur. XIX. Re-

ctoris

ctoris Academici Munus ab Authore deponitur. XX. Et Successori traditur.

§. I.

Quietem non capit animus sciendi cupidus, sed quo plura investigat & consequitur, plura superesse comperit. Frustra speratur tranquilla post rerum cognitionem voluptas, quæ finem studio sapientiæ faciat, & incredibilem hunc ardorem restinguat. Decurrat in hoc stadio qui volet, enitatur & contendat; meta fatali quasi manu retroacta, & conspecta semper eminus, spem omnem accedendi præcidet. Ne una quidem res est, cujus naturam penitus habemus perspectam; (usque eo crassis omnia circumfunduntur tenebris) & si vel hoc ipsum generi humano datum fuisset, singuli dies nihilominus nova argumenta suppeditarent, in quibus cum fructu occuparemur. Non hic in immensam adeo rerum cognoscendarum copiam, quam unusquisque, qui modo rationis est particeps, animadvertere potest, vos mentem volo intendere; sed in illa duntaxat, quæ ab hominibus indoctis & a studio literarum alienis, licet ante oculos posita, negligi & pro nihilo putari solent, sapientiæ tamen studiosis amplam materiam meditandi suggerunt. Quot stirpes & herbæ, aut tritæ pedibus aut a prætereuntibus contemtæ, hominum generi salutares compertæ sunt, postquam earum vires innotuerunt? Quamvis in cœlo novum sidus appareat, si nullo insolito fulgore oculos percellit, non animadvertetur ab homine, qui stellarum situm atque ordinem ignorat; sed illos, qui cursus astrorum dimetari solent, & in ortus eorum obitusque inquirere, occupatos tenebit atque impeditos. Eædem nives in virum peritum rerum naturalium ac imperitum decidunt, ita tamen,

ut ille de admirabili partium conformatione & figura parum sit sollicitus, de qua non immerito acutissimi philosophi laborant. Qui ad veterum scriptorum monumenta animum adpellit, quo acriori judicio valet, & majori imbutus est rerum scientia, plura inveniet, in quibus hæret, quæque diligentius ponderat, interea dum alii nihil in iis involutum esse aut occultum, sed aperta omnia & manifesta, existimant. Quod si ad divina oracula nos conferamus, in illis quoque abdita multa & recondita deprehendemus, quæ a plerisque neglecta, quod verba in recessu nihil habere viderentur & sine ullis salebris fluere, aliorum tamen industriam exercere poterunt. Plane, quemadmodum homines oculorum usu destituti per loca periculosa sine metu feruntur, quæ si conspicere possent, & discrimen, in quod adducuntur, animadvertere, suspensos eos merito tenerent & retardarent.

§. II.

Luculenter ea, quæ a me dicta sunt, confirmari intelligetis, Auditores, si mecum oculos conjiciatis in illam historiæ sacræ partem, quæ, quum Petrus, se nosse Sospitatorem generis humani Jesum, perjure negasset, *gallum cecinisse* tradit, quo audito egressus foras, uberibus lacrymis commissam culpam deflevit. Multi sacrum codicem & legerunt & commentariis illustrarunt, quibus id nec mirandum adeo nec animadversione dignum videbatur, GALLI CANTUM HIEROSOLYMIS AUDITUM *fuisse*. Et, nisi vehementer fallor, etiam inter vos, qui me verba facientem auditis, reperiuntur, quorum mentibus eadem opinio insidet, nihil hic magnopere attendendum aut notandum esse. Conabor tamen efficere, ut intelligatis, scrupulum haud exiguum in iis residere; de quo enucleatius dicere, & palam facere, ubi hæreat, deinde evellere, constitui. Qua

opera

opera & lux aliqua inferetur ſacris tabulis, & veritas rerum iis contentarum adverſus Chriſtiani nominis hoſtes firmabitur. Nec a diſciplina, quam auctoritate publica doceo, hoc argumentum alienum eſt, nec ab hoc ipſo Inaugurationis ritu, quo faſces Academicos ei Viro traditurus ſum, qui artes Apollinis & Æſculapii, quibus GALLUS ſacer eſſe dicitur, in hac Academia profitetur.

§. III.

Urbem HIEROSOLYMAM, præ univerſo terrarum orbe, a ſummo Numine deſtinatam olim cultui Levitico ac ſolemnibus populi Judaici ceremoniis fuiſſe,& ſingulari ſanctitate præditam,res eſt notiſſima: unde nomen URBIS SANCTÆ, & *Cadytis*, ut nonnullis viſum eſt, ei adhæſit. Hujus *ſanctitatis* quum multa eaque clariſſima indicia extent in ſacris monumentis, minutatim ſingula perſecuti ſunt Hebræorum doctores, quibus urbs Hieroſolymitana ante alias eminuit. Solent hæc ad *decem* capita referre; e quibus *primum* eſt, domos in hac urbe non vendi ea lege, ut ſi intra anni ſpatium redemtæ non ſint, emtori ſtabilis & certa permaneat earum poſſeſſio. Qua de re lex a Deo ſcita legitur in capite Levitici quinto & vigeſimo. *Alterum*, non teneri eam lege de afferenda vitula ad expiandam cædem, incerto auctore patratam. *Tertium*, exemtam illam eſſe e numero civitatum, quæ impulſu aliorum ad cultum falſi numinis aut imaginum deduci poſſunt, & deductæ exſcindi debent mandato Dei, in capite tertio & decimo Deuteronomii. *Quartum*, domos ejus non infici lepra illa contagioſa, quæ ipſos lapides & parietes ædium invadere in Palæſtina ſolebat. *Quintum*, illic non porrigi ex ædibus trabes vel Meniana, quæ alii vocabulo projectorum nuncupant, ne, qui ſub iis in platea ambulant, ex cadaveribus ſub terra latentibus, aut particula eorum, immunditiem con-

trahant, si superne trabs speciem tectæ porticus aut tabernaculi faciat, quum unumquemque pollui lex divina doceat, qui in eodem tabernaculo cum cadavere versatur. *Sextum*, non inveniri in illa stercoris & sordium acervos, e quibus bestiæ serpentes & immundæ gignuntur, quarum contactu cibos & homines inquinari, lege Dei sancitum est. *Septimum*, nullas illic exstrui fornaces calci parandæ destinatas. *Octavum*, hortos ibi nullos esse, qui cum stercorari debeant, animalia immunda progignunt. *Nonum*, ad quod attendere vos volo, quum ad quæstionem, quæ nunc in manibus est, maxime faciat, *nullos in ea GALLOS nutriri.* Cui *decimum* addunt, mortuum eo die, quo ex hac vita migravit, urbe esse efferendum.

§. IV.

Videtis, opinor, Auditores; nodum hic esse difficilem, qui expediri meretur. Etenim, *si Hierosolymis galli non fuere*, ne terram pedibus dissipantes immunda animalia eruant & res sanctas contaminent, *quomodo Petrus gallum cantantem ibi audivisse dicitur?* Sunt, qui putant, nullo negotio hanc difficultatem tolli, si dixerint, falsum esse, quod Judæi tradunt, legem olim latam fuisse de gallis in urbe Hierosolymitana non alendis; & hoc ipsum ex corpore Talmudico infirmari ac dilui posse, in quo nonnulla his contraria inveniri perhibent. Quippe in eo legitur, gallum, qui rost um puero in caput infixerat, lapidibus obrutum fuisse Hierosolymis: quod legem a Deo latam de interficiendo bove, qui plagam mortiferam alicui inflixit, non de bubus tantum, sed de quibusvis best s nocentibus, intelligi debere, Doctorum Judaicorum sententia sit. Quum vero in eodem loco, quo vulnus acceptum erat aut cædes commissa, reus plecti debuerit, sequitur, Hierosolymis peractam fuisse cædem, ubi sumtum de eo supplicium

plicium fuit. Hierosolymis ergo, dicunt, fuere galli, qui & vulnerare illic hominem & morte mulctari potuere. Equidem demonstrari hic non video, culpam a gallo Hierosolymis commissam fuisse, licet illic pœnam subierit: quia sententia de bove, atque ita etiam de gallo puniendo, non quovis loco ferri potuit; sed illo solum, in quo considerent & de causis cognoscerent judices tres & viginti, uti in codice *de Synedriis* traditur. Quod si itaque fingamus, in loco aliquo non longe ab Hierosolymis, ubi non nisi trium virorum consessus erat, qui de re pecuniaria solum & minoris momenti judices erant, vulnus puero a gallo inflictum fuisse, debuit ad alium locum & majus tribunal deferri, ubi trium & viginti judicum consessus erat, qualis sine dubio Hierosolymis fuit; ubi non modo Synedrium magnum consedit septuaginta virorum, sed duplex concilium virorum trium & viginti, unum in monte templi quem vocant, alterum ad ostium atrii. Non ergo inde sequitur, eum gallum Hierosolymis fuisse nutritum. Quod etsi illud in ipsa urbe a gallo commissum fateremur, necdum tamen inde efficeretur, eum ibi pastum, sed tantummodo eo delatum fuisse; quod varias ob causas potuisse fieri, mox docebimus.

§. V.

Sed acrius telum est, quod in nos intendunt, depromtum ex iis verbis pandectarum Judaicorum, quæ in enarratione rituum sacrorum in templo Hierosolymitano servatorum *cantum galli* memorant, quo audito se unusquisque quotidie ad opus accingebat. Plane, dicunt, atque aperte in codice, TAMID appellato, doctores Hebræorum loquuntur, olim eum sacerdotem, qui ab altari exteriori cineres removeret, se lavisse ante adventum præfecti: hunc vero summo mane januam pulsasse illius conclavis, in quo

ſacerdotes eo die ſacris operaturi ſomnum capiebant, eumque non ſemper eadem hora venire ſolitum, ſed nonnunquam ad *cantum galli*, aliquando ante vel poſt. In eandem ſententiam in codice JOMA traditur: ſingulis diebus cineres ex altari amovebant ad *cantum galli*, vel ocyus paulo aut tardius. Verum die expiationis anniverſariæ a media nocte, tribus autem feſtis maxime ſolemnibus, paſchate ſcilicet, pentecoſte & feſto tabernaculorum, a prima noctis vigilia. Nec inſtabat galli cantus, quin atrium refertum eſſet turba Iſraelitarum. Denique in codice SUCCA legitur, quum feſti dies, aut noctes verius, tabernaculorum agerentur, ſacerdotes duos ſtetiſſe in porta ſuperiore, qua ex atrio Iſraelitarum ad atrium mulierum deſcenditur, & ad *cantum galli* tubas inflaſſe.

§. VI.

Ex his patere arbitrantur, falli doctores Hebræos & ſibi adverſari, qui *nullos* omnino *gallos* Hieroſolymis nutritos fuiſſe affirmant, quum ex ipſis eorum ſcriptis doceri poſſit, quotidie *galli cantum* fuiſſe auditum ante exordium cultus ſacri in templo peragendi. Commenti etiam fuere, quum Talmudicos diſſentire de vi vocum קרא הגבר animadverterent, & alii eas per *cantum galli*, alii per *clamorem viri* explicarent, neſcio quem gallum ſacrum, in templo nutritum, cujus hunc uſum fuiſſe volunt, ut cantu ſuo indicium inſtantis auroræ faceret, & ſacerdotes officii ſui admoneret. Ego vero nunquam mihi perſuadere potui, pulcherrimum illum ſacrorum ordinem, qui tanta cum diligentia obſervabatur, a re tam lubrica & incerta, ac galli cantus eſt, fuiſſe ſuſpenſum. Quid enim, ſi contingeret, gallum non ceciniſſe, ideone nec Sacerdotes nec Levitas tempore legitimo ſacris operatos credemus? Prohibent præcepta patrum Hebræorum, qui curioſius, quam in tabulis

Mo-

Mosaicis jussum erat, singulas partes functionum sacrarum ordinarunt, ne vel minima perturbatio locum habere posset, & decore, uti ipsis quidem videbatur, omnia peragerentur. Ex illorum decreto, primo quidem post lustratum a sacerdotibus atrium, unus ex iis, sortitione facta designatus, cineres tollebat ab altari exteriori, in quo postquam suo loco dispositæ essent lignorum strues ad alendos ignes, sortes iterum per capita ductæ tredecim viros indicabant, qui in mactatione & oblatione agni occuparentur. Mox, ubi speculator plagam cœli orientalem luce perfundi clamaret, agno ex conclavi deducto, eidem ad apertionem portæ magnæ, quæ in sanctum ita dictum patefaciebat aditum, jugulum incidebatur. Deinde sacerdotes duo in sanctum ingressi cineres ab altari interiori removebant, & purgabant quinque lampades. Tum membra agni ad clivum delata & sale conspersa deponebant, ut tertium & quartum ductis sortibus intelligerent, quis thus atque odores incenderet, & quis membra victimæ a clivo ad summum altare deferret. Quibus peractis incendebantur odores, lampades duæ reliquæ lychnuchi purgabantur, & agni membra in altari conflagrabant. Denique fertum holocausto illi congruum, & crustula pontificis maximi offerebantur, adjuncto vini libamento. Quæ cum ita se habeant, quis credat, Judæorum Doctores, in horum omnium tempore atque ordine definiendo tam curiosos, voluisse, initium horum sacrorum ab audita voce galli alicujus, qua nihil est incertius, ducendum fuisse?

§. VII.

Quam ergo, dicetis, illa verba, quæ paulo ante recitata sunt, habent sententiam, in quibus aperte mentio *cantus galli* fit? Duplici modo ad illa responderi potest. Primo, voci Hebrææ גבר, quæ Latine red-

reddita *gallum* significat, etiam hanc vim subesse, ut *virum* notare possit. Et profecto inter ipsos Hebræorum doctores inveniuntur, qui omnibus illis locis, quæ commemoravimus, ea verba non per *cantum galli*, sed *clamorem viri* exprimenda esse, contendunt. In ipsa GEMARA, ut pateat, hanc opinionem novam non esse aut recentem, hæc verba קרא הגבר explanari videmus per illa כרוז כרוזא *clamavit præco*. Sic ut putent, virum aliquem fuisse, qui id habuerit muneris, ut voce sua admoneret sacerdotes appropinquantis auroræ, quique fortassis etiam a similitudine quadam, quæ illi hac parte cum gallo erat, *galli* nomen invenerit. Firmat hanc sententiam, præfectum portis atrii aperiendis nomine בן גבר, *filii galli*, esse nuncupatum, uti liquet ex codice, in quo agitur de siclis.

§. VIII.

Mihi tamen, ut verum fatear, non placet hæc responsio. Quamvis enim inficiari non possim, vocem גבר *Virum* quandoque significare, non tamen arbitror, in iis, quæ a me statim ex Talmude prolata sunt, hanc notionem illi esse subjectam. Si enim *clamor viri* intelligendus est, qui certo tempore mane audiebatur, quidni dicunt, initium sacrorum factum esse, aut præfectum ad conclave, in quo sacerdotes erant, advenisse, simul ac vocem illius Viri audiverant, uti de agno iidem scriptores prodiderunt, statim ac vox speculatoris ברקאי *Lucet* audita fuerat, agnum ex conclavi agnorum fuisse delatum, eundemque statim ac templi fores crepuerant, jugulatum fuisse? Cur dicere malunt, vel paulo ante clamorem Viri vel paulo post, nonnunquam ocyus, aliquando tardius, id contigisse? Quod tam dubio temporis intervallo circumscribi non debuisset, si ad vocem hominis isti negotio præfecti fuisset

ſet dirigendum. Præterea memoratur quidem vox Gabinii præconis גביני כרוז, quæ longiſſime fuit exaudita; & negari non poteſt, aliquem in templo præconem fuiſſe & præfectum temporibus, ſed illum indicari his verbis קרא הגבר, nondum liquet. Imo ſi illum indicare voluiſſet ſcriptor codicis TAMID, quidni eum capite primo nominatim Gabinium præconem appellaſſet, uti capite tertio. Non enim uni tantum, ſed omnibus nomen *Gabinii* tribuunt. Sic nihil fuiſſet in dictis lubricum, nihil ambiguum. Cur iis verbis utitur, quæ æque de cantu galli quam de clamore viri intelligi poſſunt? Quid? quod in codice TAMID, in quo accurate ratio ſacrorum quotidianorum traditur, nulla formulæ, qua præconem uſum volunt, mentio fiat. Nec enim is ſpeculator, qui mane, ſimul atque lucebat, voce ברקאי ejus rei indicium dabat, hoc verbo ſacerdotes & Levitas ad opus ſuum excitaſſe dici poteſt, quum ſacerdotes diu ante illum clamorem in officio ſuo jam verſarentur. Denique (fateor) in ipſa GEMARA codicis JOMA quidam ſapientes hæc ipſa verba קרא הגבר ad *clamorem viri* referunt, qui mane ante ortum auroræ hac formula uſus fuerit: *Sacerdotes ad opus veſtrum, Levitæ ad ſuggeſtum, Iſraelitæ ad ſtationem!* Sed quum ibidem aliorum ſententiæ in diverſa abeant, qui ea de *cantu galli* intelligenda arbitrentur, licebit mihi illorum amplecti ſententiam, quam ſimillimam veri cenſeo. Nec, ſi vel maxime concedam, præfectum temporibus ea formula mane uti ſolitum, ſequitur ilico, verba Hebræa, de quibus diſputamus, ad vocem illius præfecti ſpectare. Imo, quum plerumque de *cantu galli* a Judæis uſurpari ſoleant, nulla neceſſitas nos cogit, neglecta vi verborum uſitata ac trita, aliam minus cognitam & idoneam iis attribuere.

§. IX.

Quandoquidem ergo illa verba, quæ in duas par-

partes accipi possunt, per *clamorem viri* Latine non bene reddi contendimus, restat, ut dicamus per *cantum galli* ea verti oportere: Non quidem in eam sententiam, ac si necesse fuisset, singularis cujusdam galli vocem exaudiri, antequam sacerdotes ad munus suum se conferrent, sed quatenus tempus illud designant, quod & nos gallicinium appellamus, & Græci ἀλεκτρυόνων ᾀδόντων. Ita solent Hebræi iis ipsis verbis uti, cum in consuetudine scribendi, tum sermocinandi. Quod verba superius allata ex MISNA JOMA firmant, ubi cantus galli, media nox, & prima noctis vigilia, tanquam partes noctis recensentur, quemadmodum & in Gemara Hierosl. codicis PESACHIM 37. 4. קרות הגבר *gallicinium*. In Gemara Hierosl. Codicis KILAIM 32. 2. narratur, quum celeberrimi doctoris R. JUDÆ, quo neque sapientior quisquam neque sanctior illa ætate vixisse creditur, funus elatum fuit, perturbato naturæ ordine diem usque eo productum fuisse virtute divina, ut sole occidente gallus canere inciperet, ubi eadem verba Hebræa leguntur. In Babylonico codice JOMA 21. 1. dissuadetur iter susceptum ante cantum galli קודם קריאת הגבר, quo loco & *secundus* (cujus MARCUS quoque meminit) *cap. 14. comm. 30.* & *tertius cantus* distincte commemorantur, quos diversis temporum intervallis *galli* edunt; quo modo & THEOCRITUS *Idyllio 24.* de *cantu gallorum tertio* scripsit:

Ὄρνιθες τρίτον ἄρτι τὸν ἔσχατον ὄρθον ἀειδον.

Adeoque existimamus, quum Hebræi tradunt, præfectum ad sacerdotes accessisse circa cantum galli, aut instante galli cantu atrium ab Israelitis completum fuisse, tempus inter mediam noctem & auroram indicari, nec inde colligi posse, gallorum cantum ibi auditum fuisse. Quid enim? An mihi dicere non licebit, etiamsi ne unus quidem in hac urbe gallus aleretur, rem aliquam accidisse *sub* vel *ad cantum*

tum

tum galli: quibus verbis HORATIUS usus est initio *sermonis primi* & JUVENALIS *satyra IX.* In eandem sententiam scriptum est *libro tertio Hasmonæorum, Cap. 5. 15.* Ἄρτι δὲ ἀλεκτρυὼν ἐκέκραγεν ὄρθριος. Quod non de cantu galli cujusdam singularis, sed de gallicinii tempore, intelligendum esse, res ipsa declarat. Eleganter gallum ὄρθριον appellat. Scilicet veteres ὄρθρον præcedere auroram dicebant, uti testatur PHRYNICHUS in *ecloga dictionum Atticarum.* Quamvis enim multos scribat, sua ætate nomine ὄρθρυ nuncupare tempus, quod ortum solis proxime antecedit, & prisci ἕω sive auroram appellabant, vult tamen vocabulum ὄρθρος illi tempori aptissime tribui, quod ante lucem ipsamque adeo auroram labitur, quo lucernæ lumen adhibere necesse est. Unde & THEOCRITO gallus ὄρθριος dicitur multo elegantius quam ἠῷος; non enim ante solis modo, verum etiam auroræ & lucis ortum galli canunt, silentio noctis, ut ait ENNIUS: quapropter olim Nocti sacra fiebant gallo, & uti Ἠὼς sive aurora *nuntia solis* esse fertur, sic ὄρθρος *nuncia auroræ.* Idem observatum cernimus in hoc disticho THEOGNIDIS:

Ἑσπερίη δ' ἔξειμι, καὶ ὀρθρίη αὖτις ἔσειμι
Ἦμος ἀλεκτρυόνων φθόγγος ἐγειρομένων.

Distinxit etiam accurate gallicinii tempus sacer scriptor MARCUS: *Nescitis*, inquit, *quando dominus domus veniat, sero an media nocte, an galli cantu*, ἢ ἀλεκτοροφωνίας, *vel mane*, πρωΐ: ubi *gallicinium* inter noctis medium & auroram interponitur. Quæ quidem ex CENSORINI libro *de die natali* illustrantur, ubi hæc leguntur: *Tempus, quod nocti mediæ proximum est, vocatur* de media nocte; *sequitur* gallicinium, *cum galli canere incipiunt; Dein* conticinium, *cum conticuerunt; Tunc* ante lucem, *& sic* diluculum, *cum sole nondum orto jam lucet.*

§. X.

§. X.

Apparet itaque ex verbis doctorum Talmudicorum, probari liquido non posse, gallos Hierosolymis educatos fuisse, nec aliquid inde inferri, quod veritatem illius sententiae labefactet, gallos ibi pascere non licuisse. Sunt tamen alii, qui existimant, se falsi arguere posse doctores Hebraeorum ex his ipsis verbis historiae Evangelicae, in quibus illustrandis versamur. Manifestum est, inquiunt, nullam fidem habendam esse patribus Talmudicis, quum gallos Hierosolymis fuisse negant. Contrarium enim docet historia mortis Christi & aperte indicat, Petrum illic gallum cantantem audivisse. Et vel hoc unum sufficere arbitrantur, non solum ad imminuendam, verum etiam ad evertendam funditus auctoritatem omnium illarum rerum, quae veluti ab antiquissimis temporibus ductae tum in Misna tum Gemara a Judaeis traduntur. Ego autem in longe alia opinione versor, & quamvis nec possim nec velim patrocinium suscipere illius disciplinae, quam sermonibus velut per manus traditam ferunt, & omnium legum, quas doctores Hebraei specioso antiquitatis velo obtendunt, iniquum tamen esse puto, illis res suas narrantibus eam fidem recusare, quam scriptoribus Graecis & Romanis habemus, si quae ab iis traduntur nec rationi nec certissimis aliorum, eorumque plurium scriptorum, testimoniis adversa sint. Quamobrem si, quod illi narrant de gallis, hos videlicet alere in urbe Hierosolymitanâ interdictum fuisse, conciliari possit cum scriptis novi foederis, quid causae est, quo minus credi debeat, eos vere id prodidisse? Tentemus ergo & disquiramus, an haec secum ita pugnent, uti prima specie apparet.

§. XI.

Legitur in Evangelio MATTHÆI, Petrum, qui Hie-

Hierosolymis erat, audivisse gallum canentem. Ipse gallus Hierosolymis fuisse non legitur. Potuit vox galli extra Hierosolymas edita ad ipsam urbem & aures Petri deferri. Situs urbis Hierosolymitanæ, quæ diversis montibus insidebat, non parum huc facit: quum loca excelsa voces missas recipiant, quæ plana præterlabuntur; & ipsum noctis tempus, quo sonos multo longius propagari quam interdiu novimus. Ne jam de ventis loquar, qui cantum galli clarius & fortius ad aures Petri deferentes, multum augere vim soni & provehere potuerunt. Certe memoriæ proditum est, in Sicilia audiri posse voces gallorum, qui in Italia canunt, licet fretum Siculum interjectum sit. Ita scribit SILIUS ITALICUS *lib. 14.*

Ex illo servans rapidus divortia Nereus
Sævo dividuos conjungi pernegat æstu.
Sed spatium, quod dissociat consortia terræ,
Latratus fama est (sic arcta intervenit unda)
Et matutinos volucrum transmittere cantus.

Volucrum nomine *gallos* intellexisse SILIUM, tuto creditur, quum Græci eos ὄρνιθας, Latini aves, vulgo nuncupare soleant. Quod si quis minores aves hic indicari contendat, utique cantus gallorum, qui magis canori sunt, æque percipi poterat. PLINIUS quoque *lib. 6. c. 1.* eo loco, quo de Bosphoro agit Asiam ab Europa dividente, tradit, *alitum cantus canumque latratus invicem audiri: Vocis etiam humanæ commercia, inter duos orbes manente colloquio, nisi cum id ipsum auferunt venti.* Idem hodie de Constantinopoli narrant, illic gallos in Asia canentes audiri. Quod si cives Constantinopolitani in urbe sua gallos in opposito Asiæ litore, a quo intermedio mari disiungitur, cantantes audire possint, uti fertur, minime mirum nobis videri debet, Petrum Hierosolymis

gallum extra urbem canentem audivisse. Quacunque enim in regione urbis ædes pontificis maximi Cajaphæ fuisse credantur, propiores certe fuerunt mœnibus urbis, quam Asia Constantinopoli. Quod si in monte Zion eo loco fuerint sitæ, quo eas collocat diligentissimus investigator Antiquitatis Judaicæ VILLALPANDUS, qui triginta annos describendo templo & urbi Hierosolymitanæ impendit, vix tribus stadiis a turri Hippico, ipsisque muris civitatis abfuerunt,

§. XII.

Dici etiam potest, legem de non nutriendis in urbe gallis, latam esse solis Judæis. Id res ipsa & finis legis declarat. Data fuit, ne in urbe, ubi *sancta* quæ vocant *levia*, portio scilicet ex sacrificiis salutaribus privatis, agnus paschalis, decima animantium, decimæ secundæ & fructus plantæ quadriennis, comedi ab Israelitis debuerunt, contactu reptilium, quorum partes galli gallinacei ex terra unguibus eruere possent, contaminarentur. Itaque quod in urbe Hierosolymitana Israelitis erat interdictum, id ipsum per universam terram sanctam prohibitum erat sacerdotibus: quod non in metropoli solum, sed per omnem terram Israeliticam liceret sacerdotibus primitias frugum, quas Hebræi תרומות vocant, comedere. Quamobrem, etiamsi Judæis non liceret gallos Hierosolymis alere, quid hoc ad Romanos, quibus eo tempore Judæi parebant? Metus non erat, si vel Pilatus vel alius quispiam Romanorum gallos in cavea inclusos aleret, inde cibos sacros Judæorum immunditiem contracturos. Quum enim ipsi tam sollicite caverint, ne ingressi in prætorium Pilati polluerentur, inepti videlicet futuri ad comedenda sacra, multo magis censendi sunt, cibos sacros conservare a pollutione immunes potuisse. Nec profecto credibile est, (licet de Antiocho rege Asiæ constet, eum vetuisse

tuisse Hierosolymis alere animantia Judæis interdicta) procuratorem Pilatum, cujus mores longissime recedebant ab illius Antiochi, quique Judæis, signa militaria & effigiem Cæsaris in urbe ferre nolentibus, mortem minari ausus fuit, nec ærario sacro manus abstinuit, aliosque Romanos, qui cum ipso Hierosolymis degebant, voluisse gallorum usu abstinere in Judæorum gratiam, & his gulæ deliciis mensam suam privare. Quod ut exemplo quodam, a re non multum dissimili petito, illustremus; porcos quidem alere, Israelitis omnibus erat interdictum, terram sanctam inhabitantibus. Leguntur tamen Gadareni, qui partem hujus regionis incolebant, sues pavisse, in Evangelio Matthæi *cap. 8.* At qui illi? non Judæi, sed gentes, uti ex scriptis JOSEPHI liquet. Quemadmodum itaque contra decretum senatus Judaici in terra sancta porci nutriti sunt, ita quoque galli Hierosolymis.

§. XIII.

Quod si a moribus domesticis Romanorum ad disciplinam augurum nos transferamus, inde quoque aliquid peti potest, quod huic materiæ lucem fœneratur. Romani bellicam rem administrari nisi auspicato noluerunt. Quapropter illi, qui ad provincias mittebantur, solebant, ut ubique auspiciis uti possent, pullos secum ferre caveæ inclusos. E quibus quum captanda erant auguria, oblata pultis offa, & illi, qui in auspicium adhibetur, ita imperante eo qui auspicatur: *Dicito, si silentium esse videbitur*, nec suspicit, nec circumspicit; statim respondet, *silentium esse videri.* Tum ille; *dicito, si pascuntur. Pascuntur.* Quod si offa cecidisset ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nunciabant, uti legere est apud CICERONEM *libro secundo de Divinatione.* Si itaque Pilatus hunc morem secutus pullos Hierosolymis auspiciorum causa nutrivit, quidni aliquem ex iis audire Petrus canentem potuit?

 §. XIV.

§. XIV.

Verum nihil opus eſt de Romanis id ſuſpicari, & illis gallorum educationem in urbe ſancta contra præcepta Judæorum attribuere. Ea erat conditio perditorum illorum temporum, ut hi ipſi inter Judæos, quorum erat, leges patrias & conſuetudines tueri, reges nimirum, pontifices maximi & ſenatores, qui plerumque hæc magna nomina nundinabantur, eas turpiter neglexerint. Scilicet illi, qui contra Dei ipſius voluntatem in homines rerum omnium rudes, ſceleratos, nec ex legitima ſtirpe profectos, pontificatum conferebant; qui circos & amphitheatra ad curſus & venationes in illa urbe, quam ſummum Numen præ omnibus totius univerſi civitatibus ſuo cultui ſacraverat, erigebant; qui inceſtis conjugiis & libidinibus ſe inquinabant; quibus denique nihil unquam nefas erat, dummodo potentiam aut opes conſequerentur; illi (quis credat?) legem de non alendis in urbe gallinaceis ſanctius obſervarunt?

§. XV.

Præterea verba legis ipſius prohibent duntaxat gallos *alere*, non vendere nec comedere. Quid ſi ergo dicamus, hunc quoque gallum ex illorum numero fuiſſe, qui venditi, ut menſæ iis exſtruantur, Hieroſolymas delati erant, & ea nocte, quæ illi ſuprema fuit, vocem edidiſſe, uti conſueverat. Liquet etiam ex iis, quæ modo diximus, non venire in dubium, an galli aliquando Hieroſolymis fuerint; id enim ipſi Judæi fatentur, quum lapidibus obrutum illum narrant, qui puerum necaverat. Fateor, hanc rem fuiſſe ſingularem, nec quæ quotidie contingit. Scio tamen, quod tunc contigit, alio quoque tempore ob diverſas cauſas, quas enumerare neceſſe non eſt, contingere potuiſſe. Nec omnes rerum eventus & caſus a ſcriptoribus illorum tempo-

rum

rum memoriæ ſunt proditi: quod ſi præſtitum fuiſſet, fortaſſe in hoc ipſo argumento, in quo verſamur, non laboraremus.

§. XVI.

Denique ſilentio prætereundum non eſt, ſuſpicari aliquem poſſe, hanc legem de non nutriendis in urbe gallis, poſt id tempus latam fuiſſe, quo Chriſtus captus eſt, & Petrus gallum canentem audivit. Spectabat illa unice ad conſervandam puritatem ciborum. Docemur autem in ſacris literis, Judæos temporibus illis, quibus Soſpitator noſter in his terris vixit, maxime ſtudioſos fuiſſe munditiei, & præcipuam partem cultus divini in ea poſuiſſe. Quæcunque etiam de hac re in Talmude decreta extant, doctoribus illis accepta feruntur, qui non multo ante templi ſecundi excidium vixerunt: quamvis non ignorem, ea Judæos ab ultima usque antiquitate repetere, & illos, quorum nomina legum tituli præferunt, non ut auctores, ſed teſtes laudare. Videntur ergo tunc ſtudio ſingulari in id incubuiſſe, ut pura ab impuris ſollicite ſecernerent, & ea ſciſcerent, quæ ad ſervandam puritatem locorum, hominum, veſtium atque ciborum, conferre exiſtimabant. Præcipue autem huic rei operam dabant Phariſæi, quorum ſecta non ita diu ante Chriſti ætatem orta, paulatim majora incrementa cepit, duce inprimis Hillele, ampliſſimi concilii Hieroſolymitani præſide, qui Chriſto vivente hoc munus obibat, donec univerſum fere populum ſuperſtitione ſua infecit. Adeoque poſſet illa lex *de gallis non alendis* ſerius eſſe lata, quam Chriſtus mortem oppetiit; & ſi hoc modo tempora diſtinguamus, ſcriptores ſacri & magiſtri Hebræorum pugnantia non fuiſſent locuti.

§. XVII.

Ex quibus omnibus illud perſpicuum eſt, Auditores,

tores, plus una via veritatem historiæ Evangelicæ in tuto collocari, nec ullam necessitatem nos cogere, ut legem Judaicam de gallis in metropoli Palæstinæ non educandis suspectæ fidei habeamus. Nihil amplius, ut opinor, desideratis, postquam docuimus in Talmude galli quidem mentionem fieri, Hierosolymis puniti, quem tamen illic alitum fuisse probari nequit: Gallum sacrum, qui cantu suo sacerdotes ad operas excitaverit, figmentum esse; nec viro cuidam, eodem cum gallo nomine dicto, id tribuendum videri; sed tempus gallicinii per cantum galli in Talmude memoratum innui: nihilominus gallum extra Hierosolymas canentem in urbe audiri potuisse; & eam fuisse conditionem illorum temporum, ut varii modi concipi queant, quibus etiam intra urbem galli existere vel ali a Romanis, aut ab ipsis Judæis, leges patrias negligentibus, potuerint.

§. XVIII.

Erunt fortasse, quibus hæc minuta videbuntur, nec tanti momenti, ut multum operæ & curæ in iis indagandis collocetur. Erunt, qui sua interesse non putabunt, utrum galli cecinerint Hierosolymis, nec ne. Illi tamen velim attendant, nihil habendum esse pro re minuta aut indigna, ad quam animum nostrum adhibeamus, quæ ad illustrationem sacri codicis facit. Minima, quæ in eo continentur, summa cum sapientia & certo consilio consignata sunt, & quum ne minimus quidem apex ex eo periturus sit, in ipso illo vestigia divinitatis rimari, & pium & decorum est. Quod nimis minutum Deo visum non fuit, qui nobis id revelavit, nobis minutum nimis videri non debet, quam ut illud scrutemur. Quemadmodum in hoc mundo, quem incolimus, minima quæque tum animalcula tum alia, licet vulgo neglecta, si penitius introspiciantur, latissimum meditandi campum & novum quasi mundum nostræ menti aperiunt,

riunt, & summi Opificis immensam sapientiam arguunt, nihilo minus vel magis etiam, quam illa majori mole prædita, quæ sensu ab omnibus percipiuntur; ita in sacris tabulis, in quibus nihil frustra scriptum invenitur, minima quæque nos ducunt ad eximios illos fines, Dei gloriam & nostram in communione Dei salutem. Atque eo quidem diligentius nos in iis rimandis versari oportet, quo frequentius homines impii sacrarum tabularum auctoritatem & divinam originem labefactare conantur admotis istiusmodi machinis. Scilicet in eo perversi sui ingenii vires exercent, quæ pessima hujus sæculi labes est;) ut in sacro codice aliquid scriptum videatur, quod veritati adversum est. Adeoque si consensu scriptorum quorundam profanorum rem firmari deprehendant, quæ in libris sacris aliter traditur, hos esse corruptos clamant. Quod si in uno loco contigit, ad plura, ut hoc pacto omnia reddantur incerta, extendi posse affirmant, atque ita sat magnum impietati suæ præsidium se nactos existimant. Est ergo non utile solum, sed maxime necessarium, sacra oracula contra nefarios sceleratorum hominum impetus tueri, & ostendere, nuspiam ea repugnare testimoniis scriptorum probatæ fidei, ut omnis vel minimus aditus iis obstruatur, per quem hanc arcem invadant & palladio rei Christianæ potiantur. Vidimus nostra ætate, in urbem, quæ undique contra hostem externum satis munita videbatur, per angustos meatus cloacæ publicæ, a nullo fere animadversæ, certe neglectæ, militem irrupisse. Quamobrem cavere nos decet, quantum efficere & consequi possumus, ac diligenter circumspicere, ne socordia nostra & ignavia simile quidpiam nobis eveniat.

§. XIX.

Ego quidem omnem animi contentionem adhibebo, nec dimittam istam curam: sed quemadmo-

dum mihi hactenus in illustrando codice sacro & antiquitatibus eo facientibus plurimum studii fuit & temporis, ita porro horas meas eidem occupationi, Deo volente, consecrabo. Nec leviter Vos me currentem incitatis, & animos mihi additis, Nobilissimi atque Amplissimi Consules & Senatores, Academiæ hujus Curatores, qui me singulari benevolentia prosequimini; cujus hic ipse dies certissimum testimonium exhibet. Placuit Vobis, mihi hoc anno Academiam vestram regendam committere, & muneris nostri molestiam hoc quasi condimento mitigare. Quod uti honorificum mihi esse & publicum favoris vestri indicium sentio, ita gratias, quas debeo, me Vobis habere profiteor. Scio in id Vos omni cogitatione & cura incumbere, ut hæc Academia floreat, & juvenes in omnibus artibus & disciplinis hic ita erudiantur, ut nulli Academiarum hac parte palmam cedere cogamur. Ad me quod attinet, certos Vos esse volo, me isti desiderio Vestro cum incredibili animi voluptate obtemperaturum.

XX.

Tu autem, qui mihi in hoc munere successor datus es, Celeberrime Vir, JACOBE VALLAN, Collega Conjunctissime, suscipe munus tibi delatum, quo vix ullum in re publica literaria est illustrius. Rarissime in hac Academia contigit hos honores *quarta vice* in aliquem conferri. Gratulor illud hoc die tibi accidisse, & cum ante te *tres* Viri Clarissimi, GISBERTUS VOETIUS, CYPRIANUS REGNERUS *ab* OOSTERGA, & JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS, iisdem honoribus *quater* amplificati sint, ut *quartus* es, qui *quartum* hujus Academiæ Rector salutaris. Accipe sceptra hæc Academica, insignia dignitatis tuæ, mihi quidem prælata hactenus, nunc Tibi præferenda. Accipe sigilla, fasces, album, & quæcunque porro RECTORIS MAGNIFICI curæ tradi

tradi atque committi solent. Fruatur Te sospite & incolumi Academia hoc anno vertente, & pluribus consecuturis, ut non hoc tantummodo bonæ mentis sacrarium, sed universus orbis literatus; non hi soli, qui nunc sunt, homines, sed ii etiam, qui futuri sunt; fructum ex Te percipiant.

III.

SAMUELIS KOENIGII,

Prof. Bern. Extr.

Disquisitio Philologica,

An & ubinam

De

CRUCE CHRISTI

IN V. T. FIAT MENTIO?

Argumentum.

Locus Arabis in Psal. 38: 21. de Christo crucifixo suspectus. §. I, II. Locus Psal. 119: 120. ex LXX. examinatus. Verbum סמר *horruit*, & *clavis confixus est*. §. III-V. Verus loci sensus §. VI. Serpens æneus figura Christi crucifixi, ex Num. c. 21. & Joh. 3. Verbum שוף Gen. 3: 15. notat *contrivit*, & *perforavit*. §. VII. Locus Deut. 21: 23. *Maledi-*

ctio Dei est suspensus, Christo applicatur. Verbum הוקיע *in cruce distendit*. §. VIII. In loco Jes. 53: 5. מחלל Christus *perforatus* instar tibiæ, vasisve terrebrati, factus est מקור נפתח fons apertus, Zach. 13: 1. §. IX. In loco Zach. 12: 10. דקר *perfodit, confodit*, ἐξεκέντησαν. Joh. 19: 37. Apoc. 1: 7. §. X. Manifestissimus de Cruce Christi locus est Ps. 22: 17-19. §. XI. pro כארי cum Masora legendum כארו §. XII. Agni paschales duobus confixi verubus, unctioque in formam X h. e. Chi Græci, τεκμήρια crucis Christi. §. XIII.

§. I.

DE Messiæ παθήμασι in quamplurimis locis propheticis agi, ne quidem Judæi diffitentur, fatentur vero Christiani omnes, præeuntibus Apostolis. Sed inquiramus nunc, bono cum Deo: an de *supplicio crucis* speciatim fiat mentio in criptis Sacrorum Prophetarum.

§. II.

§. II. ARABS equidem Psalmi tricesimi octavi versum vicesimum primum cum auctario vel assumento exhibet: *Elongarunt me, & repulerunt me tanquam mortuum*, וסמרוא גסדי *& clavis confixerunt corpus meum*. Quod si nobis certa fides facta esset, verba hæc esse genuina, inque Textu Hebræo extitisse, esset quod nobis gratularemur. Sed cum Textus Hebræus ea ignoret, desiderenturque in Chaldæo, LXX. Vulg. Syr. & Æth. tuto iis inniti non audemus, ceu suspectis. Videtur, vel ipsum interpretem Arabem, vel alium quemvis, hisce verbis suam de sensu hujus Psalmi, ceu ad παθήματα Christi applicandi, mensem aperire voluisse.

§. III.

§. III.

In Textu Græco vero τῶν ὀ mentio fit de Cruce Christi, vel potius crucifixione mystica Veteris hominis. Nimirum Psal. 119: 120. Καθήλωσον ἐκ τοῦ φόβου σου τὰς σάρκας μου. *Clavis confige timore tui carnes meas.* *AQUILA* verò, adnotante DRUSIO: ἡλώθη ἀπὸ πτοήσεως σου ἡ σάρξ μου. *Clavis confixa fuit præ consternatione tui caro mea.* *THEODOTIO*: Καθήλωσεν ἐκ τοῦ φόβου σου ἡ σάρξ μου, *Clavis confixa fuit metu tui caro mea.* Sed LXX juxta exemplar Vaticanum, καθήλωσον *clavis confige, crucifige.* *HEBRÆUS* vero habet: סמר מפחדך בשרי *horruit præ timore tui caro mea.* *CHALD.* מצלהב *inflammatur*, sc. præ timore tui caro mea. *SYRUS*: קפור בסרי מן דחלתך *horruit*, sc. corpus meum præ formidine tui. Versio vero VULGATA Latina sequitur Græcam τῶν ὀ: *confige timore tuo carnes meas.*

§. IV.

Cum igitur Interpretum Veterum nonnulli Hebræo סמר dent notionem *horroris*, alii *confixionis*, quæ *clavis* fit, utrum hic eligendum vel præferendum? Ut dicam quod sentio, verbum סמר omnino significat *horruit*, in conjugatione vero activa pihel, *horrificavit, horridum effecit*. Quo referendus locus Job. 4: 15. תסמר שערת בשרי horrificaret pilos carnis meæ. Neque tamen absona est notio *crucifixionis*, vel *confixionis* quæ *clavis* fit. Quod vel ex derivatis discas. Nam מסמרים, & מסמרות (litera מ initiali cum Chirek vel Patach punctato) *clavos* significat, quibus quid configitur & affigitur. Videsis loca 1. Chron. 22: 3. & 2. Chr. 3: 9. Jes. 41: 7. Jer. 10: 4. Eccl. 12: 11. Verbum ergò סמר *notionem configendi, crucifigendi*, ferre potest. Quo sensu & apud Arabes venire, discas vel ex loco Psal. 38. superius citato. Addas verò illustrem locum Col. 2: 14. Ubi Gr. προσηλώσας αὐτὸ

τῷ

τῷ ϛαυρῷ. Arabs: וסמרה פי אלצליב, *clavisque id affixit cruci.*

§. V.

Duplex vero hæc notio, licet quoad ſpeciem multum diverſa, in re tamen ipſa mirè convenit. Quid enim facit timor Dei & verbi Dei? Nonne libidinoſam carnem Deo Chriſtoque affigit, & qs. impactis clavis configit, ut peccare deſinat, ſanctimoniæ operam dans. Certe S. PAULUS: *Repurgemus nos*, inquit, *ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes ſanctificationem ἐν φόβῳ Θεοῦ, in timore Dei.* 2. Cor. 7: 1. Et quid eſt *συϛαύρωσις* illa myſtica, quam Paulus Apoſtolus tantopere urget atque commendat, niſi veteris hominis confixio, & ad Chriſtum affixio, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus? *Scientes, veterem noſtrum hominem cum Chriſto crucifixum eſſe, ut aboleatur corpus peccati, neque amplius peccato ſerviamus.* Rom. 6: 6. Et *quotquot Chriſti ſunt*, Chriſti membra, *carnem crucifixerunt cum paſſionibus & concupiſcentiis.* Gal. 5: 24. Quod & S. PETRUS confirmat: *Chriſto igitur pro nobis in carne paſſo, eadem & vos armemini mente, ſcil. quod qui in carne* (cum Chriſto) *paſſus eſt, ceſſet à peccato.* 1. Pet. 4: 1. Nonne timor Jehovæ, cor noſtrum penetrans, & quaſi perterebrans, id ipſum præſtat? Nonne timore Dei probe imbutis *verba ſapientum*, h. e. prophetarum & Apoſtolorum, *ſunt ceu aculei & veluti clavi infixi,* Eccl. 12: 11.

§. VI.

Tantum ergò abeſt, ut textui Hebræo vis in h.l. ſit inferenda, ut potius genuinus ejus ſenſus inde dilucescat. ſcil. סמר מפחדך בשרי *timore tui confixa, Deo & Chriſto affixa, eſt caro mea, & à judiciis tuis timeo.* Rectiſſimè ergò AQUILA: ἡλώθη ἀπὸ πτοήσεώς σου ἡ σάρξ μου. *Clavis confixa fuit præ conſternatione tui caro mea.* h.e. dolorem acutum de peccatis meis ſenſi, deque iis vi-

vitandis commonitus ſum intime, quæ eſt vera crucis Jeſu Chriſti efficacia. LXX. in loco Pſal. 32 : 4. *ἐστράφην εἰς ταλαιπωρίαν, ἐν τῷ ἐμπαγῆναι μοι ἄκανθαν*, al. *ἀκάνθας, converſus ſum in miſeriam, quaſi ex infixis ſpinis.* In loco vero quem præ manibus habemus, LXX. illud סמר per imperativum reddunt, quaſi David oraret: *Καθήλωσον, confige timore tui ceu clavis carnem meam.*

§. VII.

Sed pergamus, diſpecturi, an non clariora crucis Chriſti veſtigia, quin diſerta dicta in prophetarum Scriptis deprehendantur; Cum enim ſit res maximi momenti, & ſupra modum miranda, dominum gloriæ diriſſimo deterrimoque ſupplicio ob ſalutem mundi affectum eſſe, veri ſimillimum, ſi non certiſſimum, eſt, ſacros Dei Vates de eo vaticinatos eſſe. Et quid ni? Audiamus Chriſtum ipſum ex MOSE diſſerentem: *Quemadmodum Moſes ſerpentem extulit in deſerto, ſic & exaltari oportet Filium hominis.* Joh. 3 : 14. Alluditur ad hiſtoriam ſerpentis ænei, Num. 21 : 8. 9. *Fac tibi preſterem*, (h. e. ſerpentis alati imaginem) *imponeque illum vexillo*, (perticæ prælongæ) *quisquis igitur morſus fuerit, eumque aſpexerit, vivus manebit.* (ſervabitur.) *Fecitque Moſes ſerpentem æneum, impoſuitque perticæ. Quod ſi igitur ſerpens quem momordiſſet, intuens ſerpentem æneum, ſervabatur.* Certè ſerpens hic æneus in altum tollendus, non leviter perticæ appendi debebat, facile enim excuſſus fuiſſet, ſed clavis affigi & firmari. En ergo egregiam crucis Chriſti figuram, de qua FRANCISCUS TURRETINUS eruditam ſcripſit diſſertationem, ad quam Lectorem remitto. Serpentes verò hi igniti, Iſraelitas lethali morſu ſauciantes, morſu, inquam, nullo medicamine, ſed aſpectu ſerpentis de ligno pendentis ſanando, tam emblemata, quam genimina erant, ſerpentis illius antiqui, qui protoplaſtos ſeduxit, inque iis imaginem Dei con-

confixit & destruxit, sed lapsui huic tristissimo opponitur divinum oraculum: *Semen mulieris* ישוף *conteret tibi, o serpens, caput, tu autem* תשופנו *conteres ei calcaneum.* Gen. 3: 15. In quo protevangelio omnis latet consolatio. Verbum vero Hebraicum שוף notionem *conterendi* habet apud Hebr. Chald. & Syr. Apud Arabes verò שאף *Ense percussit.* Conj. IV. אשאף *perforavit.* Christus ergò in cruce perforatus, Diaboli caput perforavit.

§. VIII.

Porrò cum lex omne maledictionis legalis pondus *suspenso* imponat, dicendo: קללת אלהים תלוי *Maledictio Dei est suspensus,* (pendens è ligno.) Deut. 21: 23. Messias autem maledictio fieri debebat pro nobis, ut nos in ipso redderemur benedicti, ergò de ligno pendere debebat. Equidem vulgò lapidati, h.e. jam exanimes, de ligno suspendebantur; In casibus tamen extra ordinem occurrentibus, æstuante scil. iræ Dei furore, etiam vivi ad crucem deposcebantur. Idque significat emphasis verbi הוקיע Num. 25: 4. 2. Sam. 21: 6, 9. Quod non notat simpliciter *suspendere,* ex. gr. laqueo, sed *in cruce distendere*, uti cruciariis fieri solebat, de quo multa legas egregia apud JUSTUM LIPSIUM *de cruce.* Hinc & Chaldæus illud והוקענום 2. Sam. 21: 6. reddit per ונצלבנון *& crucifigemus eos.* יקע enim est *distendi*, & distendendo luxari, & separari. Vide Gen. 32: 25. Jer. 6: 8. Ez. 23: 17. 18. Porro supplicium crucis pene apud omnes gentes, quin apud ipsos Israelis Reges in usu fuisse, nemo vel mediocriter eruditus ambigit. Vide LIPSIUM *de Cruce l. 1. c. 11.* quare etiam de hoc exaudiendum merito illud Legis tonitru: *Maledictio Dei est suspensus.* PAULUS Apostolus totum sic evolvit negotium: *Christus nos redemit ab execratione legis, factus exercitatio pro nobis, scriptum est enim: Maledictus est* em-

omnis pendens de ligno, ut benedictio Abrahæ in gentes redundaret per Jesum Christum, nosque promissionem spiritus acciperemus per fidem. Gal. 3:14. 15.

§. IX.

Apud JESAIAM prophetam c. 53: 5. lego: והוא מחלל מפשעינו *at ipse vulneratus ob prævaricationes nostras.* Emphasis vocis מחלל, *Mecholal*, hic probe attendenda. Non enim notat vulnerationem quamvis, sed vulnus ex perfossione membrorum, qualia sunt vulnera ejus, qui gladio confossus est. Hinc חלל חרב *gladio confossus.* Num. 19: 16. חליל *tibia perforata.* Jes. 5: 12. Jer. 48: 36. Messias igitur juxta Vaticinium Jesaiæ non leviter vulnerari debebat, sed tibiæ perforatæ, vel vasi terebrato, similis fieri debebat. Quod & revera factum esse ex Historia Evangelica scimus, ut doceremur, Messiam plenitudinem gratiæ in membra sua mystica large & benigne diffundere, ad instar fontis orificia aperta habentis, aquasque suas eructantis & copiose effundentis. Respicit huc propheta Zacharias c. 13: 1. *Eo die erit scaturigo aperta domui Davidis & civibus Hierosolymæ, pro peccato & impuritate.* Certe מקור נפתח est *fons apertus*, h.e. *perfossus*, & perfossione cœlatus. Ea enim est emphasis verbi פתח. Vide c. 3. 9. Hinc & פתיחות, *enses stricti*, corpora transverberantes. Ps. 55: 22. Quis non videt, hæc omnia in Christo crucifixo verificata esse?

§. X.

Sed disertus & plane eximius est locus propheticus de Messia *confodiendo*, h. e. clavis cruci affigendo, apud Zach. 12: 10. *Effundam super domum David, & super habitatores Hierosolymæ spiritum gratiæ & precum*, והביטו אלי את אשר דקרו *& intentis oculis respicient ad me, quem confixerunt.* Dolendum est, vix ullam antiquarum versionum, si *vulgatam* excipias, ultima hæc textus verba recte intellexisse. LXX. quos ARABS pro

more

more sequitur, habent, καὶ ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ᾽ ὧν κατωρχήσαντο, *& respicient ad me, pro eo quod insultarunt.* Aliquid dicunt, non rem ipsam. Sed Sanctus Evangelista JOHANNES, discedens hic à Versione LXX. sensum textus Hebræi omnium optime expressit: ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, *respicient ad eum quem confixerunt*, compupugerunt. Joh. 19: 37. Nec non Apoc. 1: 7. *Ecce venit cum nubibus, videbitque eum omnis oculus*, καὶ οἵτινες αὐτὸν ἐξεκέντησαν, *& quotquot eum confixerunt, confoderunt.* Ad quem locum versiones orientales, Syriaca, Arabica, Æthiopica, melius se habent, reddentes *pupugerunt, confoderunt*, uti omnino reddendum est, ut satisfiat emphasi verbi Hebraici דקר. quod non notat solum *pupugit*, sed *pungendo transfixit, transverberavit.* Vide Jes. 13: 15. Jer. 37: 10. adde Num. 25: 8. Jud. 9: 54. 1. Sam. 31: 4. Zach. 13: 3. Confer. מדקרות חרב *transfossiones gladii.* Prov. 12: 18. adeoque optime ad crucem Christi transfertur, ubi manus & pedes, quin & ipsum latus Christi, perfossa fuere, manus quidem & pedes clavis trabalibus, latus vero lancea. Fideles Hierosolymitani, per prædicationem Petri conversi, id factum agnoverunt, acerbeque deplorarunt. Deplorabunt item Judæi, ultimis Seculis ad Christum conversi. Deploremus & nos nostra peccata, veraque fide Jesum Christum crucifixum intueamur, ceu salutis nostræ fontem autoremque unicum. Sic verum attingeremus oraculi scopum.

§. XI.

Atque sic devolvimur ad locum omnium evidentissimum, qui est Psal. 22: 17. 18. 19. *Quoniam circumdederunt me canes, cœtus malignantium undique cinxit me.* כארי ידי ורגלי, *perfoderunt manus meas & pedes meos. Numerarem omnia ossa mea, ipsi intuentur & aspiciunt me. Dividunt vestimenta mea sibi ipsis, & super vestem meam projiciunt sortem.* Quis hic non videt describi crucifixionem

xionem hominis, quiscunque demum is sit? at nullus alius est præter MESSIAM, Jesum Christum, cui hæc prædicata singula conveniant. Is, inquam, hic graphice describitur, ceu innumerabili malignorum hostium caterva cinctus, ab iis in crucem actus, perfossis manibus ejus pedibusque in cruce distentus, ut emaciati corpusculi ossa facile numerari potuissent; Hostibus hoc spectaculum non sine lætitia spectantibus, interim vestimenta ipsius inter se partientibus, sed super tunica ejus sortem projicientibus. Hoc est, quod Textus oculis lectoris vel inviti ingerit. Sed nonne id ipsum historia Evangelica de Christo nostro crucifixo *κατὰ πόδα* recenset? Ut terribilis cœcitatis sit, hoc non agnoscere, & damnandæ malitiæ, hoc agnoscere nolle.

§. XII.

Quod vero spectat illud כארי, id in hoc loco minime significare potest *sicut leo*; sed legendum omnino est כארו *foderunt*. Atque sic scriptum & scribendum esse, annotavit MASORA, ad Num. 24: 9. Ad hunc verò Psalmi locum MASORA notat, duo esse cum Kametz, בתרי לישני in duplici significatu. In loco autem Jes. 38: 13. quem Masora hic citat, כארי necessario significat, *sicut Leo*. Ergo in nostro Psalmi 22. loco, aliam habebit significationem, sed quam nisi hanc, *perfoderunt*? Vide plura de hac re, in *Lex. Hebr. BUXTORFII*, & in commentario Clar. COCCEJI. Atque in hunc sensum reddiderunt, quotquot sunt interpretes bonæ notæ. CHALD. נכתין *mordentes*. LXX. *ὤρυξαν perfoderunt*. *AQUILA*, *ᾔσχυναν deturparunt*. *SYR.* בזעו & *AR.* תקבוא (cum ת blæso) ambo vero notant, *perfoderunt*. Ergo in hoc Psalmi loco MESSIAS crucifixus, perforatis manibus pedibusque, nudus de cruce pendens, malignis vestimenta ejus partiendibus, quasi visui ingeritur. Historia vero Evangelica id ipsum in singulis partibus Jesu Chri-

 sto

ſto accidiſſe, quam evidentiſſime commonſtrat. Hinc igitur concluſio hæc invicta ſequitur, Meſſiæ prædictam atque paratam fuiſſe crucem, in qua vitam finiens, foret ſalus mundi.

§. XIII.

Utinam vero hoc Judæi agnoſcerent, quorum ſcotoma deteſtabile vel ex eo patet, quod agni paſchales duobus verubus confixi, in medio furni ſuſpenſi aſſarentur, quod ex *Majemonide* & *Justino Martyre* probantem videſis *REIZIUM, Notis ad Godwini l. 3. c. 4.* & confirmantem idem Clar. OTHONEM Noſtratem, ex *cap. 7. Cod. Peſachim.* Cur ergo à cruce Chriſti adeo ſunt alieni? Nonne Joh. Baptiſta, cujus cum honore apud ipſos fit mentio, aperte de Chriſto teſtatus eſt? *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Chriſtus ergo ſic in cruce aſſatus, agnorum paſchalium antitypus eſt, quicquid oggannıant cœciſſimi verpuli. Quin mirabundus legi in Gloſſis Jarchianis, unctionem pontificis, ſacerdotum, nec non Minchæ ſive ferti, factam ſic fuiſſe, ut repræſentaret כי יוני *Chi Græcum*, X, adeoque decuſſatim in formam crucis factam fuiſſe. Hæc cum infenſiſſimi crucis Chriſti hoſtes teſtentur, mirandum eſt, eam ab iis non agnoſci. Sed ſermo crucis, uti Græcis eſt ſtultitiæ ſic Judæis eheu! ſcandalo, nobis vero credentibus, ſapientia eſto & potentia divina. Dicamusque ingenue: *Nolim quicquam ſcire inter vos, niſi Jeſum Chriſtum crucifixum; neque gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti;* Cui gloria & imperium nunc & in omnia ſecula, Amen! *

---

* Idem hoc thema, quod à Viro Clariſſimo in hac diſſertatione fuit explanatum, etiam ab aliis Viris doctis jam expoſitum memini, quos inter præcipue ponendus JOH. CHRISTOPHORUS vom Berg, *in diſſertatione de Cruce Chriſti*

Christi in V. T. præsignificata; quam publice defendit sub præsidio *Gust. Georgii ZELTNERI, anno 1714.* Profert in illa Dissertatione plurima loca & testimonia, quæ à Viro Cl. in hac exercitatione fuere allata, licet certus sim, Rev. Königium illam nunquam vidisse. Ita autem in exponendo suo argumento versatur doctiss. vom Berg, ut duas constituat classes ad instituti sui rationem exponendam, quarum prior versatur in *typis*, crucem Christi præfigurantibus, altera in *vaticiniis*. *Typum primum* desumit ex oblatione Isaci in ligno. *Secundum*, à Jacobo Gen. 48: 14. cruciformiter in capita nepotum manus extendente; hæc autem Viri doctissimi sententia, mihi quidem ingeniosa videtur, an autem ad thematis probationem conducat, pace viri docti, ego equidem vehementer dubito. *Tertium* deducit ex agno Paschali, quem Cl. Königius non omisit. *Quartum* desumit ex ara holocausti, ipsa ejus verba dabimus: *Ara holocausti*, inquit, *penitius considerata, etiam aliqualem crucis speciem præ se ferebat, quod & Apostolus Petrus affirmare non dubitavit, crucem in oblatione Christi vicem aræ holocausti sustinuisse, quando ait, 1. Epist. 2: 24. Qui peccata nostra ipse sursum tulit in corpore suo super lignum.* Habet equidem ara, in quam victima erat imposita, aliquam analogiam cum cruce, sed magna tamen etiam differentia; cum enim altare victimam sanctificaret impositam, crux autem per se esset damnata & execrata, dicere neutiquam possumus, quod hæc inter se optime concordent. *Typum quintum* derivat vir Cl. e forma sacrificiorum cottidianorum, quæ in columnis ligneis uncis ferreis instructis, ita extendebantur, ut anteriora crura ad lignum transversum affigerentur. *Sextum* petit ex agitatione Sacrificiorum, quæ dicuntur das Webe-Opfer; Agitationem autem hanc ita factam fuisse contendit, ut in forma crucis huc atque illuc agitatæ fuerint istæ oblationes. Quam autem conjecturam & probationem ad formam crucis probandam, etiam suo loco relinquendam

esse censemus. *Septimum* refert ad unctionem sacerdotalem, quæ ex testimonio Judæorum facta in forma τȣ X Græcorum, præcipue autem in fronte sacerdotis. Speciem vero argumenti egregiam haberet hæc Viri Rev. hypothesis, si certis rationibus illa posset adstrui. Cum autem Viri doctissimi, VITRINGA, RELANDUS, aliique, vehementer dubitent, an hæc unctio ita fuerit facta; venia Viri eruditissimi, hactenus hunc typum in res dubias suspendemus. *Octavum* provocat *typum* ex benedictione summi Pontificis, quam etiam cruciformem facit. Hæc autem, quantum video, conjectura ad eandem classem cum septima reponenda videtur. Pergit ad *nonum*, eumque certe clarissimum typum, à Cl. Königio accurate descriptum, quique latebat in suspensione serpentis ænei. *Decimum* quærit in lege de suspendendo facinoroso Israelita data. Deut. 21: 22. 23. atque fundamentum assertionis auctor ponit in verbis Pauli, Gal. 3: 13. *Typum undecimum* deducit ex deportatione uvæ Cananææ; quæ ex mente Viri doctissimi ita facta fuerat, ut crucis formam referret. Fatetur quidem ipse Cl. A BERGEN, quod non constanter audeat asserere, quod hæc deportatio ita contigerit, ut formam crucis exhibuerit; qua in re, quantum video, recte & sapienter fecit, cum nemo sit ex sanioribus, qui non videat, hanc conjecturam talem esse, ut merito ex numero typorum debeat proscribi. *Duodecimum* tandem typum format ex loco Ezech. cap. 9: 4. 5. ubi ingemiscentes super omnem iniquitatem urbis Hierosolymæ, à Viro, albicante vestitu induto, in frontibus suis signati leguntur, ne à percussore punirentur. Illud vero signum refert ad literam *thau*, quam credit ante tempora captivitatis Babylonicæ in formam crucis descriptam.

Ab his typis Vir eruditissimus & ingeniosissimus procedit ad *Vaticinia*, quorum primum videt Psalm. 22. quod etiam à Cl. Königio expositum. Pergit exinde ad Psalm. 69. existimans, quod in illo mors, calamitates, & crux Christi

Christi exhibeantur. Huc etiam trahit *vexillum erectum* Esaj. 11: 10. His locis addit tria alia, Caput scil. Esaj. 53. De quo haud dubie certum est, quod in illo παθήματα Messiæ describantur. Hæc vero difficultatem non habent. Ad eundem censum refert Caput Dan. 9. Dissertationi tandem finem facit illustre oraculum Zach. 12: 10. *& intuebuntur in me, qui transfixerunt.* De hoc loco dubium nullum, testis est ipse Apostolus, verba Prophetæ huc trahens. Joh. 19: 37. Hæcque sunt argumenta & loca, quibus inductus Vir doctiss. crucem Salvatoris nostri tempore veteris œconomiæ præfiguratam & prædictam defendebat. His insuper addere adhuc possemus sententiam Patrum quorundam, inter quos præcipue GREGOR. NYSSENUS, qui lignum in aquas amaras projectum Exod. 15: 22. ad signum crucis refert. Melius autem TERTULLIANUS, qui ad Christum ipsum. De eadem hac re ritus quosdam sacrificandi applicat Rev. *DEYLINGIUS observat. sac. Tom. 3. p. m. 329.* ad quem lectorem remittimus.

J. Georgius Altmannus.

* * * * *

IV.

JACOBI WOLFII,

V. D. M. Helvetio-Bernatis,

DISSERTATIO

DE

ESSENTIA ANIMÆ,

Ejusque

LIBERTATE, *

Argumentum.

§. I. Magnus fuit omni tempore dissensus de animæ humanæ natura atque essentia. §. II. Veterum

* Dissertationem hanc, speciminis loco pro Cathedra Philosophica habitam, lector cognoscet ex thematibus, Doctissimis Candidatis præscriptis, *TEMP. HELVET. Tom. III. p. 491.* Cum autem Eruditissimus atque Amicissimus nobis Autor, arduam atque difficilem satis materiam magna perspicuitate multaque doctrina exposuerit, hunc jure merito locum in hac collectione his meditationibus Philosophicis dandum esse, existimavimus. *Joh. Geo. Altmann.*

terum Chaldæorum & Ægyptiorum hac de re opiniones. §. III. Quid Philoſophi Græci ſenſerint, breviter recenſetur, ac ſimul ſententia Senecæ exponitur. §. IV. Fuere ex Veteribus & Recentioribus, qui mentis noſtræ exiſtentiam negarunt. §. V. Animam humanam exiſtere probatur. §. VI. Mens cogitat atque reflectit. §. VII. Corpus cogitare nequit. §. VIII. Nec materiæ facultas cogitandi communicari poteſt. §. IX. Anima igitur non eſt corpus, nec materialis; ſed immaterialis & ſubſtantia ſimplex. §. X. Vi prædita eſt, §. XI. Qua ſibi hoc univerſum repræſentat. §. XII. Principium ponitur, quod omnes animæ noſtræ mutationes a ſenſatione quadam prævia originem ducant. §. XIII. Ex quo tandem infertur, *eſſentiam* animæ conſiſtere in vi repræſentativa univerſi. §. XIV. Indicatur, quænam ſint requiſita *libertatis* noſtræ mentis, ac probatur, animam actiones liberas cognoſcere. §. XV. Volitionum ac nolitionum, actionum liberarum, ac motuum corporis voluntariorum, contingentia evincitur. §. XVI. Mentem ſpontaneitate, §. XVII. Ac lubentia præditam eſſe, oſtenditur. §. XVIII. Genuina *libertatis* notio formatur. §. XIX. Spuria ac falſa libertatis idea refellitur. §. XX. Noſtra, quæ LEIBNIZII eſt, contra Cel. de CROUSAZ imputationes, vindicatur.

§. I.

Vix ullum fuit tempus jam multis retro ſeculis, quo non Viri ſummi ingenii atque acuminis, philoſophi omnium temporum, operam ſuam impenderint, ad veram ANIMÆ humanæ atque intimam NATURAM eſſentiamque perſpiciendam, ejusque genuinam notionem ſibi formandam. At tantus eſt, Veterum præſertim, hac in re diſſenſus, tanta opinionum ſententiarumque diverſitas, tanta dictorum obſcuritas, ut alii alia de anima ſtatuerint, & Viri, quibus judicium atque acumen jure denegari nequit, hic tanquam in ſpiſſis tenebris palpitarint. Nullus eſt ex tanta Veterum philoſophorum multitudine, qui veritatem aſſecutus fuerit, atque recte *de mente humana* ſenſerit. Pauca ſufficiet afferre, ex quibus afferti veritas abunde conſtabit; Inſtituti enim ratio non permittit, varias atque innumeras *de anima* Veterum ſententias exhibere.

§. II.

In Veterum *Chaldæorum* philoſophia deprehendimus tres ANIMARUM ſpecies, *mentes ſupracœleſtes*, quas à materia diſtinctas ac ſeparatas dixerunt. *Mentes irrationales* à materia pendentes, quæ cum materia conjunctæ, cum illa ſimul perirent. Hiſce intermedias ponunt *animas humanas ac ratione præditas*, quarum eſſentiam αὐτόγονον καὶ αὐτόζωον, *per ſe genitam & animatam* docuerunt. Diverſæ quidem ſunt ea in re à mentibus ſupercœleſtibus, quod perpetuo materiæ adſint; ab irrationalibus vero, quod materiæ non ſint conjunctæ, ſed contra materiam ſibi adjunctam habeant. Lubenter confiteor, me hanc differentiam non ſatis perſpicere. Originem illarum a Deo, quem *fontem animarum* appellabant, per effluvium quoddam deducunt, quaſi animæ humanæ ex eſſentia divina tanquam

quam *particulæ divinitatis* effluerent. Qui communis error, etsi crassissimus sit, & veris, quas de Deo & mente nostra habemus, notionibus repugnet, à plurimis Veterum committebatur. Nec saniores erant *Ægyptiorum* sapientes, quorum sententiam exponit *JAMBLICHUS de Myst. Ægypt. libr. 8. cap. 8.* ἀπὸ τῆς πρώτης καθόδε ἐπι τέτε κατέπεμψεν ὁ Θεὸς τὰς ψυχὰς, ἵνα πάλιν εἰς αὐτὸν ἐπανέλθωσιν, *à primo descensu propterea demisit Deus animas, ut rursus in ipsum revertantur.*

§. III.

Græcos si consulimus Philosophos, eorumque inquirimus de anima sententias, patet, *alios*, uti Democritus, Pythagoræi & Anaxagoras, essentiam atque naturam animæ in motu constituisse; *alios* in cognitione rerum, Empedoclem & Platonem; *alios* tam in motu quam in cognitione simul; *alii* dixerunt, animam esse particulam quandam ætheream & subtilem; *alii* animæ naturam in eo posuere, quod *corpus sit subtilissimum.* Thales esse dixit rem, *quæ se moveat.* Diogenes *aerem.* Heraclitus *exhalationem immortalemque substantiam.* Hippo *aquam, sanguinem* Crito, referente *ARISTOTELE de anima libr. I.* & *PLUTARCHO de placitis Phil. libr. 4. cap. 2. & 3. PLATONEM,* Philosophorum Veterum facile principem, tres hypostases vel substantias, *Deum summum, mentem ex Deo natam & mundi animam,* quæ animarum omnium fons sit, statuisse, author est *MACROBIUS in somnio Scip. libr. I. c. 6.* atque hinc colligere possumus, Platonem mentem humanam tanquam particulam essentiæ divinæ sibi repræsentasse. *Triplicem* vero *finxit animam,* λογικὸν, θυμικὸν & ἐπιθυμητικὸν, *cujus principatum, id est, rationem in capite sicut in arce posuit, & duas partes separare voluit, iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit, CICERO Tuscul. Quæst. libr. I. ARISTOTELES, cum quatuor illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur* (verba sunt ejusdem *CICERONIS*

NIS l. c.) *quintam quandam naturam censuit esse, e qua sit mens. Cogitare enim, & providere, & discere, & docere, & invenire aliquid, & multa alia meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari, hæc & similia eorum, in horum quatuor generum nullo inesse putat, quintum genus adhibet vacans nomine, & sic ipsam animam* ἐντελέχειαν *appellat novo nomine, quasi quandam continuatam motionem & perennem.* Ipsius ARISTOTELIS verba, quibus naturam animæ explicavit, hæc sunt: διὸ ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. τοιοῦτον δὲ ὃ ἂν ᾖ ὀργανικόν, *anima est prima entelechia corporis naturalis organici, vitam potentia habens; de anima libr. 2. cap. 2.* Videtur quidem ARISTOTELES admisisse substantias omnis materiæ expertes & immortales, attamen quid proprie per suam ἐντελέχειαν intellexerit, vix explicari potest, ideoque plures eam inter terminos inanes & voces nihili, quibus nulla vel deceptrix respondet notio, referunt. Si vero CICERONI fides est habenda, naturam atque essentiam animæ humanæ in continuata atque perenni motione constituit. ZENONI STOICO animus ignis videtur. PONTICUS HERACLIDES lucem spiritum aut animum esse putabat, teste *TERTULL. de Anima, p. m. 311. ARISTOXENUS*, Musicus idemque philosophus, intentionem ipsius corporis quandam animam dixit, veluti in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur, sic ex corporis totius natura & figura varios motus cieri tanquam in cantu sonos, teste *CICERONE l. c. SENECA* animam partem divinæ naturæ atque essentiæ esse docuit, quæ communis STOICORUM fuit sententia. Ipsius mentem ex unico loco sufficienter colligere possumus: *Hic* (nim. animus) *Deos æquat, illo tendit originis suæ memor; Neque improbe eo conatur ascendere, unde descenderat. Quid est autem, cur non existimes in eo divini aliquid, qui Dei pars est? totum hoc, quo continemur, & unum est, & Deus,*

Deus, *& Socii ejus ſumus & membra. Epiſt. XCII.* Animum PYTHAGORAS definivit, quod ſit *numerus ſeipſum movens*; numerus vero mentem ſignificat, *teſte PLUT. placit. Phil.* quia numeris maximam virtutem atque vim in rerum natura tribuit, ut mentem hanc participatione divina ex univerſo per totam rerum naturam diffuſo animo decerptam homini inſeri affirmabat. Quamnam autem ſibi de Deo formaverit ideam, diſcimus ex *MINUTIO FELICE, in Octavio, cap. 19.* ex *LACTANTIO, Inſt. Div. lib. 1 cap. 5.* & ex *CICERONE de Nat. Deorum, libr. 1.* Cujus verba hæc ſunt: *Pythagoras, qui cenſuit Deum eſſe animum, per naturam rerum omnem intentum & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur, non vidit diſtractione humanorum animorum diſcerpi & dilacerari Deum, & cum miſeri animi eſſent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem eſſe miſeram.*

§. IV.

Alii fuere, qui exiſtentiam animarum negarunt, ac præter materiam nullam ſubſtantiam admiſerunt. Ex Veteribus CICERO memorat quendam DICÆARCHUM, cujus ſententiam ita enarrat: *Nihil eſſe omnino animum, & hoc eſſe nomen totum inane, fruſtraque animalia & animantes appellari, neque in homine ineſſe animum vel animam, nec in beſtia, vimque omnem eam, qua vel agamus quid vel ſentiamus, in omnibus corporibus vivis æquabiliter eſſe fuſam, nec ſeparabilem à corpore eſſe, quippe quæ nulla ſit, nec ſit quidquam niſi corpus unum & ſimplex ita figuratum, ut temperatione naturæ vigeat & ſentiat. Tuſcul. Quæſt. lib. 1.* Quis perpenſa *Dicæarchi* ſententia non animadvertit, vere hunc parentem illorum, qui hodie *Materialiſtæ* appellantur, dici poſſe; inter quos merito tanquam eximii promachi primum tenent locum SPINOZA, HOBBESIUS, COWARDUS, Medicus Anglus, ac TOLANDUS. Plures jam Philoſophorum Veterum de anima ſententias, ple-

plerumque maxima obſcuritate involutas, ac a veritate prorſus alienas, enarravimus. Sed inſtituti ratio non permittit hiſce diutius inſiſtere, atque illorum opiniones noſtro ſubjicere examini; Id potius nobis agendum erit, ut quæ diſtincte *de ANIMÆ noſtræ ESSENTIA ejusque LIBERTATE* cognoſcuntur, & ex principiis veræ ac genuinæ philoſophiæ demonſtrari poſſunt, diſſeramus, atque in uno quaſi intuitu perſpicienda exhibeamus.

§. V.

ESSENTIAM mentis humanæ inveſtigamus, ut tandem conceptnm ac notionem illius eſſentialem eruamus. Neceſſe igitur eſt, ut ejus *exiſtentia*, *immaterialitas*, *ſimplicitasque* prius evincatur. Nemo in dubium vocare poteſt, nos rerum, quas ſimul percipimus, conſcios eſſe, cum illas a ſe invicem diſtinguamus, e contra nos eorum conſcios non eſſe, quæ ſimul percepta non diſtinguuntur, ſed in unum confunduntur. Nec minus certum eſt experientia quovis momento præſenti, nos tam noſtrum & ipſorum, quam plurium rerum extra nos conſtitutarum nobis conſcios eſſe, dum nos ipſos ab aliis rebus, & res extra nos à ſe invicem diſtinguimus. Quis neſcit, ſe ſibi conſcium eſſe ejus, quod oculis, auribus, reliquisque ſenſibus percipit? Quis dubitaret, ſe ſibi conſcium eſſe, cum me audiat de eſſentia animæ diſſerentem? & ſi dubitares, ipſa hac dubitatione confirmaretur id, quod tibi incertum eſſe videtur. Affirmas, te dubitare. Unde vero eſt, quod certus ſis te dubitare, niſi ex eo, quod hanc mentis tuæ operationem ab omnibus aliis diſtinguens, ideoque dubitationis tuæ tibi conſcius ſis? Per ipſum igitur dubitationis actum probatur, nos noſtri, actionum noſtrarum, aliarumque rerum extra nos conſcientiam habere. Quicunque autem ſui aliarumque rerum ſibi conſcius eſt, is actu exiſtit. Hæc propoſitio inter

ter eas merito refertur, quæ axiomatum nomine veniunt, & suam evidentiam in se habent, ideoque sine probatione admittenda. Interim si quis negat, affirmet necesse est, aliquem sibi sui aliarumque rerum conscium esse, etsi actu non existat, ac ponendum est, enti quædam actu inesse, antequam existat, quod absurdum esset. Ex eo igitur, quod nobis nostri rerumque aliarum extra nos conscii simus, rectè concluditur, nos existere. Cum vero nobis nostri & aliarum rerum extra nos conscii simus, datur aliquid in nobis, cujus ope nosmet ipsos & alias res à se invicem discernimus, ideoque aliquid nobis inest, per quod possibile est, ut rerum conscientiam habeamus: Atque ens istud, quod in nobis sibi sui aliarumque rerum extra nos conscium est, *ANIMAM* sive *mentem humanam* appellamus. Sed quoniam nos existimus, quatenus nobis nostri aliarumque rerum extra nos conscii sumus, atque anima ens est, cujus ope rerum conscientiam habemus, anima humana *existit*. Et hoc modo probatam dedimus existentiam animæ nostræ; At nondum constat, quid sit, utrum ens istud, quod sibi conscium est, dum res a se invicem discernit, sit ipsum hoc corpus, an vero ens, à corpore organico atque ab omni materia plane diversum.

§. VI.

Ut recta via incedamus, ex iis, quæ menti inesse deprehendimus, jam ulterius legitimo ratiocinio colligemus, quid ei conveniat, quid non. Quando nobis conscii sumus eorum, quæ in nobis contingunt, & quæ nobis tanquam extra nos repræsentantur, *cogitamus*. Animam sibi sui aliarumque rerum extra nos consciam esse diximus; Anima igitur *cogitat*, atque cogitatio est actus mentis nostræ, quo sibi sui aliarumque rerum extra se conscia est. Hæc definitio nihil in se continet, quod recepto loquendi usui repugnat;

pugnat;

pugnat; Dicimus enim, nos cogitare, quando nobis rerum quarundam extra nos aut operationum mentis nostræ conscii sumus, & cum nullius rei conscientiam habemus, veluti in somno, & sæpius vigilantes, nihil nos cogitare affirmamus. Eandem cogitationis notionem dedit *CARTESIUS*, *Princip. Phil. Part. 1. art. 9. Cogitationis nomine intelligo illa omnia, quæ nobis consciis in nobis fiunt, quatenus eorum conscientia in nobis est; atque ita non modo intelligere, velle, imaginari, sed etiam sentire, idem est hic, quod cogitare.* Hoc autem posito determinato significatu, non licet, omnes quascunque animæ modificationes, quarum sibi non est conscia, ad cogitationes referre. Porro ex hac definitione sequitur, omnem cogitationem duplicem involvere actum, *perceptionem*, qua mens objectum quodcunque sibi repræsentat, & *apperceptionem*, quatenus perceptionis suæ sibi conscia est, quam *CARTESIUS conscientiam* dixit. Quando anima rerum perceptarum sibi conscia est, eas à se invicem distinguit, propterea earum diversitatem agnoscit. Diversa vero non agnoscuntur, nisi quatenus notio diversitatis (an sit confusa sive distincta, nihil refert) ad ea applicatur, & animus advertitur ad ea, quæ hanc notionem ingrediuntur. Deinde dum mens sibi sui conscia est, semetipsam a rebus perceptis distinguit, quatenus se tanquam subjectum, res vero perceptas tanquam objectum perceptionis considerat. Ideoque anima res perceptas, vel ea, quæ ipsis insunt, tam inter se quam cum semetipsa confert, atque hoc modo comparationem inter res perceptas, qua earum diversitas agnoscitur, & semetipsam instituit. Primum mens attentionem suam separatim ad ea * quæ in per-

* Ea, quæ in quavis perceptione distinguere licet, perceptiones *partiales* vocantur, respectu *totalis*, quæ om-

perceptione continentur, mox in duo vel plura vel omnia, quæ a se invicem discernit, simul dirigit. *Reflexio* dicitur successiva ad ea, quæ perceptioni vel rei perceptæ insunt, attentionis directio. At vero evictum est, animam, dum sibi sui ac rerum perceptarum conscia est, comparationem suarum perceptionum cum inter illas, tum cum semetipsa instituere, ac attentionem suam successive ad perceptiones partiales in totali comprehensas, eandemque mox ad omnes simul dirigere, nec minus objectum perceptum a se tanquam subjecto percipiente discernere, & utriusque diversitate observata attentionem una ad objectum & subjectum perceptionis afferre. Hinc inferimus, animam, quando sibi sui aliarumque rerum conscia est, super perceptione totali reflectere, sive actum reflexionis exerere.

§. VII.

Hisce jam præmissis facili negotio colligi potest, *quid sit MENS;* an corpus, sive ens materiale, an ens ab eo plane diversum? Fuere equidem & sunt hodienum plures, qui nonnisi entia materialia sive corpora existere contendunt, ac propterea mentem a corpore non differre affirmant, hanc ob causam MATERIALISTÆ dicti. Quoniam animæ immaterialitatem negant, & cogitationes atque operationes mentis quascunque per motum materiæ subtilis in corpore organico explicare conantur. Videamus igitur, num hoc assumtum sit possibile, an saltem aliquam probabilitatis habeat speciem? Si ex principiis hactenus stabilitis demonstraverimus *animæ immaterialitatem*, Materialismus simul evertetur. Anima cogitat. Cogitatio involvit duplicem actum, *perceptionem* & *apperceptionem*. Anima res perceptas sibi repræsen-

nes eas, quas dato aliquo temporis momento simul habemus, complectitur.

præsentat, ac perceptionis suæ rerumque perceptarum sibi conscia est. Quæ simul percipit, ea a se invicem, ac semetipsam a rebus perceptis distinguit. Res perceptas inter se & cum semetipsa confert. Denique, dum attentionem suam successive dirigit ad ea, quæ rei perceptæ insunt, super perceptione totali reflectit. Sed ex principiis Ontologicis atque Cosmologicis constat, in corpore, quatenus extensum est, nullam posse contingere mutationem, nisi quoad figuram, magnitudinem ac partium situm, & quidem nullo alio modo, nisi per motum. Corpora enim sunt entia composita, quorum essentia consistit in modo compositionis partium, quibus constant, ac proinde nulla iis mutatio accidere potest, nisi cujus ratio in modo compositionis continetur, per quem intelligi possit, cur hæc potius mutatio sit, quam alia. Cum vero in compositis non sint, nisi partes & modus, quo inter se junguntur, ut ens unum constituant, non alias mutationes in iis concipere licet, nisi quod vel partes quædam adjiciantur, vel interponantur, vel auferantur, vel transponantur. Ergo in corpore nulla contingere potest mutatio, nisi quoad figuram, magnitudinem ac partium situm. Quoniam vero hæ mutationes inducuntur partium adjectione, interpositione, ablatione, transpositione, quæ sine motu concipi nequeunt, nulla in corpore mutatio nisi per motum accidere potest. Ex hisce manifestum est, si quædam in corpore repræsentantur, repræsentationem alio modo fieri non posse, nisi partes materiales certo quodam atque determinato motu moveantur; & si repræsentatio per aliquod temporis spatium in corpore subsistere debet, necessario requiritur, ut vel eadem numero materia in eodem situ, quem motu priori obtinuerat, ex quo repræsentatio orta fuit, maneat, vel ut similes partes materiales simili motu in eundem situm continuo succedant.

dant. At in tali repræsentatione, quæ motu materiæ cujusdam subtilissimæ in corpore producitur, plane nihil deprehendimus, ex quo intelligi possit, quomodo corpus res repræsentatas inter se conferat, a se invicem distinguat, reflectat, earumque sibi tanquam extra se conscium sit, nisi fictionibus delectemur, & materiæ tribuamus facultates prorsus inexplicabiles. Corpus igitur, cum eorum, quæ in ipso repræsentantur, sibi conscium non sit, cogitare nequit. Cogitatio consistit in duplici actu, perceptione & apperceptione. Illam, cum non sit nisi simplex rei repræsentatio, in materia contingere posse intelligimus, quatenus compositum in composito repræsentari potest; Apperceptio vero, qua anima sibi rerum perceptarum suique conscia est, easque extra se sibi repræsentat, in materia concipi nequit. Maxima insuper, quod adhuc notandum est, intercedit differentia inter repræsentationes materiales, quæ in corpore, & illas, quæ in anima contingunt. In corpore vel materia res repræsentantur intra materiam, anima vero res sibi repræsentat extra se, cujus ratio ex antecedentibus abunde constat.

§. VIII.

Hic occurrit quæstio: *Annon Deus facultatem cogitandi corpori vel materiæ communicare potuerit, etsi ex natura atque essentia corporis explicari nequeat, quod cogitare possit?* Celebris hujus sententiæ author, Philosophus Anglus, JOHANNES LOKIUS ad voluntatem atque omnipotentiam divinam recurrit, ut id saltem aliqua specie stabiliat, quod omni prorsus ratione destituitur, & hoc modo pro ingenii lubricitate subtiliorem quendam materialismum finxit, quo incauti, qui res obiter tantum inspiciunt, neque animum distincta rerum cognitione imbutum habent, facile in errorem abripiuntur. Sane LOKIUS, meo quidem judicio, unica hac absurda positione exile in rebus

metaphyſicis prodidit acumen. Qui enim admittere velit, quæ nulla nituntur ratione, & quæ ex eo, per quod ens poſſibile concipitur, vel, quod idem eſt, ex illius eſſentia, minime conſequuntur, ſeu legitimo ratiocinandi modo colligi nequeunt, is quælibet pro arbitrio fingere poterit, nec quicquam adeo certum eſt, quin in dubium vocetur. Unicum ſufficit, ut errorem Lokianum intime perſpiciamus. Si enim enti uni attributa alterius communicari nequeant, ſimul patet, impoſſibile eſſe, ut corpori vel materiæ facultas cogitandi communicetur. Quod ſi forſan quis negaret attributorum incommunicabilitatem, ponendum erit, Enti cuidam communicari aliquod attributum, quod antea non habuit. Cum attributa per eſſentialia determinentur, ratio hujus attributi, quod communicatur, in eſſentialibus entis, cui tribuitur, non continetur, ideoque attributum non erit, atque ſimul impingeretur in primum philoſophiæ principium, nihil eſſe admittendum, quod ſufficienti ratione deſtituitur. Porro facultas cogitandi eſt agendi poſſibilitas, per quam cogitationes in anima poſſibiles ſunt, conſequenter ad illius attributa referri debet. Et hinc concludimus, facultatem cogitandi corpori communicari non poſſe.

§. IX.

Anima cogitat, dum ſibi ſui aliarumque rerum extra ſe conſcia eſt. Corpus nec cogitare, nec cogitandi facultas ei communicari poteſt. Ideo impoſſibile eſt, ut anima ſit corpus, & cum omne corpus materia conſtet, nec materialis eſſe poteſt. Dum autem negamus, animam eſſe corpus, ſeu materiam, ſimul ponimus, mentem noſtram eſſe immaterialem, ac proinde proprietates atque attributa corporis ac rerum materialium ei repugnare, nec tribui poſſe. Ergo anima partes non habet, extenſa non eſt, caret figura, ſpatium non occupat, magnitudine motuque in-

inteſtino deſtituitur. Anima eſt ſubjectum cogitationum; ſed non eſt corpus, nec materiale quid: Ergo cogitationes neutiquam modificationes alicujus materiæ, ex. gr. materiæ vel fluidi cujusdam ſubtilis in cerebro, vi ſtructuræ ejusdem modificabilis, eſſe poſſunt. Porro, omnia corpora ſunt entia compoſita; Anima vero non eſt corpus; Ideo, quia omne ens eſt vel compoſitum vel ſimplex, anima neceſſario inter entia ſimplicia eſt referenda. Cogitationes continuo mutari, & alias aliis ſuccedere, quilibet ad ſemetipſum attentus expertum habet; diverſæ igitur ſunt animæ modificationes, & anima, quatenus ſucceſſive alias aliasque perceptiones diverſosque appetitus habet, eſt ſubjectum modificabile; & cum ea per aliquod tempus cum corpore coexiſtat ac perduret, ſubjectum perdurabile, ideoque ſubſtantia, & quidem ſubſtantia ſimplex eſt. Hiſce jam poſitis, Materialiſtarum error abunde perſpicitur, atque falſa eorum hypotheſis, qua animam materialem eſſe, nec a corpore ſeu materia differre ſumitur, funditus evertitur. Differentiam inter animam & corpus Scholaſtici, qui plerumque in notionibus rerum confuſis ſubſiſtentes, ad diſtinctam cognitionem non pervenerunt, diſtincte non explicarunt. Majorem diligentiam adhibuit CARTESIUS, ut differentiam mentis & corporis diſtinctius exponeret. Probe perſpexit, diverſa eſſe entia, quorum notiones ſunt diverſæ, atque ideam animæ ab idea corporis differre, & ex his principiis demonſtravit, mentem a corpore eſſe diſtinctam. Ita ratiocinatur *Princip. Phil. Part. 1. art. 8. Examinantes, quinam ſimus nos, qui omnia, quæ a nobis diverſa ſunt, ſupponimus falſa eſſe, perſpicue videmus, nullam extenſionem, nec figuram, nec motum localem, nec quid ſimile, quod corpori tribuendum ſit, ad naturam noſtram* (nim. animæ) *pertinere, ſed ſolam cogitationem.* At mittimus CARTESIUM, & in viam redimus, ut tandem eſſentiam animæ eruamus.

§. X.

Vim appellamus illud, quod in se continet rationem sufficientem actualitatis actionis. *Actio* vero est mutatio status, cujus ratio continetur in subjecto, quod eundem mutat. Nulla status mutatio in substantia concipi potest, nisi vi præditæ sint. Ponamus enim substantiam existere nonnisi unam, ejusque statum mutari, oportet ut detur ratio sufficiens mutationis in ista substantia, ideoque actio. Jam ulterius in agente aliquid admittendum erit, quod rationem sufficientem in se continet, cur actio ad actum perducatur, idque *vis* vocatur; Consequenter substantia ista vi prædita est. Ponamus, plures substantias coexistere, quarum status mutatur. Ratio sufficiens mutationis deprehenditur vel in ipsa substantia, cuius status mutatur, vel in alia coexistente. Si prius, quælibet substantia vi prædita est. Posterius si admittitur, substantiæ coexistentes à se invicem patiuntur. Sed nulla passio concipi potest sine actione, & si A patitur a B, B agit, & si B vel C vel D patitur ab A, A agit. Quapropter, cum substantia agens vi prædita sit, per demonstr. & B agat in A, & vicissim A in B, C, vel aliud quoddam subjectum, A & B vi prædita esse, merito concludimus. At vero anima est substantia, cujus status continuo mutatur, cogitationibus aliis aliis succedentibus, ideo non minus vi prædita esse debet. Sed nollem, hanc mentis nostræ vim confundi cum illius facultatibus, quæ non sunt, nisi nudæ agendi possibilitates; Vis autem consistit in continuo agendi conatu, ex quo constanter sequitur actio, nisi impediatur. Atque hæc vis propter simplicitatem animæ unica est, qua ad actum perducuntur, quæ per facultates animæ in ea possibilia intelliguntur, ac omnes illius actiones atque mutationes producuntur. Quoniam animæ insunt plures facultates, sentiendi, imaginandi, memoriæ,

remi-

reminiſcentiæ, ad perceptiones ſuas attendendi, reflectendi, notiones formandi, judicandi, ratiocinandi, appetendi, averſandi, libere volendi ac nolendi, atque eadem vi omnia ad actum perducuntur, anima vi ſua unica nunc ſentit, nunc imaginatur, nunc meminit, reminiſcitur, attendit, reflectit, notiones format, judicat, ratiocinatur, appetit, averſatur, libere vult, & non vult.

§. XI.

Senſationes ſunt perceptiones objectorum externorum organa ſenſoria afficientium, quæ conſtanter immutabili hac lege contingunt, nim. *Si in organo aliquo ſenſorio ab objecto quodam ſenſibili mutatio producitur, in mente eidem coexiſtit ſenſatio, quæ per illam mutationem diſtincte explicari poteſt.* Anima, dum ſentit, objecta, quæ mutationem organis ſenſoriis inducunt, ſibi repræſentat; corpus vero organicum continuo ab aliis corporibus in hoc mundo exiſtentibus, ex quibus mundus hic aſpectabilis componitur, pro ſitu ejusdem in hoc univerſo afficitur. Patet itaque, animam ſibi hoc univerſum ſucceſſive repræſentare pro ſitu corporis organici in univerſo, convenienter mutationibus, quas objecta externa in organis ſenſoriis producunt. Verum equidem eſt, nos in ſomno nihil clare & diſtincte percipere, eo quod dormientes nobis nec noſtri nec aliarum rerum extra nos conſcii ſimus. Interim tamen anima, quia vi, qua ſtatus illius continuo mutatur, prædita eſt, perceptiones totales (uti vocantur) habet confuſas, partiales vero obſcuras, ideoque nihil obſtat, quin etiam in ſomno, etſi obſcure tantum, ſibi repræſentet hoc univerſum. Cum vero in mente noſtra eadem vi unica omnia, quæ per ipſius facultates poſſibilia ſunt, ad actum perducantur, anima vi ſua hoc univerſum ſibi repræſentat. Sed hæc mentis vis repræſentandi univerſum limitata eſt duplici modo, tum quoad obje-

cta, quæ mens percipit, tum quoad modum repræsentationis, vel (uti loquuntur) *materialiter* & *formaliter*. Illud, quatenus mens non percipit nisi ea objecta, quæ organa sensoria afficiunt; hoc, quatenus repræsentationes ejus tales sunt, quales sunt mutationes in organis sensoriis, ita ut ex illis intelligi possit, perceptionem potius talem esse, quam aliam, nempe claram, vel obscuram, hanc distinctam, illam confusam. Habet igitur anima humana vim, sibi repræsentandi hoc universum, pro situ corporis organici in hoc mundo, atque convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt.

XII.

Si ad ea attendimus, quæ de mente nostra per experientiam cognoscuntur, constat, omnes ejus mutationes a sensatione quadam incipere. Nimis prolixum jam foret, de omnibus animæ facultatibus, tam superioribus quam inferioribus, & operationibus, quæ ex iis consequuntur, hanc probationem instituere. Sufficiet pauca annotasse, ut de reliquis judicium ferri possit. *Imaginatio* est facultas producendi perceptiones rerum sensibilium absentium, ita ut, si quædam simul percepimus, & unius perceptio ope sensuum sive imaginationis iterum producitur, imaginatio producat etiam perceptionem alterius. Quando igitur aliquid imaginamur, vi sensationis præsentis producitur rei antea perceptæ idea, vel si alius actus imaginationis præexistat, quo perceptio rei absentis reproducta fuisset, tandem tamen ad sensationem præsentem deveniendum erit, ex quo prior imaginationis actus originem duxit. *Intellectus* est facultas res distincte sibi repræsentandi. Si igitur distincte nobis repræsentamus res sensui vel imaginationi obvias, utique & hujus actionis origo ad sensationem præsentem referri debet. Nec minus notio, judicium & ratiocinatio, quæ semper a judicio quodam intuitivo ortum

ortum trahit, perceptiones præſentes ſupponunt. Idem judicium ſit de cæteris animæ facultatibus. Omnes igitur mutationes, quæ in anima noſtra contingunt, a ſenſatione quadam prævia oriuntur. Primus hanc veritatem, ſine qua eſſentia animæ noſtræ atque natura, nec cognoſci nec diſtincte explicari poteſt, luci expoſuit, ac ex principiis, quæ ab experientia deſumta, in *Pſychologia Empirica* ſtabilivit, demonſtravit *Illuſtris Vir atque eximius Philoſophus*, *CHRIST. WOLFIUS.* (*Pſychol. Rat. §. 64.*) Quilibet vero ad ſemetipſum attentus experientia propria obſervare poteſt, perceptiones a ſenſu ortas continuari imaginatione, judiciis, ratiociniis, & tandem ex iis naſci appetitiones & averſationes, niſi nova quædam ſenſatio curſum impediat.

§. XIII.

Ex hoc principio ſequitur, nihil prius in anima concipi, quam ſenſationes, quæ primum ab ea producuntur. Deinde id ſimul patet, reliquas animæ operationes a ſenſationibus dependere, cum ex iis intelligi poſſit, cur cæteræ mutationes, quæ easdem conſequuntur, hæ potius ſint quam aliæ, ideoque rationes ſequentium in iſtis contineantur. Jam vero ex ſupra demonſtratis conſtat, animam, quatenus pollet facultate ſentiendi, habere vim ſibi repræſentandi hoc univerſum, pro ſitu corporis organici in mundo, convenienter mutationibus in organis ſenſoriis factis. Hæc igitur vis, quæ menti ineſt, eſt primum, quod de anima concipitur, & ex quo cæterorum, quæ ipſi inſunt, ratio reddi poteſt. Sed ex Ontologia notum eſt, eſſentiam cujusvis entis conſiſtere in eo, quod primum de illo concipitur, & in quo ratio cæterorum continetur. Ergo eſſentia animæ conſiſtit in vi illa repræſentativa hujus univerſi, pro ſitu corporis organici, atque conformiter mutationibus, quæ in organis ſenſoriis contingunt. At-

que hoc modo conceptum mentis nostræ essentialem, seu (si mavis) formalem, ex principiis philosophiæ *Wolfianæ*, tanta perspicuitate, quanta per tempus licuit, eruimus. Multa adhuc remanent hanc arduam materiam spectantia, nim. Qualis sit differentia inter essentiam atque naturam animæ? Quid de CARTESII sententia tenendum, qui essentiam animæ in cogitatione posuit? Quid tandem illis respondendum sit, qui animæ essentiam cognosci posse negant? Quæ adderem, nisi præscriptum esset, *libertatis animæ* simul evolvere notionem. Rem vero, quantum fieri potest, breviter agam.

§. XIV.

Ad veram LIBERTATEM, cujus notio jam investiganda est, requiritur. *1. Cognitio rei, quam appetimus vel aversamur. 2. Volitionum ac nolitionum, & actionum, quas volumus aut nolumus, contingentia. 3. Spontaneitas. 4. Lubentia.* Cum nihil sit, quod ratione sufficiente destituitur, necesse est, ut detur ratio, ex qua intelligi possit, cur anima aliud appetat, aliud aversetur, cur velit, cur nolit, cur hoc potius quam aliud. Ea, quæ rationem sufficientem appetitus, cum sensitivi, tum rationalis, in se continent, Philosophis dicuntur *Motiva*. At experientia ac ratione constat, mentem nostram nihil appetere, nisi quod tanquam bonum sibi repræsentet, nihil aversari nisi sub ratione mali, ut itaque repræsentatio boni ac mali rationem sufficientem appetitus & aversionis in se contineat. Motiva igitur repræsentationes boni ac mali, & quidem confusæ tantum, ubi anima appetitu vel aversatione sensitiva fertur in objectum; sed distinctæ in actibus volitionis ac nolitionis. Quoniam vero, quicquid volumus vel appetimus, nobis repræsentamus tanquam bonum, quod nolumus vel aversamur, tanquam malum, judicandum est prius, an bonum sit vel malum; hinc objectum, quod nobis obversatur, aliquo saltem modo cognoscere debemus.

At

At quia sæpius judicando a veritate aberramus, fieri potest, ut interdum malum sub ratione boni appetamus, bonumque tanquam malum aversemur. Etsi vero anima non agat, nec agere possit sine motivis, inde non sequitur necessitari, ac quasi per vim quandam externam impelli, cui resistere non possit. Hoc enim posito anima necessario vellet, necessario nollet, appeteret, aversaretur, prout a motivis impelleretur ad agendum, vel non agendum, quod experientiæ repugnat. Nimirum, positis licet motivis ad agendum sufficientibus, & argumentis decisionem suadentibus, possumus voluntatem mutare, eamque ad oppositas partes deflectere, si aliæ adsint rationes prævalentes, ob quas actionem potius omittere quam committere visum fuerit. Nulla igitur est necessitas, nulla coactio nec interna nec externa menti per motiva infertur; sed suadent, inclinant sponte sequentem, quo maxime pellicitur anima, & efficiunt, ne quid in ea contingat, quod ratione sufficiente destituatur, atque hinc est, quod actiones hominum liberæ certam & determinatam habeant veritatem, atque præscibiles sint; quod enim per motiva fit, determinate fit, convenienter rationi prævalenti ac suadenti, per motivum igitur cognosci potest, ideoque præsciri, si præsciatur motivum. Rei exemplum afferam. Certum & determinatum est, me hodie disputaturum, quia adsunt motiva plura ac fortiora, quæ mihi suadent disputationem, quam quæ, ut non disputem. Veruntamen necessitatem non inducunt, ut impossibile sit, me non disputare. Si motiva forent necessitantia, effectus necessario sequeretur, quicquid rationem atque motivorum in contrarium afferri posset. Interim si quis ex augustissimo auditorio mihi promittat majus lucrum, quam mihi ex disputatione pomeridiana evenire potest, expertum habebit, me non disputaturum. Sed cum hactenus

motiva, quæ mihi disputationem suadent, majorem vim habeant, si cum oppositis conferam, certum est, me disputationem susccpturum, & cum non disputare, libere & sponte disputabo, non casu, sed ratione, & hæc est ratio præscibilitatis hujus actionis meæ liberæ. Quomodo vero præsciri possit, quod plane fortuitum est, & casu fit, nec assequor, nec intelligo. Eximium hæc præstant usum in Theologia naturali & revelata, & maximi sunt momenti, ne quid Deo affingamus, quod per eminentiam ipsius essentiæ ei inesse nequit.

§. XV.

Secundum *libertatis* requisitum est, volitionum ac nolitionum, actionum, quas volumus aut nolumus, & motuum corporis voluntariorum, contingentia. *Contingens*, quod opponitur necessario, est, quod aliter esse aut concipi potest, cujus oppositum æque possibile est, vel nullam involvit contradictionem. Quæ volumus, ea nobis repræsentamus, ut bona, quæ nolumus, tanquam mala. Repræsentationes boni ac mali sunt motiva volitionum ac nolitionum, quæ tamen nullam animæ imponunt necessitatem, sed potius, ubi fortior ratio adest, volitiones in nolitiones, & vice versa mutari possunt, illarum igitur oppositum æque possibile est, nec contradictionem involvit, consequenter contingentes sunt. Idem dicendum est de motibus corporis, quæ ab animæ voluntate pendent. Per structuram enim corporis motus oppositi æque possibiles sunt; si sedeo, possem stare, aut ambulare. Si brachium extendo, æque possibile est, ut in sinu immotum retineam. Actiones, quæ liberæ vocantur, non minus contingentes sunt, quia earum oppositæ non sunt impossibiles; nulla adest contradictio, ut legerem, dum scribo, e contra ut scriberem, dum lego, ut librum quendam emam, vel non emam.

§. XVI.

§. XVI.

Spontaneitas vocatur principium intrinſecum, ſe ad agendum determinandi. Quatenus itaque anima ſemetipſam ad actiones ſuas determinat, nec principio externo opus habet, ſpontaneitas ei tribuitur. Anima nulla vi externa ad appetendum vel averſandum impellitur, nec cogi poteſt; Motiva eam non neceſſitant, ſed inclinant, ſuadent. At vero, cum anima ab extra non determinetur, ſemetipſam determinet, neceſſe eſt. Cum tamen ſine motivis nec volitio nec nolitio poſſibilis ſit, anima ſe determinat convenienter motivis ſuis. Pollet igitur ſpontaneitate, ejusque volitiones ac nolitiones ſpontaneæ ſunt.

§. XVII.

Per *Lubentiam* intelligo facultatem animæ eligendi ex pluribus æque poſſibilibus, quod ei maxime placet, vel quod maxime approbat, & rejiciendi cætera, quia non vel minus placent. Facile intelligitur, menti noſtræ hanc facultatem ineſſe. Quicquid enim vult, id ſibi ut bonum repræſentat. Quicquid non vult, tanquam malum. Ex bono vero voluptatem percipit, & quidem tanto majorem, quanto majus bonum videtur; e contra ex malo tædium percipit, eo majus, quo majus eſt malum. Propterea, quia illud nobis placet, ex quo voluptatem percipimus, illud vero diſplicet, quod tædium parit, anima vult, quod maxime placet, & rejicit, quæ diſplicent vel minus placent. Ideoque quicquid vult, lubenter vult. Ad hæc obſervari juvat, animam per ſuam eſſentiam non eſſe determinatam ad has potius volitiones, quam ad alias, quippe hoc in caſu motivis, quæ ſunt rationes ab objecto deſumtæ, non vero ab anima volente, non eſſet locus. Cujus vero ratio ſufficiens in eſſentia rei non con-

continetur, illud per eandem non determinatur; e contra, quod per essentiam rei determinatur, rationem sufficientem in eadem habet, veluti motus horologii per essentiam ejusdem determinatur, ac propterea ratio illius sufficiens in horologii structura continetur. Idem adhuc alia ratione patet. Volitiones ac nolitiones animæ contingentes sunt. Quod vero contingens est, mutabile est. Quod mutabile est, salva entis essentia abesse potest. Quod salva essentia abesse potest, inter modos referri debet. Quod in modorum numero est, per essentiam rei non determinatur. Ergo volitiones ac nolitiones per essentiam animæ determinatæ non sunt.

§. XVIII.

Hæc jam sufficiunt, ut genuinam libertatis animæ notionem formemus. Diximus, animam nil aversari, nil appetere, quod antea non cognoscat. Probavimus, volitiones ac nolitiones animæ, actiones humanas, ac motus corporis voluntarios contingentes esse. Demonstravimus, mentem nostram spontaneitate ac lubentia præditam esse. Ostendimus denique, volitiones ac nolitiones per essentiam animæ non esse determinatas. Quid igitur est animæ libertas? Quænam illius est distincta atque completa notio? Libertas mentis nostræ est facultas, qua agens nulla naturæ suæ necessitate ad unam solum oppositorum partem adstringitur, sed pro cognita actionum conditione in se ipsa principium habet se determinandi, atque eligendi inter plura possibilia, quod maxime arridet. Vel brevius, animæ libertas est facultas, ex pluribus possibilibus sponte eligendi, quod ipsi placet, cum ad nullum eorum essentia sua determinata sit. Hæc libertatis est notio, quam experientia comprobat, eamque animæ nostræ competere manifestum est, quotiescunque actiones nostræ liberæ

beræ attenta mente obſervantur. Nec minus rationi conformis eſt, cum in principio rationis ſufficientis fundata ſit, fœcunda ſimul, atque pragmatica, ex qua tanquam fonte tota praxis moralis derivatur.

§. XIX.

Rejicimus igitur, utpote ſpuriam, falſam, ac non modo inutilem, ſed noxiam atque veritati inimicam, notionem, quæ *libertatem* mentis humanæ ponit in facultate, ſeſe ſine motivis, immo quid? contra motiva, determinandi. Quid ineptius, quid abſurdius fingi poſſit, neſcio. Quid, quod rationi contrarium ſit, quid, quod experientiæ repugnet, ſi non hoc? Si enim anima ſe determinat ſine motivis ad volendum ac nolendum, dantur in anima volitiones ac nolitiones absque motivis. Si hoc, aliquid fieri poteſt ſine ratione ſufficiente. Hoc poſito, omnia fient caſu puro: Mundus erit congeries atomorum Democriti & Epicuri. Veritas ſomnium, & ſomnium veritas, nihilum cauſa rerum. Quis unquam in medium attulit exemplum, quo oſtendatur, animam ſe determinare ſine motivis? Annon ſi deeſt ratio intrinſeca, ſaltem adeſt extrinſeca? Si non ratio gravior, atque majoris momenti, ſaltem levior & exigua? Si non cuivis obvia, ſaltem perſpicaci? Sed ponamus alterum caſum, quod anima ſe determinare poſſit contra motiva, etſi nulla adſit ratio contraria, quæ iſtis prævaleat. Quid inde? Motiva nobis exhibent objectum vel ut bonum vel ut malum quoad nos. Ergo ſi contra motiva agimus, id nolumus, quod nobis tanquam bonum repræſentamus, e contra id volumus, quod tanquam malum nobis obverſatur, ideoque volumus malum, quatenus malum eſt, ac nolumus bonum, quatenus bonum eſt. Quis vero unquam adeo inſanus fuit, ut talia affirmare auſus fuerit? Cibum igitur ſumes venenatum, etſi ſcias, mortem, quam nolles, tibi allaturum. Aquæ te im-

immerges, ut vitam finias, etsi gratam atque jucundam tibi esse judices. Quid porro? Si libertas animæ consistit in facultate se determinandi sine motivis, non datur ullus nec Philosophiæ moralis, nec Civilis, nec Juris Naturæ usus; Actum erit simul de Theologia Morali. In Jure Naturæ docetur, quænam actiones sint per se bonæ, quænam malæ. Sed quomodo obligatio naturalis locum habere potest ad illas committendas, has fugiendas, si tollantur motiva, & homo sine illis ad agendum, ad volendum ac nolendum, se determinat? Qua ratione voluntas hominis emendari poterit, nisi adsint motiva, quæ suadent ac pelliciunt, ut actiones suas convenienter Legi Naturali dirigat atque componat? Nihil remanet, si tollantur motiva, quo homo ad amorem virtutis ac odium vitiorum perduci possit. Etsi cognoscat actionem, eamque sibi repræsentet ut bonam, illam respuet. Etsi aliam sibi repræsentet ut malam, eam appetet. Quomodo obligatio civilis in societate humana induci queat, non video, si homo agere potest sine motivis & contra motiva. Homines ad obedientiam imperantibus præstandam, actionesque suas ad leges civiles componendas, incitantur metu pœnarum & spe præmiorum. Quid vero efficient leges, quid sanctiones, quid pœnæ, quid præmia, si nulla motivorum in determinandis actionibus hominum liberis efficacia? Qualis erit Theologia moralis, si motiva, quæ amor Dei summus, justitia, sanctitas, misericordia, gratia, quam in filio suo Redemtore generis humani demonstravit, nobis exhibent, efficacissima, quæ hominem Christianum ad virtutem atque veram pietatem excitent, nullam habeant vim, flectendi hominis voluntatem?

§. XX.

Haud sine causa itaque mirum videtur, tot Viros eruditos, in cæteris merita laude non privandos, hanc

hanc imaginariam libertatis notionem, quæ non minus rationi quam experientiæ contraria est, admisisse, defendisse, ac pro ea tanquam pro ara & focis pugnasse. Miror adhucdum plurimos esse, qui eorum vestigia premunt. Miror sane, homines, qui Philosophi audiunt, adeo præconceptis opinionibus inhærere, atque figmentis delectari, ut potius prima philosophiæ principia negent, quam falsam ineptamque sententiam atque errorem abjiciant. Miror esse, qui genuinam *libertatis* notionem, omnibus sane probatam, qui naturam animæ ac libertatis perspectam habent, quam primus illustris LEIBNIZIUS, ac post eum Magnus sæculi nostri *Philosophus Marburgensis*, distincte explicavit, acri calamo perstringere, ac molestis imputationibus, sed falsis, onerare non erubescant. Novissimum rei testimonium præbet *Celeb. DE CROUSAZ*, in libello, cui nomen finxit: *Reflex. sur l'Essai de Mr. Pope, pag. 49. On ne veut pas tomber d'accord d'être en pouvoir de se determiner soi-même, & pourquoi refuse-t-on de tomber d'accord d'un pouvoir, qui se fait si frequemment & si clairement sentir? C'est pour se conserver en état de se conduire plus tranquillement à son gré, & de livrer à ses fantaisies, sans jamais se les reprocher. La fantaisie, que l'on a de refuser à la nature humaine le pouvoir de se determiner, & d'etre maitresse de ses choix, cette fantaisie ne detruit point ce pouvoir, au contraire elle est cause, qu'on en use avec moins de contrainte, & avec un plein abandon.* Contendit Vir doctus, veram animæ libertatem consistere non posse cum Systemate *Leibniziano* de nexu rerum universali, in quo omnia sunt certa atque determinata, nec cum *harmonia præstabilita*, quam ubique, etsi aliud agere videatur, impugnat, more eorum, qui viribus suis diffidentes fraude hosti nocere, quam acie pugnare malunt. Plane persuasus sum, Virum Celeb. non læto ac tranquillo animo diem supremum obiturum, nisi antea hoc per-

perniciosum LEIBNIZII inventum Metaphysicum, quod fatalem necessitatem infert, moralitatem actionum humanarum tollit, Religionem evertit, &c. e sede, quam hactenus inter hypotheses philosophicas occupat, dejecerit. Sed de hoc jam non agitur. Id solum quæro: an determinata rerum certitudo contingentiam tollat, ac necessitatem inducat? Sufficit ad libertatem, ut actiones animæ & corporis, atque series rerum sint contingentes, uti supra ostendimus. Falsum vero est, quod (pace Cl. Viri dixerim) LEIBNIZIO ejusque partes sequentibus imputat, eos negare, animam semetipsam determinare, quasi anima non sit nisi automatum, quod motore externo opus habet. Incertus sum, an ex incuria, quod non satis mentem LEIBNIZII perceperit, an animo nocendi, hæc scripserit. Neutrum affirmo. Judicium penes lectorem esto. Distincte *Illustrissimus THEODICEÆ Author* sententiam suam hac de re pluribus in locis exposuit, ut concipi nequeat, quomodo plane contrarium ei affingatur. Unicum locum afferam, *Theod. §. 59. pag. m. 111. Il est bon de faire voir, comment cette dépendence des actions volontaires n'empêche pas, qu'il n'y ait dans le fond des choses une SPONTANEITE merveilleuse en nous, laquelle dans un certain sens rend l'ame dans ses resolutions indépendente de l'influence physique de toutes les autres créatures. Cette spontaneité peu connue jusqu'ici, qui éleve notre empire sur nos actions autant qu'il est possible, est une suite du systeme de l'Harmonie preétablie. &c.* Quid vero hæc spontaneitas, nisi principium internum, quo anima semetipsam determinat ad volendum vel nolendum, nulla cogente causa externa? Qui systemata commercium mentis & corporis explicandi cognita atque perspecta habent, intelligunt, maximam animæ in LEIBNIZIANO vindicari spontaneitatem, cum in hac hypothesi vi propria omnes mutationes, perceptiones, appetitiones, volitiones, producat. Anima igitur

tur ex mente Leibnizii seipsam ad volendum determinat, actiones decernit; sponte agit, sed non sine ratione; vult, sed convenienter motivis suadentibus ac prævalentibus. Sed aliam Vir doctus ac talem, quam spuriam & inutilem esse atque rationi simul & experientiæ repugnare probavimus, mente concepit libertatis ideam. Putat enim, dari subinde in vita humana casus, ubi anima se determinet ad agendum sine ulla ratione sufficiente τῦ *velle nostri*, inquit in sua *Logica Latina, parte 1. cap. 13. pag. 158. Edit. Gen. 1724. Non alia videtur quandoque causa, præter ipsam voluntatem. Ut si utramque manum claudens tibi pollicerer nummum in altera contentum, modo feliciter caderet conjectura tua in eam, quæ nummum contineret; tunc sinistram cum nominares, quæ alia causa sinistræ nominatæ potius quam dextræ foret, nisi ipsa tua prorsus arbitraria electio? Sinistram, inquam, tum dixisses, quia voluisses, ipsa sese voluntas non aliunde, sed unice ipsa sese ex se determinasset.* Hactenus Ille. Hoc vero idem est, ac si dicerem, anima vult, quia vult. Aliquid esse potest sine ratione sufficiente. Sed non magno acumine opus est, ut rationem determinationis in casu proposito inveniamus. Haud dubie ideo sinistram nominaret, & non dextram, quia credit nummum in eadem contineri, alias dextram potius indicaret. Cæterum notandum est, in casibus huic similibus sæpius vel minimas ac levissimas rationes, ubi potiores non adsunt, ad determinandam voluntatem, ut unum alteri præferatur, sufficere, & si principium rationis sufficientis admittitur, patet impossibile esse, ut anima se determinet, nisi adsit motivum, quod hoc potius suadet, quam aliud. Cum vero in statu *perfecti æquilibrii* nulla adsit ratio, cur ad hoc potius oppositorum quam ad alterum se determinet, in hoc casu ad neutram se determinare, nec consequenter agere potest. Sed agit tamen, ergo determinata fuit aliqua ratione prævalente. Ideo merito rejicitur tanquam figmentum & res impossi-

 bilis,

bilis, ſtatus indifferentiæ. Optime de hiſce LEIBNIZIUS, *Theod. pag. m. 102. §. 46. Il y a donc une liberté de contingence, ou en quelque façon d'indifference, pourvu qu'on entende par l'indifference, que rien ne nous neceſſite pour l'un ou pour l'autre parti. Mais il n'y a jamais D'INDIFFERENCE D'EQUILIBRE, c'eſt a dire, où tout ſoit parfaitement égal de part & d'autre, ſans qu'il y ait plus d'inclination vers un côté.* NB. *Une infinité de grands & petits mouvemens internes & externes concourent avec nous; dont le plus ſouvent l'on ne s'apperçoit pas, & j'ai deja dit, que lorsqu'on ſort d'une chambre, il y a telles raiſons, qui nous déterminent à mettre un tel pied devant, ſans qu'on y réflechiſſe.* & alibi pag. 95. §. 35. *Il ne faut pas s'imaginer, que notre liberté conſiſte dans une indetermination, ou dans une INDIFFERENCE D'EQUILIBRE; comme s'il falloit être incliné également du coté du oui & du non, & du coté de differens partis, lorsqu'il y en a plusieurs à prendre. Cet EQUILIBRE en tout ſens eſt impoſſible. Car ſi nous étions également portés pour les partis A, B & C, nous ne pourrions pas être également portés pour A, & pour non A. Cet equilibre eſt auſſi abſolument contraire à l'experience, & quand on s'examinera, l'on trouvera qu'il y a toujours eu quelque cauſe ou raiſon, qui nous a incliné vers le parti qu'on a pris.* NB. *quoique bien ſouvent on ne s'apperçoive pas de ce qui nous meut; tout comme on ne s'apperçoit guéres, pourquoi en ſortant d'une porte on a mis le pied droit avant le gauche, ou le gauche avant le droit.* Atque jam id, quod ad explicandam & illuſtrandam materiam præſcriptam neceſſarium videbatur,

DIXI.

* * * * * * * * *

* * * * * * * *

* * * * * * * * *

* * *

V.

V.

CHRIST. MATTHÆI PFAFFII

S. Th. D. Prof. Prim. & Cancellarii in Univerſ. Tubingenſi,

DISSERTATIO HISTORICO-POLEMICA De Titulo PATRIARCHÆ OECUMENICI, POMO ERIDOS INTER GRÆCAM ET LATINAM ECCLESIAS.

Argumentum.

§. I. Uſus & ſignificatio vocis οἰκουμενικὸς. §. II. Primordia hujus tituli in Eccleſia Græca. §. III. Exempla Pontificum Rom. hunc titulum detrectantium. Notatur Gregorius M. §. IV. Phocæ Imperatoris circa hunc titulum decretum. §. V. Communis ejus inter Græcos & Latinos uſus ſec. VII. §. VI. Plura de hac re ſec. VIII. & IX. teſtimonia. §. VII. Ejusdem ex ſec. X. confirmatio. Johannis XIX. cum Eccleſia Con-

ſtantinopolitana circa titulum *Patriarchæ Oecumenici* acta. §. VIII. Romanorum in Græcos invidia ex epiſtola Leonis IX. ad Michaelem Cerularium Græcum. Conſtans ejus tituli uſus in Eccleſia Græca, non obſtante Romanorum pertinacia ſec. XI. §. IX. Argumenta adſtruentia ex frequenti uſu & conciliis ſec. XII. XIII. XIV. XV. tam Eccleſiæ Græcæ quam Romanæ hunc titulum competiiſſe. §. X. Recentioris temporis documenta, Græcos inprimis titulo Oecumenici conſtanter gaviſos fuiſſe. §. XI. Obſervationes quædam ex hujus tituli hiſtoria. Litis vanitas. Ex ea argumentum contra jurisdictionem univerſalem. Gregorii M. in eo negotio errores. Falſitas hiſtoriæ, quæ fert, Phocam primo Epiſcopum Romanum Oecumenicum declaraſſe. Eccleſiæ Romanæ injuſta primatus affectatio. Excuſatio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ primam ſe omnium venditantis. Futilitas litis de primatu. Silentium Græcorum de lite circa titulum Oecumenicum. §. XII. Hujus conſiderationis utilitas. Notantur Interpretes Apocalyptici.

§. I.

Οἰκουμενικὸς ab οἰκουμένη deſcendit, quæ orbem terrarum vel terram potius habitatam & ſpeciatim Imperium Romanum (*a*) indigitat. Hinc Concilia *œcumenica* dicta videas, quæ non ſaltem ex hujus vel illius nationis vel provinciæ Epiſcopis

(*a*) Vide Luc. II. 1. Sunt verò &, qui putant, Judæam hic πάσης τῆς οἰκουμένης nomine venire.

pis conflata sunt, sed ad quæ Episcopi totius, vel magnæ saltem partis, orbis Christiani orthodoxi ex Oriente & Occidente confluxere. Ita & sacra *œcumenica* & ludi *œcumenici* olim dicti (*a*). Ita Jo. Chrysostomus à Theodosio Juniore Augusto dictus διδάσκαλος οἰκουμενικὸς, quod ipsius doctrina in ædificationem universalem populi Christiani evalesceret (*b*). Sed & διδάσκαλος οἰκουμενικὸς dictus olim fuit Rector Professorum XII. qui Constantinopoli in Basilica Imp. ædibusque, in quibus Bibliotheca Imp. asservabatur, habitabat, & cum sociis ab Imperatoribus tum ad rerum gerendarum consilia tum ad doctrinam iis instillandam, qui hanc ob causam ex toto orbe Constantinopolin confluebant, adhibebatur (*c*). Patriarcha denique *œcumenicus* adpellatus fuit, non, qui præsulatum totius orbis Christiani gereret, sed qui supremum in urbe imperiali, quæ τῇ οἰκουμένῃ imperaret & caput atque regina orbis esset, sacerdotium administraret (*d*).

(*a*) Confer Spanhemii Hist. Christ. Sec. VII, art. 5. §. 2.

(*b*) Vide Stephani de Altimura panopliam contra Schisma Græcorum. p. 98.

(*c*) Confer Jo. Zonaræ annales L. 15. C. 3. f. 104. ed. Paris. f. 82. ed. Ven. qui cum aliis narrat, Leonis Isauri, Imp. Iconomachi jussu Doctorem *œcumenicum*, qui tum temporis vivebat, cum Professoribus istis XII. propter rejectam iconomachiam, incensis Bibliothecæ ædibus, fuisse combustum. Sed monet Cel. D. Siberus *esse, qui putent*, Leonem *per invidiam tantum hac infamia notatum esse*, in Oratione de antiquitate Doctoratus Theologici p. 13. 14. Ita profecto & recte quidem Spanhemius in historia imaginum restituta, sect. 2. §. 11. Opp. T. II. f. 736. sqq.

(*d*) Ita Blondellus de la primauté en l'Eglise f. 1074. *L'Evêque* universel *ne signifioit proprement qu'*Evêque de la ville royale, *& n'attribuoit aucune jurisdiction universelle à celui, qui portoit ce titre.* Ita Salmasius de primatu Papæ C. 14. p. 207. *Duæ tum regnantes urbes, Roma &*

§. II.

Historiam tituli hujus secundum ordinem seculorum condituri non moramur Binium, qui caussatur, Sixtum I. & Zephyrinum, Episcopos Romanos *universales* se appellasse (*a*). Sed nec in Concilio Carthaginensi A. 397. constitutum fuit: *Universalis autem nec*

Constantinopolis. Utraque οἰκȣμένης dicta metropolis & caput imperii ab auctoribus utriusque linguæ. Hinc & οἰκȣμενικȣ̀ Patriarchæ titulum Constantinopolitanus Antistes sibi adrogavit haud minùs, quàm Romanus. Ita cel. Deylingius in Diss. 3. de novitate regiminis Monarchici in Ecclesiam universam, art. X. §. 2. p. 98. *Quo titulo nihil aliud eo tempore indicabatur, quam totius diœceseos caput, cui ἡ καθόλȣ ἐπισκοπὴ*, universalis cura *omnium Ecclesiarum, non totius orbis, sed sui Patriarchatus incumberet.*

(*a*) Vide Conc T.IV.f. 1946. editionis Venetæ nuperæ. Jam enim & Sixti I. epistola à Binio allegata notorie supposititia est, nec Sixtus I. hic se *universalem*, de quo solo titulo hic nobis quæstio est, dicit, sed *universalis* sive catholicæ *Ecclesiæ Episcopum*. Tertullianus vero, sub initium libri de pudicitia, Zephyrinum non dicit se ipsum nuncupasse *Pontificem maximum & Episcopum Episcoporum*, sed hos titulos illi per ironiam saltem tribuit ipse. Taceo, ita nuncupari potuisse Zephyrinum tanquam *Pontificem maximum* & *Episcopum Episcoporum*, suæ nempe Diœceseos, nec haberi hic vocem *œcumenici*, quæ sola heic in disceptationem venit. Nec, quod addit Binius. Leo I. in ep. 54. ad Marcianum Imp. quæ est 68. Quesnelli, *universalis Ecclesiæ Episcopum*, multo minus *universalem* se scripsit. Falsam e im istam inscriptionem esse, in nota ad eandem luculenter probavit Quesnellus. Denique & tunc hariolatur Binius, quando ait, in relatione Concilii Chalcedonensis ad Leonem I. nomen *œcumenici* librarii dolo subductum fuisse. Nullo enim ex Codice MS. hoc demonstrat. Vide l.c.f. 1774. 1950.

nec etiam Romanus Pontifex appelletur (*a*). Neque confectum quoque est, quod Dioscorus, Patriarcha Alexandrinus in Synodo Ephesina ληστρικῇ A. 449. habita titulo *œcumenici* Patriarchæ ornatus fuerit, licet Olympius, Episcopus Evazensis, illum *universalem Episcopum magnæ Alexandrinæ civitatis* dixerit (*b*). Nec Anatolius, Patriarcha CP. unquam hoc titulo gavisus esse legitur (*c*). Itaque ergo A. 451. Leo I. Patriarcha Romanus primum in Concilio Chalcedonensi *œcumenicus* dictus fuit à Theodoro & Ischyrione, Diaconis Alex. Athanasio Presb. Al. & Sophronio (*d*). Ajunt

(*a*) Ita quidem Gratianus dist. 99. c. 3. sed malè. Non exstant enim hæc verba in codice canonum Ecclesiæ Africanæ C. 39. nec in Concilio Carthaginensi III. c. 26. Error Gratiani est manifestus.

(*b*) Vide Conc. T. IV. f. 1118. Nota, Græcam Olympii vocem ibi non exstare. *Universalis* verò græcè & καθολικὸς dicitur, de quo titulo jam non disputamus, uti nec de aliis æquipollentibus vel plus significantibus. Gratis ergò indignatur Olympio Lupus, quod titulo isto, licet ad solam civitatem Alexandrinam restricto, sic abusus fuerit, in app. ad Concilium Ephesinum latrocinale. Opp. T. 2. f. 238. a. Sed verò ex sequentibus patebit, titulum *œcumenici* nulli unquam Patriarchæ datum fuisse nisi Romano & Constantinopolitano, licet contrarium asserat, *omnibusque Patriarchis commune fuisse œcumenici nomen* ajat cel. Deylingius l. c. p. 99.

(*c*) Uti falso Hincmarus Rhem. adv. Hincmarum Laudun. ep. 33. c. 17. apud Lupum in diss. de septima Synodo generali C. 3. Opp. T. 3. f. 246.

(*d*) Vide Conc. T. IV. f. 1267. 1274. 1282. 1290. Jam verò in Concilio Chalcedonensi contradicentibus sedis Romanæ legatis, Patriarchæ Constantinopolitano collatum fuisse *œcumenici* sive *orbicularis* aut *universalis* titulum, contra fidem actorum asserunt Monachi Dominicani in tr. contra errores Græcorum, apud Canisium in lect. ant. T. IV. f. 56.

& Hormisdam Patr. Rom. A. 517. fuisse salutatum *oecumenicum*. Ast verò is ab Archimandritis & Monachis secu. dæ Syriæ non quidem *oecumenicus* sed dictus est ex summo adulationis studio *universæ orbis terræ Patriarcha* (*a*). Ex Græcis primus Johannes Cappadox, Patr. CP. in Concilio CP. adversus Severum A. 518. habito appellatus legitur *oecumenicus* (*b*). Mox ipse Justinianus I Imp. CP. Epiphanium & Anthimum, Patriarchas CPos *oecumenicos* nuncupavit (*c*), qui & peculiari constitutione *Ecclesiam Constantinopolitanam omnium aliarum caput* pronunciavit (*d*). Agapetum I. Patr. Rom. in Concilio CP. sub Menna A. 536. congregato hoc titulo compellavere Monachi Constantinopolitani, Hierosolymitani & Orientales(*e*). Men-

Idem, quod mirum, affirmat & cel. Deylingius l. c. p. 98.

(*a*) Conc. T. V. f. 598. Nec heic Græca vox exstat. Cæterum & *universæ orbis terræ Patriarcha* dici poterat quem *Patriarcham*, sui nempe Patriarchatus, agnosceret universus orbis Christianus. Neque etiam ex titulis, quos adulationis studium finxit, argui quicquam potest.

(*b*) Conc. T. V. f. 1127. 1132. 1148. 1149. 1157. 1183. Hinc sunt, qui ajant, Johannem Cappadocem, Patr. CP. primum fuisse, qui titulum hunc sumserit. Ita Anshelmus Bandurius in Imperio Orientali f. 895. edit. Paris. & f. 624. ed. Ven. & ex illo Fabricius Bibl. Gr. Vol. X. p. 157. Sed falsa est illatio. Aliud est, titulum sumere, aliud, ab aliis eodem ornari.

(*c*) Vide Theodori Balsamonis collect. constit. Eccl. f. 1238. edit. Justell. & Cod. L. I. tit. I. C. 7. tit. IV. c. 34. Nov. 3. 5. 7. 16.

(*d*) Verba sunt: ἡ ἐν Κωνςαντινȣπόλει ἐκκλησία πασῶν τῶν ἄλλων ἐςὶ κεφαλή, apud Balsamonem l. c. f. 1247. & Cod. L. I. tit. 2. de sacrosanctis ecclesiis C. 24. Jam verò & l. c. C. 16 Zeno Imp. CP. Ecclesiam CPam *matrem Christianorum orthodoxæ religionis omnium* appellat.

(*e*) Conc. T V f. 982.

Mennam vero, Patr. CP. ita passim nominat ipsa hæc Synodus (*a*), alias quoque idem Imp. Justinianus I. (*b*). Etsi enim in constitutione sacra contra Anthimum, Severum, Petrum & Zooram, prout habetur ad calcem hujus Synodi posita (*c*), Mennas *œcumenicus* ab Imperatore haud legatur dictus, dicitur tamen *œcumenicus* in eadem, prout alibi (*d*) elata exstat. At verò Imperator hic Johannem II. Patr. Rom. in literis ad illum datis *œcumenicum* non dixit, licet in iisdem scribat, se *omnes sacerdotes universi Orientalis tractus sedi Romanæ subjicere* (*e*).

§. III.

Cum A. 587. in Synodo Constantinopolitana (*f*) Petrum, Patriarcham Antiochenum, absolveret Johannes Νηϛευτὴς sive Jejunator, Patriarcha CP. recepto jam *œcumenici* titulo usus est (*g*), licet ex actis synodalibus,

(*a*) L. c. f. 1013. 1023. 1035. 1047. 1054. 1063. 1227. Intrusum in tot loca esse *œcumenici* vocem absque ulla veritatis specie causatur Baronius ad A. 518.

(*b*) Nov. 42. 67. 79. in præf.

(*c*) Conc T. V. f. 1239.

(*d*) Nov. 42.

(*e*) Cod. L. I. tit. 1. c. 8.

(*f*) Historiam hujus Synodi scripsit Evagrius hist. eccl. L. 6. C. 7.

(*g*) Ita Pelagius II. & Gregorius M. qui ad Sabinianum Diaconum L. V. ep. 19. scribit, Johannem Jej. *Johannis Presbyteri gesta Romam transmisisse, in quibus se pene per omnem versum οἰκουμενικὸν Patriarcham nominaverit.* Ex quo conjicere est, illum jam antea quoque hunc sibi titulum sumsisse. Hinc primum illum fuisse, qui eodem fuerit usus, ajunt plerique. Ita Allatius adv. Hottingerum, p. 228. Morinus de sacramento pœnitentiæ, f. 615. edit. Venetæ, Renaudot dans la defense de la perpetuité de la foi, p. 13. alii, quos refellit Fabricius l. c. Dissentit

libus, quæ non exſtant, nihil heic erui poſſit. Tam male hoc habuit Pelagium II. Pont. Rom. ut, Gregorio M narrante (*a*), neque, quæ exſtat, illius epiſtola (*b*) genuina eſt (*c*), *gravia ad Johannem ſcripta transmitteret, in quibus Synodi Gregorii Antiocheni cauſa congregata propter nefandum elationis vocabulum acta diſſolverit, & Archidiaconum, Legatum ſuum, miſſarum ſolennia cum Græcis celebrare prohibuerit.* Veſtigia Pelagii preſſit Gregorius M. qui magno cum animi fervore Johannem Patr. CP. reprehendit, quòd hoc ſibi novum nomen arrôget, cum ſolus Chriſtus ſit univerſalis Eccleſiæ caput, cum Petrus Apoſtolus ſe nunquam univerſalem vocaverit, cum, qui hoc blaſphemiæ utâtur nomine, ſibi ſoli Epiſcopatum adjudicet, omnibus Epiſcopis demat, atque ita univerſæ Eccleſiæ fidem corrumpat & deſtruat, atque Antichriſtum elatione ſua præcurrat, quæ & cauſa fuerit, ob quam Leo I hunc titulum à Concilio Chalcedonenſi accipere noluerit, utpote quem invenerit Apoſtata (*d*). Adiit quoque literis Mauritium Auguſtum & Conſtantinam Auguſtam, monuitque, ut Johanni, Patriarchæ CPo, hunc gerere titulum non amplius permitterent (*e*). Ejusdem ferè tenoris

Blondellus, qui putat, Gregorium I. imputaſſe Johanni Jej. quod alii ipſo præſente & approbante fecerint, l. c. f. 1002.

(*a*) Epiſt. L. V. n. 18. 21. 43. L. IX. n. 68. edit. Pariſ. Benedict.

(*b*) Exſtat Conc. T. VI. f. 633. ſqq.

(*c*) Demonſtrarunt hoc Blondellus in Pſeudo-Iſidoro & Turriano vapulantibus p. 636. ſqq. Launojus Epiſt. L. VI. Ep. 5. Opp. T. V. f. 274. 275. Spanhemius in hiſt. Chriſt. ſec. 7. art. 5. §. 8. & Sam. Baſnagius in annal. Polit. Eccleſ. ad A. 588. §. 1. f. 897. 898.

(*d*) Epiſt. L. V. n. 18. 19. 20. 21. 43.

(*e*) l. c. n. 20. 21.

noris est epistola Gregorii ad Cyriacum, Patr. CP. Johannis successorem, cum eundem sibi titulum & hic arrogasset, data (*a*), aliaque ad Mauritium Aug. qua queritur, Imperatorem existimare, quod *ob frivoli nominis appellationem scandalum generari non debeat* (*b*), & ad Anastasium, Patr. Antiochenum, qui putaverat, *causam hanc nullam esse* (*c*), itemque ad Eulogium, Patr. Alex. & Anastasium, Patr. Antioch. ubi narrat, se Diaconum suum jussisse, ne cum Cyriaco missarum solennia celebret (*d*). Denique & Eulogium eundem reprehendit, quod *universalis* titulo ab eodem esset compellatus ipse, quem tamen in aliis respuat (*e*), atque in literis ad Eusebium Thessalonicensem aliosque Episcopos monet, ne quisquam hoc nomen admittat vel tribuat alteri (*f*). Mirum est, scripsisse ista Gregorium, qui, licet nomen *œcumenici* fuerit abominatus, jurisdictionem tamen universalem in totum orbem Christianum; & in specie Patriarchatum CPum affectavit, atque alias fatetur, Patriarcham CPum suam jurisdictionem agnoscere (*g*), imò & sanctitatem Johannis Jej. & Cyriaci, Patriarcharum CPorum miris modis deprædicat (*h*). Mirum & est, qui

(*a*) l. c. L. VII. n. 4. 31.
(*b*) l. c. n. 33.
(*c*) l. c. n. 27.
(*d*) l c. n. 34.
(*e*) l. c. L. VIII. n. 30.
(*f*) l. c. L. IX. n. 68.
(*g*) l. c. n. 12. 59.
(*h*) De Joh. Jej. confer. L. I. ep. 4. cum notis, de Cyriaco L. VII. ep. 4. sqq. Certè Johannes ob stupendam abstinentiam Νηϛευτὴς sive Jejunator dictus, atque à Græcis sanctorum catalogo adscriptus fuit. Vide Theophylactum Simocattam Hist. L. 7. C. 6. Et Sophronius Patr. Hierosf. apud Photium Cod. 231. illum ἀρετῆς οἰκητήριον dixit. Pœnitentiale vero ejusdem, quod in app. ad l. c. f.

qui tanta cum sermonis pompa Phocæ tyranno CPo imperium gratulari sustinuerit, quod nonnisi per necem Imperatoris Mauritii impiè invasit (*a*). Sed & mirum est, Cyriacum, Patr. CPum, tyrannum hunc coronasse (*b*), cui tamen, ubi tantisper obstitit, cum Constantinam Augustam cum filiabus è templo, in quod aufugerant, extrahere vellet (*c*), sine dubio animum Phocæ alienum sibique minus faventem reddidit.

§. IV.

In libro Pontificali (*d*), quem Anastasius Bibliothecarius recensuit & auxit (*e*), cujus & sublesta subinde

616. sqq. edidit Morinus, non caret erroribus, fovetque in specie illum de confessione auriculari.

(*a*) Vide l. c. L. XIII. n. 31. Horrenda lectu epistola hæc Gregorii est, qua Phocam tyrannum nefanda adulatione demulcet. Indignatur huic impietati Bælius in Dict. hist. & crit. tit. *Gregoire le Grand*. T. 2. f. 1305. 1306. & Sam. Basnage l. c. ad A. 602. §. 8. f. 946. 947. ubi ait inter alia, Gregorium I. *cruentas domini sui sanguine manus Phocæ veluti osculatum esse*.

(*b*) Vide Chronicon Paschale ad Olymp. 345.

(*c*) Ita Theophanes & Cedrenus.

(*d*) In hoc libro vitæ Pontificum Romanorum enarrantur. Insertum videas collectionibus Conciliorum & adjectum historiæ Byzantinæ Scriptoribus. Splendidas Romæ editiones dedere Blanchinus & Vignolius, nec minus Mediolani Muratorius, qui eundem Scriptoribus rerum Italicarum tomo tertio inseruit.

(*e*) Confer, quæ heic scripsere Ciampinus in examine libri Pontificalis seu vitarum Romanorum Pontificum, quæ sub nomine Anastasii Bibliothecarii circumferuntur, Schelstratius in antiquitate Ecclesiæ illustrata, T. I. f. 363. sqq. Pearsonius in diss. I. de successione primorum Romæ Episcoporum C. XI. XII. p. 115 sqq. & Oudinus in commentario de Scriptoribus Ecclesiæ antiquis, T. II. f. 357. sqq.

inde fides est (*a*), ita habetur in vita Bonifacii III. *Hic obtinuit apud Phocam Principem, ut sedes Apostolica B. Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, id est, Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat* (*b*). Ita & Paulus Diaconus: *Phocas, rogante Papa Bonifacio, statuit, sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat* (*c*). Repetunt eadem verba Historici & Chronographi Latini passim ex unico fonte libri Pontificalis (*d*), quos proinde in vanum hic allegaverimus. Historici vero & Chronographi Græci vel Byzantini, qui Phocæ res gestas referunt, hoc prorsus silent (*e*). Addit Baronius (*f*), Phocam edicto imperiali sanxisse, solum Episcopum Romanum *œcumenicum* esse, non Constantino-

(*a*) Prolixè hoc probare facillimum foret. Rectè Pearsonius, *fidem huic libro Pontificali minimè adhibendam esse, cum pluribus & fœdis erroribus scateat, fictisque narrationibus plenus sit*, l. c. p. 129. Eandem in sententiam pronunciat Spanhemius in dissert. de Papa fœmina, C. VIII. §. 8. Opp. T. II. f. 659. 660. allegatque ὁμοψήφως Baronium atque editores Anastasii Moguntinos, qui ita: *Multa in hac historia asseruntur à veritate aliena, quæ nullius gravis & prisci Authoris testimonio confirmari possint, multi in eadem chronographici lapsus, nonnulla pugnantia & ἀσύςατα.*

(*b*) Vide Muratorii Scriptores rerum Italicarum T. III. f. 135.

(*c*) de gestis Longobardorum L. IV. C. 37. apud eundem Muratorium T. I. f. 465.

(*d*) Solidè hoc observat Blondellus l. c. f. 1067.

(*e*) Nescio, cur Theophanem hanc in rem alleget Forbesius in Instruct. hist. Theol. L. III. C. 3. f. 101. a. Perronium Card. ob falsam hanc allegationem jam reprehenderat Blondellus l. c.

(*f*) ad A. 606.

tinopolitanum. Sed hoc edictum nullibi exstat, nullibi antiquis memoratur (a).

§. V.

Exstant constitutiones variæ Heraclii, Imp. CPi, in quibus Sergium, Patr. CPum *œcumenicum* salutavit (b). Sed & A. 639. habitum fuit Constantinopoli Concilium, in quo ejusdem Heraclii Imp. ἐκθεσις fuit approbata, atque Sergius & Pyrrhus Patriarchæ CPi *œcumenici* nuncupati (c). Circa A. 645. Sergius, Episcopus Cypri, Theodorum I. Patr. Rom. *œcumenicum* dixit in literis ad eum datis (d). A. 649. Maurus, Episcopus Ravennæ Martinum I. Patr. Rom. *œcumenicum* vocavit in concilio Lateranensi (e). A. 678. Constantinus Pogonatus, Imp. CP. in divali sacra ad Domnum I. Patr. Rom. eundem Πάπαν οἰκουμενικὸν nuncupavit (f), sed & eodem titulo ornavit in alia divali sacra Georgium, Patr. CPum (g). In Concilio VI. œcumenico eodemque CPo A. 681. congregato legati Agathonis, Papæ Romani, eundem dixere *œcumenicum* (h), quo titulo in eodem Concilio Macarius, Patriarcha Antiochenus Petrum, Patr. CPum, (i) & Cyrus Sergium, Patr. CPum (k) quoque prosecuti sunt.

(a) Itaque ergo idem de hoc edicto dixerimus, quod in donationem Constantini M. quæ Sylvestro Pontifici Romano facta esse fertur, quadrat, ubi itidem sedi Romanæ in totum Christianum orbem legitur collata universalis jurisdictio.

(b) Vide Justelli Bibliothecam Juris Can. veteris, f. 1361. 1366. 1371. 1373.

(c) Evolve acta hujus Concilii inserta actis Concilii Lateranensis sub Martino I. Conc. T. VII. f. 209.

(d) l. c. f. 126. (e) l. c. f. 97.

(f) l. c. f 613. (g) l. c. f. 619.

(h) l. c. f. 1063. 1094. (i) l. c. f. 777.

(k) l. c. f. 983.

ſunt. A. 683. Conſtantinus Pogonatus & Juſtinianus II. Imp. CPi Leonem II. & Joh. V. Pontifices Romanos itidem ſcripſere *œcumenicos* (*a*). A. 687. verò idem Juſtinianus II. Cononem, Patr. Rom. *œcumenicum* in divali ſacra ad ipſum directa nuncupavit (*b*).

§. VI.

Primum poſt A. 714. *œcumenicum* ſe ſcripſiſſe Germanum I. Patriarcham CPum, contendunt Blondellus & Spanhemius (*c*). A. 754. Conſtantinus Copronymus, Imp. CP. Iconomachus Conſtantinum, Sylæi Epiſcopum, Patr. CPum in templo S. Deiparæ Blachernenſi conſtituit his verbis: Κωνσαντίνȣ οἰκȣμενικȣ̃ Πατριάρχȣ πολλὰ τὰ ἔτη. *Conſtantinus, œcumenicus Patriarcha multos vivat annos* (*d*). A. 787. in Concilio Nicæno II. Act. II. Patriarchas Romanum, Alexandrinum, Antiochenum & Hieroſolymitanum, *œcumenicos* dictos eſſe ſcribit Thummius noſtras (*e*). Sed in actis hujus Concilii hanc in rem nil exſtat, niſi quod Epiſcopi Taraſium, Patriarcham CPum *œcumenicum* appellaverint,

(*a*) l. c. f. 1136. 1159. 1321. 1454. Adde Allatium de Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis perpetua conſenſione, L. I. C. 20. §. 15. p. 312. & Baronium ad A. 683. n. 6. & 8.

(*b*) Vide Blondellum l. c. f. 1073.

(*c*) ex Jure Canon. Orient. L. III. Vid. Blondellus l. c. f. 1065. & Spanhemius in hiſt. Eccl. Chriſt. ſec. VII. art. 5. §. 2. Vocatur & Germanus, Patr. CP. *œcumenicus* in fragmento quodam, quod exſtat in lect. ant. Caniſii T. I. f. 26 edit. Baſnagianæ. Aſt Germanum iſtum non eſſe primum ſed ſecundum hujus nominis, rectè ſcribit Baſnagius l. c. f. 25.

(*d*) Ita Jo. Zonaras Annal. L. 15. f. 108. edit. Pariſ f. 85. ed. Ven. nuperæ. Adde Cruſii Turco-Græciam, f. 195.

(*e*) im Bericht vom Papſtum. p. 256. Idem hic libellus eſt, qui tantas Thummio calamitates peperit.

rint, Adrianum I. Pont. Rom. non item (*a*), quem in literis ad Conſtantinum & Irenen damnaſſe hunc titulum, refert Anaſtaſius Bibliothecarius, licet in iisdem, prout inſertæ leguntur actis Concilii, hoc non exſtet (*b*). Jam verò ſec. IX. paſſim Pontifices Romanos, Paſchalem I. Eugen. II. Leonem IV. Bened. III. Nicol. I. Adrianum II. Joh. VIII. Stephanum VI. ab Imperatoribus, Conciliis, Epiſcopis, ita compellatos eſſe docet Blondellus (*c*). Hinc Nicolaus I. Pont. Rom. A. 867. in epiſtola ad Hincmarum & Epiſcopos in Regno Caroli conſtitutos (*d*) reprehendit Michaelem & Baſilium, Imp. CPos, quod Patriarcham CPum *œcumenicum* appellent, & *glorientur, tunc, quando de Romana urbe Imperatores Conſtantinopolim fuerint tranſlati, & primatum Romanæ ſedis ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam tranſmigraſſe, & cum dignitatibus regiis etiam Eccleſiæ Romanæ privilegia tranſlata eſſe, ita, ut ejusdem invaſor Eccleſiæ Photius etiam ipſe ſe in ſcriptis ſuis Archiepiſcopum atque* univerſalem *Patriarcham appellet.* In Concilio Conſtantinopotitano A. 870. habito Adrianum II. Pont. Rom. Papam *œcumenicum* dixit ipſa Synodus & Archidiaconus illius Johannes, poſtea Succeſſor (*e*). Sed & heic Theodoſius, Patr. Hieroſ. Ignatium Patr. CPum *univerſalem* ſcripſit (*f*). Ita & Anaſtaſius Bibliothecarius Adrianum II. & Johannem VIII. Pont. Romanos *univerſales* compellavit (*g*), quem

(*a*) Vide Conc. T. VIII. f. 779. 783. 794. 802. 809. 818. At vero l. c. f. 1348. refertur & epiſtola Adriani I. ad Taraſium, Patr. CP. in qua is *generalis* compellatur. Sed bene obſervavit Blondellus l. c. f. 371. hanc vocem in Græco non exſtare.

(*b*) Conc. l. c. f. 762. 763. Adde Allat. l. c. p. 289.

(*c*) l. c. f. 1073. 1074. (*d*) Conc. T. IX. f. 1489. ſqq.

(*e*) Conc. T. X. f. 888. 923. (*f*) l. c. f. 495.

(*g*) l. c. T. VIII. f. 673. Ita vero ibidem Anaſtaſius: *In eo ſane, quo frequenter* univerſalem *in hac Synodo* (*VIII.*)

quem posteriorem & *œcumenicum* in Synodo Photiana A. 880. dixere Petrus, Presbyter & Cardinalis, Legati Romani, itemque Procopius, Archiep. Cæsar. & Photius, Patr. CP. (*a*), qui in eadem Synodo & ipse *œcumenici* titulo ornatus fuit, (*b*) quem ab Imperatore Leone sapiente accepit, & Stephanus illius successor (*c*), quemadmodum & Stephanum VI. Pont. Rom. *œcumenicum* dixere Stylianus, Episc. Neocæsareæ aliique Episcopi (*d*).

§. VII.

A. 963, 964. Joh. XII. & Leonem VII. Patr. Rom. ab Ottone I. Imp. & Conc. Rom. titulo hoc fuisse donatos memorat Blondellus (*e*). Eundem & sub finem sec. X. sibi vindicavit Sisinnius, atque circa A.

Græci Patriarcham suum inconvenienter appellant, apostolatus vester adulationi veniam det, sæpe Prælatis suis non sine reprehensione placere studentium. Verum, cum apud Constantinopolim positus frequenter Græcos super hoc vocabulo reprehenderem & fastus vel arrogantiæ redarguerem, asserebant, quod non ideò œcumenicum, *quem multi* universalem *interpretati sunt, dicerent Patriarcham, quod universi orbis teneat præsulatum, sed quod cuidam parti præsit orbis, quæ à Christianis inhabitatur. Nam, quod Græci* œcumenem *vocant, à Latinis non solum orbis, à cujus universitate* universalis *appellatur, verum etiam* habitatio *vel* locus habitabilis *nuncupatur.* Ita Anastasius ad Joh. VIII. Add. Conc. T. X. f. 471.

(*a*) Conc. T. XI. f. 353. 388 420. 436. 472. 475. 479. 482. Adde Beveregii Synodicon Eccl. Græcæ T. 2. f. 274. 282. 299.

(*b*) l. c. f. 338. 343. 448. Adde Beveregium l. c. f. 283. 298.

(*c*) Vide Leonis nov. Constit. 2 sqq. ad quas provocat & Binghamus Orig. Eccl. L. II. C. 17. §. 21. Vol. 1. p. 259.

(*d*) Conc. T. X. f. 902. 914. T. XI. f. 542.

(*e*) l. c. f. 1074.

1019. Alexius, Patriarchæ CPi (*a*). Circa A. 1024. vero Basilius II. Imp. CP. & Eustathius, Patr. CP. missis Oratoribus & Legatis Johannem XIX. Pont. Romanum muneribus demulcere tentarunt, ut permitteret, *Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Romanam in universo, universalem* dici & haberi. Silent hoc Scriptores Græci, sed refert Glaber Radulphus, Monachus Antissiodorensis (*b*), qui & addit, Romanos ac Pontificem ipsum munificentia Græcorum penè victos fuisse, ad saniorem verò mentem confestim revocatos literis Guilielmi, Abbatis S. Benigni Divionensis ad Joh. XIX. Byzantinorum petitioni abnuisse. Jam & Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi narrat, *ad illam Græcorum petitionem omnem vehementissimè commotam Italiam, sed & Galliarum Episcopos & Abbates his obviare conatos esse, quosdam in persona sua, quosdam verò missis literis sedem Apostolicam visitantes, & tantum opprobrium & dedecus, auctoritatibus in medium prolatis, quibus contradicere fas non esset, ab Ecclesia Romana propulsantes. Non defuit in his*, inquit, *Patris Richardi, Abbatis Flaviniacensis* (*c*) *authentica præsentia, imo omnino sategit, ut Constantinopolitana præsumtio confutata conquiesceret. Inter alios quoque Willelmus*, Divionensis cœnobii *Abbas eximius, epistolam Papæ misit. &c.* Ita Hugo Flaviniacensis (*d*). Ait Altimura (*e*), Eustathium, Patr. CPum, cum titulum *œcumenici* à Joh. XIX. non obtinuisset, nomen ejus è diptychis Ecclesiæ CPæ expunxisse. Sed, unde hoc habeat, non addit. Ait & Lupus (*f*), Gregorium VII. eapropter constituisse, *quod solus*

(*a*) l. c. f. 1065. (*b*) L. IV. hist. Franc. C. 1.
(*c*) alii: *Petri Richardi, Abbatis Virdunensis.*
(*d*) ad A. 1204. Willelmi, Abbatis S. Benigni Divionensis epistola ad Joh. XIX. habetur Concil. T. XI. f. 1147. 1148. eruta è Glabro & Hugone.
(*e*) in libro supra citato p. 211.
(*f*) Opp. T. V. f. 167. sqq.

solus Pontifex Romanus jure dicatur universalis (*a*). Id certum, Patr. CPos, licet Romanus Pontifex titulum hunc ipsis denegaverit, eo nihilominus uti continuasse. Exempli loco sit Constantinus, qui circa A. 1065. ita se scripsit (*b*).

§. VIII.

Addenda porro, quæ A. 1053. jam ante Gregorium VII. Leo IX. Papa Romanus ad Michaelem Cerularium, Patr. CPum scripsit. Ita vero ille: *Johannes* Jejunator, *Patr. CP. nimiæ vanitatis novum nomen primus sibi usurpavit, ubi se à cunctis* œcumenicum *Patriarcham, id est,* universalem, *& dici & scribi debere decrevit. Pro qua utique præsumtione à beatis Pontificibus, Pelagio & Gregorio, digna perculsus est excommunicatione. Cujus contagii macula adhuc vobis cum ipsa maledictione sic adhæsit, ut nunc quoque vos ipsos* œcumenicos *Patriarchas & appellare & scribere non timeatis. Et certe nomen istud à sanctis Patribus in Chalcedonensi Synodo ob reverentiam S. Romanæ & Apostolicæ sedis sanctissimo decessori nostro Leoni Papæ & præclarissimo Doctori successoribusque fuit oblatum; sed nec ab illo nec ab ullo Successorum ipsius constat hactenus receptum. Et cui post Christum Jesum hoc nomen magis poterat aptari, quam successoribus Petri? Sed imitanda humilitas reverendorum Pontificum, attendens, quod ipse Princeps Apostolorum non inveniatur dictus* universalis *Apostolus, superbum refutavit vocabulum penitus, quo videbatur par dignitas subtrahi cunctis per orbem Præsulibus, dum uni ex toto arrogaretur.* &c. Hæc Leo IX. (*c*) Michaelem vero Cerularium, Patr. CPum, *œcumenicum* se scri-

(*a*) Vide can. 2. dictat. Constat, canones hos ex epistolis Gregorii VII. fuisse ab anonymo compilatos. Vide tamen S. R. D. Zelleri, Abbatis Anhusani, libellum elegantissimum von der Legende Gregorii VII. p. 26. sqq.

(*b*) Vide Blondellum l. c. f. 1065.

(*c*) Vide Conc. T. XI. f. 1324. 1348.

ſcripſiſſe patet ex literis ad Petrum, Patriarcham Antiochenum (*a*) & ad Joannem, Epiſcopum Tranenſem (*b*) ab ipſo datis. Idem vero & in Synodo CPa A. 1054. habita dictus fuit *œcumenicus* (*c*). Falſum itaque, quod Theodorus Balſamon ſec. XII. ſcripſit (*d*), Patriarchas CPos nunquam ſe *œcumenicos* ſcripſiſſe, etſi cum Nilo Doxopatrio (*e*) titulum *œcumenici* Patriarchæ & Romano & CPo tribuat (*f*). Imperator certe CPus, quando Patriarcham Conſtantinopoli olim conſtituit, his verbis illum affatus eſt: ἡ ἁγία Τριὰς διὰ τῆς παρ' αὐτῆς δωρηθείσης ἡμῖν βασιλείας προβάλλεταί σε Ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως, νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸν Πατριάρχην. *Sancta Trinitas per imperium ab ipſa nobis conceſſum renunciat te Archiepiſcopum Conſtantinopoleos, novæ Romæ, &* œcumenicum *Patriarcham* (*g*).

§. IX.

Jam & Leo Styppiota, Patr. CP. in Concilio contra Conſtantinum Chryſomalum, Bogomilum Con-

(*a*) Exſtant hæ in Cotelerii Monumentis Eccleſiæ Græcæ T. 2. p. 135. ſqq. 162. ſqq.

(*b*) apud Caniſium lect. ant. T. III. f. 281.

(*c*) Vide Conc. T. XI. f. 1453. & Allatium in diſſ. 2. de libris Eccleſ. Græc. p. 161.

(*d*) Confer Allatium de Eccleſ. Occ. & Or. perpetua conſenſione L. I. C. 19. p. 290.

(*e*) in notitia Patriarchatuum, quæ exſtat in Variis ſacris Stephani le Moine T. I. p. 246. & in Schelſtratii antiquitate Eccleſiæ illuſtrata T. II. f. 731.

(*f*) in opuſculo de Patriarcharum juribus apud Lupum in diſſ. de Leonis IX. actis, Opp. T. IV. f. 437.

(*g*) Vide Gregorii Codini, Curopalatæ C. 20. de officiis & officialibus Curiæ & Eccleſiæ CPæ, quod agit de electione & inauguratione Patriarchæ f. 120. editionis Venetæ nuperæ. Exſcripſit hoc caput Morinus de ſacris Eccleſiæ ordinationibus P. 2. ubi vide f. 159.

Constantinopoli A. 1140. celebrato salutatus fuit *oecumenicus*, (*a*) & Michael Oxita, Patr. CP. in Conciliis ibidem A. 1143. contra Bogomilos factis eodem titulo donatus (*b*). Sec. XII. ad finem vergente Isaacius Angelus Imp. Patriarcham CPum ita vocavit (*c*). Circa A. 1264. Arsenius, Patr. CP. scripsit Testamentum, in cujus inscriptione dicitur *oecumenicus* (*d*). A. 1274. celebratum fuit Concilium Lugdunense de unione cum Græcis pangenda, ubi de titulo *oecumenici* plane non fuit actum, quod mireris. Michael Palæologus, Imp. CP. Gregorium X. Pont. Rom. in literis ad eum datis *oecumenicum* appellavit (*e*), atque ita quoque proclamari jussit Constantinopoli (*f*). Alias quoque Michaelis & filii Andronici ad Pontificem Romanum literas, in quibus hunc itidem *oecumenicum* dici videas, Allatius recitat (*g*). Ita & A. 1277. Jo. Beccus, Patr. CP. Johannem XX. Pont. Rom. dixit *oecumenicum* (*h*). At vero & Jo. Becci in sede CPa successor Georgius Cyprius *oecumenicus* in libello contra Beccum scripto appellatur (*i*). A. 1350. Callistus, Patr. CP. in Concilio CPo Palamitico dictus fuit *oecumenicus* (*k*), & quod oppido notabile, A. 1433. 1435. 1439. in Conciliorum Basiliensis & Florentini actis Josephus,

(*a*) Vide Conc. T. XII. f. 518. & Allatium l. c. L. 2. C. 11. p. 644. 649.
(*b*) Vide Conc. T. XII. f. 1543. 1553. & Allatium l. c. C. 12. p. 671. sqq.
(*c*) Vide Imperatoris constitutiones Gr. sub hoc titulo C. 3.
(*d*) apud Cotelerium in monum. Eccl. Græcæ T. II. p. 168.
(*e*) Conc. T. XIV. f 507.
(*f*) Vide Georg. Pachym. hist. L. 5. C. 22. f. 223. edit. Ven. (*g*) l. c p 738. sqq.
(*h*) Conc. T. XIV. f. 589. Adde Allatium l. c. p. 746.
(*i*) apud Bandurium in Imp. Orient. f. 652.
(*k*) Conc. T. XV. f. 623. 678.

phus, Patr. CP. *œcumenicus* (*a*), & nil quicquam contra hunc titulum dispositum legitur. Imo & omnes Patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum & Hierosolymitanum, in Concilio Florentino dictos fuisse *œcumenicos*, sed abs re scribit M. A. de Dominis (*b*). A. 1450. fertur Concilium contra Latinos Constantinopoli habitum fuisse, ubi Athanasius, Patr. CP. se *œcumenicum* dixerit (*c*). Sed fictitium illud esse causatur Allatius (*d*). Jam enim Josepho successit non Athanasius sed Metrophanes, huic Gregorius Melissenus (*e*).

§. X.

(*a*) Conc. T. XVII. f. 310. 793. T. XVIII. f. 505. Imago Josephi ære exscripta cum hoc titulo habetur in Bandurii Imp. Or. f. 689. ubi & f. 692. 693. in literis Patriarcharum Syriæ ad Jo. Palæol. Imp. CPum idem vocatur *œcumenicus*, quas exhibet & Allatius l. c. L. 3. C. 4. p. 943. 945.

(*b*) L. 4. de Republ. Eccles. C. 7. §. 29. f. 633.

(*c*) Conc. T. XIX. f. 105.

(*d*) in addendis ad libros de Eccl. Occ. & Or. perpetua cons. p. 1389. sqq.

(*e*) Confer Fabricii Bibl. Gr. Vol. VI. p. 745. ubi exstat conspectus chronologicus Imperatorum & Patriarcharum CPorum. Sed consulendus ante omnes est Anshelmus Bandurius in Imperio Orientali f. 991. sqq. edit. Paris. f. 688. sqq ed. Venetæ. qui vero & f 182. & f. 190. exhibet catalogos Patriarcharum CPorum, in quibus Josepho successisse leguntur Georgius & Athanasius. Sunt illi Matthæi Cigalæ & Philippi Cyprii. Aliter vero Gregorius Phranza in Chronico L. 2. C. 17. 19. Anonymus autem Crusianus Josephi successorem dicit Gregorium Mammam Pnevmaticum, in Turco-Græcia f. 5. quam hanc in rem citat Arcudius L. 2. de concordia Ecclesiæ Occ. & Or. in septem sacr. administratione C. 15. p. 114. Forsitan in locum Gregorii Mammæ sive Melisseni surrogatus fuerit iste Athanasius.

§. X.

Scribit Allatius, Patriarchas CPos *œcumenicorum* titulum *adeo obſtinate ſibi retinuiſſe, ut nullis neque minis neque adulationibus ad illum obliterandum adduci potuerint, & nunc etiam in calamitoſiſſima Græciæ deſolatione ſub tyrannide barbarorum peſſima eo ſe cohoneſtent* (*a*). Addit idem, Beſſarionem Cardinalem quoque, qui ab Imp. CP. Johanne Palæologo & Concilio Florentino à Phranza (*b*) dicitur creatus fuiſſe Patriarcha CPus, certè poſt captam a Turcis Conſtantinopolin poſt obitum Gregorii hoc titulo à Pio II. Pont. Rom. ornatus fuit (*c*), *œcumenicum* ſe ſcripſiſſe (*d*). Aſt conferendus hic ante alios eſt Cruſius noſtras (*e*), ex cujus Turco-Græcia conſtat, Pachomium, Joaſaphum, Metrophanem, Je-

(*a*) l. c. L I. C. 19. p. 289.

(*b*) in chronico L. II, C. 17. Aſt Sylveſter Syropulus in hiſt. Conc. Florentini negat, novum Patr. CPum poſt mortem Joſephi Florentiæ, licet id urgeret Eugenius IV. Pont. Rom. creatum, ſed conſtitutum demum ab Imp. Joanne Palæol. Conſtantinopoli affirmat Patriarcham Metrophanem, quem verò Græci agnoſcere noluerint. Vide f. 304. 305. 312 330. ſqq.

(*c*) Vide Arcudii opuſcula aurea Theologica p. 331.

(*d*) in epiſtola ad Græcos Conſtantinopolitanæ ſedi ſubjectos A. 1463. data apud Arcudium l. c. p. 333. 357. 358. & Allatium l. c. p. 289. 290. Nota tamen, Beſſarionem in latina verſione, quam ipſe fecit, *œcumenicum* ſe non ſcribere apud Arcudium l. c. p. 359. Unde & hic cauſſatur p. 373. nomen *œcumenici* in textu originali Beſſarionis non exſtitiſſe. Certe in alia epiſtola ad Pædagogum filiorum Thomæ Palæologi *œcumenicum* ſe non ſcripſit. Vide notas ad Gregorium Phranzam f. 182. edit. Venetæ nuperæ.

(*e*) in Turco-Græcia f. 197. 507. ubi tituli Patriarchæ CPi recenſentur. Sed vide eandem alibi paſſim.

remiam, Patr. CPos, & ipsos se *œcumenicos* nuncupasse, & hunc titulum ab aliis accepisse. Certè Theologi Tubingenses Jeremiam, Patr. CPum, *œcumenicum* appellarunt, qui & ipse *œcumenicum* se scripsit in responsis ad illos datis (*a*). Eodem titulo usi sunt A. 1638. in Concilio CPo contra Cyrillum Lucarium Cyrillus Berrhoënsis (*b*), A. 1642. in alio Concilio CPo Parthenius (*c*), A. 1672. Dionysius (*d*) & A. 1691. Callinicus (*e*), Pa-

(*a*) Vide acta & scripta Theologorum Wirtembergicorum & Patriarchæ CPi Hieremiæ, passim. Documento hoc est, Theologos Tubingenses titulum hunc antichristianum haud existimasse, etsi Pontifici Romano illum daturi haud fuissent, cum tamen utriusque Ecclesiæ eadem fere sit corruptio, imo Græca à nostra longius distare videatur ac Romana. Græci quippe, certè Russi, quod immersionem necessariam esse putant, nostros rebaptizant, quod Romanenses non faciunt, Vide Conc. Later. A. 1215. c. 4. X. de bapt. C. 6. & Caucum in hist. de Græc. recent. erroribus ad Greg. XIII. err. I. Sed contradicunt tamen Allat. l. c. p. 1262. sqq. & Arcudius de conc. Eccl. Occ. & Or. L. 1. C. 8. p. 19. 20.

(*b*) Vide Conc. T. XXI. f. 1718. & Allatium l. c. L. 3. C. 11. p. 1065. 1069.

(*c*) Confer Conc. T. XXI. f. 1630. 1635. & eundem l. c. p. 1082. sqq. Ita sane & Parthenius A. 1643. *œcumenicum* se scripsit in approbatione orthodoxæ Confessionis Ecclesiæ Orientalis p. 10. 11. editionis Normannianæ.

(*d*) in professione fidei, quæ exstat Conc. T. XXI. f. 1777. 1788. & dans la perpetuité de la foi de l'Eglise Catholique touchant l'Eucharistie defenduë contre Mr. Claude, T. III. p. 450. 454. 496.

(*e*) Vide Nicolai Comneni Papadopoli responsionem adversus Hokstonum ad Chrysanthum p. 49. Hic enim exhibetur decretum Synodi CPæ A. 1691. habitæ contra Joannem Caryophyllum, quod subscriptione sua firmavit

Patriarchæ CPi. Nullumque eſt dubium, eos hodienum eundem uſurpare (*a*). Quod reſtat, Clementem VIII. Pont. Rom. A. 1595. ab Orientalibus fuiſſe ſalutatum *œcumenicum*, refert Blondellus (*b*).

§. XI.

Hiſtoria hujus tituli ſecundùm ordinem ſeculorum prælibata, obſervamus I. Eundem monſtri nil alere, ſi οἰκουμενικὸς dicatur Patriarcha ſaltem ab urbe οἰκουμενικῇ ſeu βασιλίδι τῆς οἰκουμένης, & reſtringatur ad certum Patriarchatum, in quo Patriarcha utique οἰκουμενικὸς & *univerſalis* eſt. Alia eſt οἰκουμένη Orientis, alia Occidentis. Frivolum itaque fuit, diſputare de hoc titulo, uti egregie Mauritius Imp. CP. Anaſtaſius, Patr. Antioch. (*c*). & Anaſtaſius Bibliothecarius (*d*). II. Non poſſe dici, titulum hunc ita explicatum & reſtrictum, eſſe ſtolidum, temerarium, antichriſtianum, quæ labes ſic in ſolos Patriarchas CPos, haud ſanè in Romanos, qui illo nunquā uſi ſunt ipſi, redundatura eſſet. III. Nec tamen Pontifices Romanos, pauciſſimis, quos ſupra nominavimus, exceptis, eundem antichriſtianum & impium reputaſſe, cum & ante & poſt Gregorium

H 5 M.

Callinicus, Patr. CP. & Græco-Latine edidit Euſebius Renaudot in collectione, quæ Gennadii, Meletii Al. Nectarii Hieroſ. Meletii Syrigi, aliorumque complectitur opuſcula. Pariſ. 1709. 4.

(*a*) Certe in Liturgia, ubi mentio fit Patriarchæ, *œcumenicus* is dicitur. Vide Goari Euchologium Eccl. Græcæ f. 81. ed. Ven. Adde notitiam formularum, quibus Patriarcha CP. ſolet ad alios Patriarchas & Epiſcopos ſcribere, apud Lupum in diſſ. de Leonis IX. actis, Opp. T. IV. f. 437.

(*b*) l. c. f. 1074. (*c*) Vide ſupra p. 107.

(*d*) Vide ſupra p. 112. 113. Recte ſane Jac. Baſnagius: *Je ne ſai, pourquoi l'on a fait tant de bruit de ce titre, qui ne donne aucun pouvoir à celui, qui le porte.* Vide l'Hiſtoire de l'Egliſe L. 3. Ch. 6. §. 8. f. 162.

M. illum ſine proteſtatione admiſerint, & in Patriarchis CPis denique toleraverint, nihilque in Conciliis Lugdunenſi II. & Florentino in contrarium diſpoſuerint (*a*). IV. Sed hoc eſſe antichriſtianum, re ipſa dominium & jurisdictionem in totum orbem Chriſtianum affectare & ſibi adjudicare. Id quod inde à Victore I. fecere Pontifices Romani, & ipſe quoque Gregorius M. cujus, ubi hunc reſpuit titulum, ficta ſaltem fuit humilitas. Unde & V. Proteſtantes effatis illis Gregorianis contra jurisdictionem univerſalem, quam Pontifex Rom. in totam Eccleſiam affectat, utiliter uti poſſe. VI. Gregorium I. falſo tribuiſſe Patriarchis CPis, quod *novo* hoc titulo utantur (*b*), & VII. quod ejusdem uſurpatione ſignificare voluerint, & ipſum Patriarcham Rom. omnesque alios ſedi Conſtantinopolitanæ ſubjectos eſſe, nullumque plane dari Epiſcopum quam Patriarcham CPum, id quod ſane nunquam ſomniarunt iſti nec ſomniare potuerunt (*c*). VIII. Ex hoc ipſo quoque patere, quod

(*a*) Patet hinc, vel Gregorii I. eorumque Pontificum, qui titulum *œcumenici* damnarunt, vel illorum, qui tolerarunt, error & fallibilitas. Vide Placettæ Obſerv. hiſt. eccleſ. XI. p. 212. ſqq.

(*b*) Receptum enim tum temporis jam fuiſſe hunc titulum, abunde ſupra docuimus, affirmatque Gregorius ipſe, quod in Concilio Chalcedonenſi Leoni I. fuerit oblatus.

(*c*) Hoc egregie diduxere Blondellus l. c. f. 1074. 1075. & Maimburgius dans l'Hiſtoire du Pontificat de S. Gregoire le Grand, L. 2. p. 110. ſqq. patetque ad oculum ex ſupra dictis, maxime p. 107. Aliter Bellarminus de ſummo Pontifice L. 2. C. 31. qui putat, Patriarchas CPos ita ſe dixiſſe *œcumenicos* Epiſcopos, ut nullum alium Epiſcopum agnoverint, primatumque contra Romanum ſibi arrogaverint. Id quod vel ideo falſum eſt, quia Gregorius I. in ep. ad Joannem, Epiſc. Syracuſanum teſtatur, & Conſtantinopo-

quod Gregorius I. vel ex linguæ Græcæ inſcitia, quam tamen callere debuerat, qui per aliquot annos Conſtantinopoli hæſit, vel hiſtoriæ ignorantia haud ſciverit, quid ſibi velit titulus Patriarchæ *œcumenici*; vel IX. ex mero invidiæ & ambitionis ſtimulo eundem in Joh. Jej. & Cyriaco, Patr. CPis damnarit, quos tamen ob ſummam vitæ ſanctitatem alias miris modis evehit & laudat (*a*). Quo ipſo tamen non inficiamur, Patriarchas hoſce ad ſervandam pacem melius acturos fuiſſe, ſi inani titulo, licet in ſe innocente, abſtinuiſſent, vel eundem ſaltem ita explicaſſent, ut ad ſilentium redactus fuiſſet Gregorius. X. Falſum eſſe, quod affirmat Gregorius I. Leoni I. titulum *œcumenici* ab ipſo Concilio Chalcedonenſi oblatum fuiſſe. Neque enim hoc ex actis illius conſtat, licet Thomas Aqu. in opuſculo contra errores Græcorum referat, totam Synodum Leoni I. ſic acclamaſſe: *Leo ſanctiſſimus, Apoſtolicus & œcumenicus Patriarcha, per multos annos*

litanum Epiſcopum (falſo ibi dicitur *Euſebium* pro *Cyriacum*, unde hanc epiſtolam ſpuriam eſſe putat Tilenus ad Bellarmini l. c. p 258.) fateri, quod *ſedi Romanæ ſit ſubjectus*. At vero Gregorius I. nomen *univerſalis* & *œcumenici* ſimpliciter rejicit. Unde & F. A. de Simeonibus T. I. de Romani Pontificis judiciaria poteſtate C. IV. §. 2. p. 93. fallitur, aſſerens, quod tunc ſaltem Greg. I. illum reſpuerit, quando quis ipſe ſe *œcumenicum* dicat, certe enim ille noluit quoque, ut accipiatur ab aliis datus. Vide ſupra p. 107. & confer Forbeſii Inſtruct. Hiſt. Theol. L. 16. C. 7 §. 18. f. 787. ſqq. Verius itaque Lupus in diſſ. de Conc. VII. œcum. Opp. T. III. f. 250. ſcribit, Johannem Jej. cum ſucceſſoribus uſurpaſſe hunc titulum in ſenſu *tolerabili*.

(*a*) Hinc J. Baſnagius appellat *la conduite* de Gregoire *aſſés bizarre*, l. c. L. 6. Ch. 4. §. 7. f. 314. Adde Bælium in Dict. hiſt. & crit. tit. *Gregoire le Grand*, T. 2. f. 1306.

annos vivat (*a*). XI. Bonifacium III. Pont. Rom. titulum hunc à Phoca tyranno non obtinuiſſe, multo minus Phocam eo privaſſe Patriarcham CPum. Nec enim Græci nec Latini Scriptores veteres id dicunt (*b*). Jam &, ſi Bonifacius III. per preces ſuas eundem à Phoca obtinuiſſet, & ſumſiſſet iſtum ipſe & ſucceſſores illius, quod tamen non fecere unquam. Id vero longe falſiſſimum eſt, quod tamen bene multi ajunt, Cyriacum, Patr. CPum, Phocam ob necem Mauritii, Imp. CPi, excommunicaſſe, ſed Bonifacium III. Pont. Rom. illum abſolviſſe, atque ſic à Phoca obtinuiſſe titulum *œcumenici*. Jam & nullo excommunicationis vinculo à Cyriaco ligatus erat Phocas unquam (*c*). Itaque ergo epocha revelati Antichriſti & Papatus origo hinc petenda non eſt, quæ vero nec inde peti poſſet, ſi quoque, quod tamen inficiamur, *œcumenici* titulum ſoli Papæ Romano tribuiſſet Phocas, cum innocens hic titulus ſit, uti abunde vidimus, & Grego-

(*a*) Vide gloſſam ad Decr. P. 1. diſt. 99. C. 5. & ſupra p. 103. Jam vero in hac acclamatione vox *œcumenici* non exſtat in actis. Vide Pet. de Marca de conc. Sacerd. & Imp. L. V. C. 10. §. 7. & Conc. T. IV. f. 1168.

(*b*) Vide ſupra p. 109. Mirum eſt, communiter hoc aſſeri à recentioribus, qui hiſtoriam eccleſiaſticam tradunt, etiam accuratiſſimis Viris, qui alias ex fontibus ſapiunt. Vide Blondellum l. c. f 1004. 1067. & Baſnagium l. c. L. VII. Ch. 9. §. 5. f. 389. 390. Sed conjecturam hanc ſaltem eſſe fatentur iidem, Blondellus f. 1004. & Baſnagius l. c. L. VI. Ch. 4 §. 7. f. 314. Certe, ſi Phocas *œcumenici* titulum dediſſet Romano, eoque privaſſet CPum Patr. & Leo IX. qui Pelagii II. & Gregorii I. & Concilii Chalced. hanc in rem acta refert, & hoc quoque retuliſſet, quod tamen non fecit, & Hiſtorici Byzantini, qui Phocæ prava facinora, quæcunque patravit, ad ipſum denigrandum referunt, injuriam Patr. CPo ab illo illatam non tacuiſſent.

(*c*) Vide ſupra p. 108.

gorius I. sine ratione sufficiente contra illum fuerit tanto opere debacchatus. Si vero eadem hinc arcessi debeat, quod Phocas *Romanam Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum* scripsit, ad priora abeundum erit secula, queis idem passim professi sunt & Pontifices Romani, & Concilia, & Imperatores & Patres. XII. Librum Pontificalem sublestæ fidei esse, adeoque ea, quæ de Bonifacio III. & Phoca in illo referuntur, saltem dubia esse, maxime, cum scriptores Græci ne γρῦ quidem de hac Phocæ constitutione referunt, Latinique omnes ex solo hoc fonte, & ad verbum quidem, sua depromserint. XIII. Falsum esse, quod communiter refertur, hanc Phocæ constitutionem ad affligendum Cyriacum, Patr. CPum factum fuisse, cum Cyriacus A. 606. mortuus & Bonifacius III. demum A. 607. creatus fuerit Pontifex Rom. (*a*) XIV. Id, quod liber Pontificalis refert, declarasse Phocam, quod *Ecclesia Romana sit caput omnium Ecclesiarum*, nihil fuisse novi. Jam enim dudum ita nuncupata eadem fuerat (*b*). Num rectè, vel ex eo capite, quod Petrus ex antiqua sed falsa traditione (*c*) Ecclesiam hanc fundaverit, vel, quod Roma olim fuerit caput imperii, nunc non disputamus. Sufficit monuisse, in Conciliis primis œcumenicis, (*d*) adeoque ex mero jure humano, Patriarchæ Romano datum fuisse primatum *ordinis* saltem, non *jurisdictionis*, ex solo hoc capite, quòd Roma fuerit caput imperii, Patriarchæ quoque CPo cum secundo post Romanum loco adjudicata fuisse ἴσα πρεσβεῖα, *æqualia* cum eodem *jura*, omnes vero

(*a*) Ita Pagi in breviario gestorum Pontificum Roman. T. 1. p. 380.

(*b*) Conf. saltem du Pin L. 3. de antiqua Ecclesiæ disciplina, diss. 2. C. 2. §. 1.

(*c*) Demonstravimus hoc contra Jesuitam Scheffmacherum in respons. ad epist. 1. sect. 1. p. 5.

(*d*) Conc. Nic. Can. 6. Constant. Can. 2. 5. Chalced. Can. 28.

ro Patriarchas declaratos αὐτοκεφάλυς. Nec nos moratur, quod ſedi Romanæ, id quod & de Conſtantinopolitana dicendum, adulationis vitio ſæpe nimium fuerit tributum, quod Pontifices Rom. jurisdictionem in Eccleſias haud ſuburbicarias quoque & ad alios Patriarchatus ſpectantes ſæpiſſime uſurpaverint, quod & eadem ſubinde, ſed male ab his fuerit agnita, quod Pontificum Rom. ſententiæ, ſive conſulendi ergo ſive per compromiſſum ſive per appellationem quæſitæ; quod Concilium Sardicenſe, minus ſane œcumenicum, in cauſis majoribus adeundum Epiſcopum Romanum ajat (*a*), & quæ ejusmodi ſunt argumenta alia. Cum Eccleſia Africana (*b*), cum aliæ ſæpiſſime affectatæ huic Pontificis Rom. jurisdictioni univerſali contradixerint. XV. Phocam ergo, ſi *Romanam Eccleſiam caput omnium Eccleſiarum* declaraverit unquam, *caput* ſaltem *honoris*, non *jurisdictionis*, declarare illam potuiſſe. XVI. Si *caput omnium Eccleſiarum* ex eo capite velit eſſe Romana, quod Petrus martyrium Romæ ſubierit, multo magis Hieroſolymitanæ hanc prærogativam deberi, quam Chriſtus, quam Apoſtoli primam fundarunt, quam Salvator Opt. Max. ſanguine ſuo plantavit (*c*), à qua omnes aliæ ori-

(*a*) Can. 3. 4. 7.

(*b*) Vide, quæ hic ſcripſimus contra M. A. Cappellum in Introduct. in Hiſt. Theol. liter. P. 3. p. 39. ſqq.

(*c*) Urſerunt hoc ſubinde & Græci, Nilus Theſſal. Barlaamus & Macarius Ancyranus apud Allatium l. c. L. 1. C. 2. p. 13. 14. maxime & Leo Achridanus, Archiep. Bulgarorum, cujus judicioſus πρὸς τὺς λέγοντας, ὡς ἡ Ῥώμη πρῶτος θρόνος, libellus exſtat in Synopſi epiſtolarum canonicarum Alexii Ariſtini apud Beveregium in Synodico T. II. Dd3b. Hieroſolymitanæ Eccleſiæ primatum ſane ex recentioribus egregie deduxere Hartmannus de rebus geſtis Chriſtianorum ſub Apoſtolis C. 10. p. 207.

originem ſumſere. XVII. Extra omnem dubitationis aleam plane poſitum non eſſe, quod liber Pontificalis narrat, Eccleſiam CPam *primam ſe omnium Eccleſiarum ſcripſiſſe.* Jam enim monumenta illius ævi Græca hic deficiunt, & ad ſolam libri Pontificalis autoritatem, quæ valde vacillat, veritas vel falſitas facti devolvitur. XVIII. Conſtantinopolitanam tamen Eccleſiam ſano ſenſu & ſine ullo Eccleſiæ Romanæ præjudicio *primam* ſe *ſcribere* potuiſſe *omnium Eccleſiarum*, Patriarchatus nempe CPi, quo ſenſu forſan Juſtinianus I. *caput omnium Eccleſiarum* illam dixit (*a*). Sic Stuttgardianam Eccleſiam caput omnium Eccleſiarum Wirtembergicarum jure dixerimus. Quid hic monſtri lateat, non patet. Nec tamen, cum ſumma & intolerabilis ambitio Græcos ſemper vexaverit, negaverimus, fuiſſe ſubinde ex illis, qui ad Eccleſiam CPam cum Imperio primatum migraſſe contenderint. Ita ſane Anna Comnena (*b*), ita fere & Nilus Doxopatrius (*c*). Sed hanc ſententiam nec Eccleſia nec Patriarchæ Cpi unquam publice & ſolenniter profeſſi ſunt, licet ſubinde ambitionis & adulationis æſtus quosdam in transverſum egerit (*d*). Si vera ſunt, quæ liber Pontificalis narrat, neque enim argumentum negativum à ſilen-

ſqq. & Dodvvellus in Parænefi de nupero ſchiſmate Anglicano. Quam in rem & plura in Hiſtoria Eccleſ. Sec. I. quæ nondum edita eſt, ſcripſimus, C. III. §. 1. nota 18. Jam vero nulli plane Eccleſiæ prærogativa divino jure debetur, niſi quæ ex orthodoxiæ, ſanctitatis internæ & diſciplinæ apoſtolicæ flore fluat.

(*a*) Vide ſupra p. 104.

(*b*) Alexiados L. 1. f. 31. edit. Par. & f. 29. & Venetæ nuperæ. Adde Cruſii Turco-Græciam f. 46.

(*c*) Vide locum ſupra p. 116. citatum.

(*d*) Vide Altimuram l. c. p. 207. 208.

ſilentio Græcorum, qui & litem inter Pelagium II. & Gregorium I. atque Joh. Jej. & Cyriacum ſilent, deductum ſemper ſtringit, haud absque veri ſpecie dixerimus, Phocam conſtitutionem Juſtiniani I. qua Eccleſia CPa *caput omnium Eccleſiarum* declarata fuit, ad preces Bonifacii III. abrogaſſe, & ſedi Romanæ reſtituiſſe primatum, jam olim ipſi jure humano adſcriptum. Aſt XIX. de jure divino & ſecundum literarum ſacrarum tenorem nulli Eccleſiæ primatum deberi, eadem ratione, qua nulli Apoſtolo, nedum Petro (*a*). Sunt enim Eccleſiæ Chriſtianæ ſocietates liberæ & æquales, quarum nulla alteri legem ferre poteſt, prouti nec una Reſpublica libera alteri imperare valet. Miſera iſta lis eſt, de titulo, de prærogativa honoris vel jurisdictionis certare, quæ in Eccleſiis nulla eſſe poteſt (*b*). XX. Mirum eſſe, quod, qui ex Græcis adverſus primatum Romani Pontificis ſcripſere (*c*), tam parci fuerint in evolvendo Patriarchæ *œcumenici* titulo. Nemo luculentior hic eſt Nectario, Patr. Hieroſolymitano, qui priore ſeculo vixit, & in antirrhetico *de primatu Papæ* libro (ſunt vero, qui Doſitheum, ipſius ſucceſſorem autorem ajant) prolixe de hoc argumento egit (*d*), &

(*a*) Confer, quæ hanc in rem diximus in Diſſ. de Eccleſia Petro inædificata p. 6. 7. 12. 13. & contra Scheffmacherum ſect. 1. reſp. ad ep. 3. p. 41.

(*b*) Vide Luc. XXII. 24 ſqq.

(*c*) Nilus maxime & Barlaamus, quorum libellos de primatu Papæ ad calcem ſui de eodem argumento libri edidit Salmaſius.

(*d*) Titulus eſt: *τȣ̃ μακαριωτάτȣ καὶ σοφωτάτȣ Πατριάρχȣ τῆς μεγάλης καὶ ἁγίας πόλεως Ἱερȣσαλὴμ Κυρίȣ Νεκταρίȣ πρὸς τὰς προσκομισθείσας θέσεις παρὰ τῶν Φρατόρων διὰ Πέτρȣ τȣ̃ αὐτῶν μαΐσορος περὶ τῆς ἀρχῆς τȣ̃ Πάπα ἀντίῤῥη-*

& cui prolixe quoque respondit Altimura (a).

§. XII.

Esto hoc specimen judicii historici sine partium studio lati, quod traditionem communem, sed falsam, jugulare aptum sit; ex quo & pateat, quam necessarium sit, ex *fontibus ipsis* in historia ecclesiastica sapere. Plurimum enim contra historiæ lucem hic peccari videas, & peccari quoque ab Interpretibus Apocalypseos, qui in illa Bonifacium III. & Phocam vident, falsa ex historia ecclesiastica supponentes. Exempli loco sit Melch. Kromayer, qui putat, secundum Angelum clangentem Apoc. VIII. 8. esse Bonifacium III. qui in Concilio Romano titulum Episcopi *œcumenici*, quem à Phoca acceperit, confirmandum curaverit, quod & ipsum longe falsissimum est (b), & bestiam è mari surgentem Apoc. XIII.

ene. Jassii in Moldavia 1682. f. Latine vertit & cum notis edidit Petr Allix. Londini 1702.

(a) Refutavere Nectarium Nic. Comnenus Papadopoli in *Pranotionibus mystagogicis ex Jure Canonico sive responsis sex, in quibus una proponitur commune Ecclesiæ utriusque, Græcæ & Latinæ, suffragium.* Patavii 1697. f. 351. sqq. & prolixius Stephanus de Altimura, Ponticensis, in *Panoplia contra schisma Græcorum, qua Romana & occidentalis Ecclesia defenditur adversus criminationes Nectarii, nuperi Patriarchæ Hierosolymitani, quas congessit in libro* περὶ ἀρχῆς τῦ Πάπα, de primatu Papæ. Paris. 1718. 4. Latere sub Altimuræ nomine Mich le Quien, Dominicanum Monachum Parisiensem, docet Europe Savante, Mars 1719. n. 2.

(b) Nihil profecto hanc in rem liber Pontific lis, qui solus in vita Bonifacii III. acta illius Concilii refert. Sed nec Phocæ literæ ad Bonifacium III. in quibus Baronius ad A. 606. hunc ab illo *œcumenicum* salutatum fuisse refert, exstant, vel antiquis memorantur.

XIII. 1. esse Phocam, additque: *Drum rechnet man von der Zeit an die geistliche Herrschafft des Pabsts und den ersten Anfang des Antichrists* (*a*). Sed vero & alias in veritatem historicam peccant vaticiniorum sacrorum Interpretes, de quo hic non est dicendi locus.

(*a*) Videatur illius Kirchen-Chronica des N. T. oder die Offenbahrung S. Johannis auf eine neue Lehr-Art, nach vvelcher die Ordnung der Capitel behalten vvird, erkläret. Leipz. 1708. 4. p. 117. 118. 193. Ast & numerum bestiæ apocalypticum 666. in Bonifacii III. nomine & anno quærunt Stephani, Lœscherus & Sturmius, qui postremus & voce *οἰκυμενικὸ* ad supplendum calculum utitur. Vide Polum & Wolfium ad Apoc. XIII. 18. & Bibl. Brem. Cl. I. fasc. 1. p. 149. sqq.

* * * * *
* * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *

VI.

VI.

JOH. EUTICHI de CLAROMONTE *
ORATIO CAROLINA
De
PERSECUTIONE LOCARNENSI.
A. 1550-1555.

Argumentum.

§. I. Elogium *Caroli Magni*, ejusque studium Fidei propagandæ. Pessime agunt, qui armis magis

* Hoc nomine nonnihil occultare se voluit Vir, dum viveret, Celeberrimus, *JOHANNES de MURALTO*, ex Nobilissima apud *Locarnenses* quondam Prosapia oriundus. Chir. & Med. Doctor, Societ. Nat. Curios. Aretæus, in Acad. Tig. Physices Professor, Illustr. Reip. Archiater, & Ven. Colleg. Carol. Canonicus, &c. natus A. 1645. denatus nonagenario proximus A. 1733. Scriptorum ejus Catalogum videsis Biblioth. Brem. Cl. II. p. 570. sqq. Is Oratione hac, in Memoriam *Caroli Magni*, (quæ Academiæ Tigur. solemnis est) a. d. 28. Januarii, 1708. recitata, causas exitus *Majorum ipsius* e patria sua exposuit; Simulque Historicam narrationem Evangelii quondam in Lepontiorum Locarno plantati, sed cruda Persecutione pressi & fugati, ex indubiis Monumentis, cum Appendice Variarum Epistolarum huc spectantium, publi-

magis quam rationibus ad homines convertendos utuntur. Propositio Orationis & connexa. §. II. Reformationis necessitas, occasio & initia, etiam in Italia. *Locarni* oppidi Descriptio. Prima Evangelii semina ibi sparsa. §. III. Balthasar Fontana, Benedictus Locarnus, Varnerius Castilionæus, Johannes Beccaria, aliique primi Veritatis apud Locarnenses præcones & sectatores. §. IV. Dissidia excitata. Dynastæ (sive Præfecti) Untervvaldii molimina contraria. Colloquium Locarnense inter Sacerdotem Luganum & Joh. Beccariam. A. 1550. §. V. Beccaria in carcerem conjicitur, sed mox in libertatem vindicatur. Acta Thaddæi Duni cum Inquisitore Mediolanensi. §. VI. Technæ hostium veritatis. Subornata pacta falsa de Religione Rom. retinenda, quæ demum A. 1554. patefacta. §. VII. Literæ supplices Evangelicorum ad Cantones Evang. horumque auxilia vexatis præstita. Calumniæ Anabaptismi impacti abstersæ. Acta cum Cantonibus Pontificiis. Sententiæ ab Arbitris latæ. §. VIII. Motus orti ex administratione Baptismi, & ex dicterio

ci juris fecit, sub Rubrica: *Lux in Tenebris, a Tenebris rejecta, non tamen extincta, ORATIONE CAROLINA sub dium revocata, in LOCARNENSIUM PERSECUTIONE, &c.* Tig. Typis Schaufelb. Hardm. 1708. 8. pl. 6. Conf. Sleidan. Lib. 26. f. 331. Simler. de Rep. Helv. L. II. sub fin. Ejusd. Vita Bulling. p. 28. Thuan. Hist. L. 16. f. 498. & præsertim Hotting. Helv. Kirchen-Gesch. T. III. p. 816-819. Lauffer. T. IX. p. 289. & al. J. J. H.

rio quodam Nicolai Græci, de imagine D. Mariæ. Diffidia Cantonum in Comitiis Badenfibus. Ægidii Tfchudii fententia. §. IX. Tigurinorum præ cæteris Cant. Evangel. conftantia. A. 1555. Jefajas Reuchlinus, Præfectus Tigur. decreta XI. Cantonum exequi renuit. § X. Comitia VII. Cantonum Pontific. Uraniæ habentur. Oratores Helvetii Locarnum profecti, alios in Religione Romana confirmant, alios Evangelium profeffos aut fide aut fedibus fine mora cedere jubent, fupplicibus precibus rigidiffime rejectis. §. XI. Riverdæ, Nuntii Papalis, acta cum Oratoribus Helvetiis, & Colloquium cum mulieribus quibusdam Evangelium amplexis. Barbara de Muralto infidias eludit. §. XII. Perfecutorum furor. Nicolaus Græcus capite plexus. §. XIII. Confeffores veritatis emigrant, & in Rhætia atque Tiguri benigniffime recipiuntur. §. XIV. Vindictæ cœleftis in perfecutores Locarnenfes fpecimina. §. XV. Perfecutiones Antichriftianæ recentiores, præcipue Gallica & Araufienfis. §. XVI. Epilogus.

§. I.

NOva jam lux oritur, faufta noftræ Ecclefiæ Collegioque noftro, facra CAROLO, continua quondam victoria, invicta virtute, CHRISTI-que amore jure meritoque *Magno*, Pipini, Francorum Regis, Filio, Martelli Nepoti, Carolomanni fratri; poft hujus mortem foli rerum Germaniæ, Galliæ, Italiæque potienti, Avunculo Comitis & herois

tois Rolandi, Abavunculi *Viviani I. Claromontani* Comitis & *Locarnensis* Nobilitatis Genearchæ; Imperii Romano Germanici Instauratori omnium calculo celebrando; Viro omnis eruditionis genere, ut incomparabili virtute splendido, Longobardorum domitori strenuissimo, Romanorum Episcopi Liberatori & Donatori liberalissimo, Saracenorum flagello acerrimo, (a) cujus tantus fuit terror orbi, ut non solum Græciam, sed etiam Africam Persiamque penetrarit; Unde tot ad eum Ægypti, Africæ, Persiæque, cum donis legationes, ut Palæstinam Parthus restituendam obtulerit. Cujus non tantus tantum eruditionis amor, ut Musis sedes hinc inde varias erexerit, & (b) Alcuini præceptoris suasu *Lutetiæ Parisiorum* suis impensis publicum literarum mercatum instituerit, (c) Academias, Pisanam ac Bononiensem in Italia, Monasteriaque plurima fundaverit, quorum exemplo & doctrina' juventus inposterum prodiret morum sanctitate & eruditione conspicua, Ecclesiaque ab Hæresibus ingruentibus pura puta, qualis quidem in se tum fuit, servaretur. Sed tantus ipsi etiam eruditionis ardor fuit, ut suadam ipsius labiis resedisse duxeris, ceu cui in Græco Latinoque sermone copia splendorque emicuit, ut non solum æque Latina ac Germanica patria lingua orare sit solitus; sed & (d) Irenes Augustæ Filio Constantino VII. filiam Caroli Rothilden desponsari curantis perorantibus græce Legatis, simili Dialecto responsa dederit, accentuum tantum enunciatione hæsitans. Quanta Christi nostri dilectio mentem ipsius inflammarit, non solum Canonicorum Collegia, tum Moguntiæ, tum Coloniæ, tum Tre-

(a) Hotting. Hist. Eccl. part. 1, Secul, seu C. 9. sect. 1. p. 582.
(b) Avent. Annal. Libr 4. & Kronmayer p. 309.
(c) Videsis Hosp. de Origine Schol. p. 95.
(d) Kronmay Eccl. in Polit. sub Cent. 9. Carol. M. p. 308. Gutberl. Chronol. p. 323.

Treviri, tum Salisburgi, tum Seduni, patriæque, Tiguri hujus nostri; non Episcopatus plures Germaniæ, Ostervicensis sive Halberstadiensis, Paderbornensis, Osnabrugensis, Mindensis, Bremensis, Verdensis, & alii; sed præcipue bella pro Christi grege suscepta testantur, in quibus Symbolum suum (*Christus vincit, regnat, triumphat*) asseruit, utpote quo Duce & Promacho tot hostes vicerat, Ecclesiæque pomœria latius propagaverat, ut cum pientissimis regibus, qui potiorem Dei quam sui fovere rationem, Josua, Davide, Josaphato, Ezechia, Constantino M. Theodosioque M. conferri metuerit. Horum tamen gravissimum cum Wittekindo, Saxonum Principe, aliisque hujus subditis 32. annis (*a*) perdurabat bellum, quo, Irmensula, idolo Fani Erezbergi, destructa, Wittekindum victum & coactum dicunt, ut nomen Christo daret, quasi se armis Evangelii splendor dilatari patiatur; quum tamen octies adversus (*b*) ipsum arma arripuerint Saxones, nec citius finem optatum obtinuerit Carolus, quam victum, non tam armis, ac ratione & humanitate, Wittekindum suavi sua conversatione ad veritatis agnitionem perduxisset, eique abs ulla vi externa persuasisset, ut ethnicam pravitatem, nulla alias armorum vi extortam, ultro relinqueret, suoque exemplo reliquis quoque conterraneis idem faciundi author hortatorque foret, prout clarissimus *Serranus* lucidissime deduxit. Et revera non armis sed rationibus vincuntur animi; horum conversio non minus stupendum Dei opus, quam ipsa Creatio. Ast secus sentiunt, qui Caroli M. armorum fama abutuntur; vana eorum opinio illud Domini (*c*) ἀνάγκασον εἰσελθεῖν per ferrum flammamque exponit, ut iniquitatis μυστήριον adimple-

 ant,

(*a*) Pacif. à Lap. ad Mozam. Disc. 5. p. 119. Meibom. c. 7. de Irm. Sax. p. 43. Eginh. p. 101.
(*b*) De Serre inven. Hist. Fr. p. 57. a.
(*c*) Luc. 14:23.

ant.& Babylonicæ superstitionis pensum perficiant, divino humanoque despecto jure supra regum fastigia, supra Ecclesiæ authoritatem, supra omne Numen trifidæ dignitatis verticem attollant, Christum de honoris sede præcipitent, Deum majorum suorum extermi-nent, panaceæ massæ idolum in sanctuario collocent, robustos perdant, populum sanctorum debellent, atque in fideles sævitia imani grassentur. Antiquam hanc tragœdiam, à mille annis lusere Itali, lusere ferme à quingentis annis Galli, lusere non minus Hispani, lusere Germani, lusere Helveti, & ferme quotidie hodienum in scenam denuo producitur. Citatis testes, Præsules? producerentur regna, imperia, gentes, nationes, regiones, urbes, oppida, pagi, imo familiæ illorum innumeræ, qui, ob fidei salvificæ Confessionem vim passi, sanguineas profundunt lacrymas. (a) Producerentur ultra noningenties mille Martyres, nempe triginta novem Principes, centum quadraginta octo Comites, ducenti triginta quinque Barones, centies quadragies septies mille quingenti & octodecim (147518) nobiles, septingenties mille & sexaginta (700060.) ex plebe, qui ab A. C. 1550 ad A. 1580. eandem ob causam in primariis tantum partibus Europæ, Hispania, Gallia, Italia, Anglia & Belgio, violenta morte obiere, & triumphum triumphantis fidei egere. Quid Germania insuper? Quid Hungaria, quid Polonia, quid aliæ gentes Europææ pertulerint? Quid Helvetia viderit & luxerit? Quid & inde ad hunc usque diem peractum fuerit? Libris, quos mundus vix capere videtur, pluribus; nec tamen sufferetim legitur, quo furor Antichristi asseclas egerit. Quæ omnia, ne actum agere videamur, recensere supersedemus, & tantum, quæ luce aperta nondum fruuntur, *Locarnensium* scilicet *persecutionem* hac vice (qua mos ita sorsque mea fert) in amorem *Carolinæ Memoriæ* apri-

(a) Aleth getruckter Palmenb. Christl. Wahrh. 1. Th. c. 44. p. 296.

apricabimur, ut abominatione digna crudelitas agnoscatur, Ecclesiaque orthodoxa, præsertim alma tu Tigurina, (quam Deus ut pupillam suam hisce temporibus conservare dignatus est;) ad vigilantiam & beneficentiam pacemque proporro exciteris, inviteris. Quod, ut vestra optima cum venia, Proceres omnium Ordinum Amplissimi, Venerandi, Nobilissimi, Gravissimi, Spectatissimi, Dignissimi, Auditoresque Humanissimi, fieri possit, Dei O. M. Spiritum ducem & auxiliatorem imploro, vestrumque favorem benevolentiamque rogo!

§. II.

Nostis, Auditores! Quæ sponsæ Christi, Ecclesiæ, sub finem Seculi XV. & ab initio seculi XVI. misertima fuerit in Europa facies, simillima Mulieri Apocalypticæ in eremo erranti, à Dracone aperto Mare petitæ; sub enormibus suspitabat Pastoribus, imo impostoribus, quorum alii cum Alexandro VI. (*a*) Germanorum peccata alearum lusu perdere, (*b*) cum Julio II. se alterum Deum profiteri, cum (*c*) Leone X. ex fabula de Christo (ut sanctissimam fidem calumniabatur nefarius) thesauros lucrari, cum (*d*) Hadriano VI. mundum fallere, cum (*e*) Clemente VII. de Deo, de animarum immortalitate, de vita æterna dubitare, cum (*f*) Julio III. iræ suæ justitiam cum Dei contemtu vindicare, quam Deum vocantem sequi Ecclesiæque salutem promovere, malebant. Malebant

(*a*) Francken Päbsten Chronik. III, Part. p. 116. Machiavell, Lib. Comment. de Pr c 1 : 18. 19. Nigr. L. 6. c. 47. p. 597.
(*b*) Id. Nig. l. c. c. 49. p. 604.
(*c*) Id. Bal. l. c. c. 50. p. 611 Füeslin. Conclav. Rom. p. 745
(*d*) Nig. l. c. c. 1. L. 7. p. 619.
(*e*) Tröstb. Päbstli. Suetonius § 226. p. m. 227.
(*f*) Tröstb. Päbstl. Suetonius §. 228. p. 229. Nigr. loc. cit. c. 4. p. 664.

tamen (*a*) per *Johannis Tezelii*, indulgentiarum institoris, os blasphemum, impia quotidie despumans, Saxoniæ superstitiosam plebeculam pecunia emungere, & per animarum nundinatorem Ecclesiæ thesauris palliatum (*b*) *Bernh. Samsonem* Mediolanensem Helvetiam deprædari, adeo ut optimo cuique hæc displicuerit impietas, etsi inveteratæ Pontificis Romani potestati contradicere nemo ausus fuerit. Quousque tandem Numinis inspiramine puncti duo testes animi macti prosiliere, in Helvetiis D. *Zwinglius*, inter Saxones strenuus *Lutherus*, qui Germania pepulere superstitionem, atque Evangelii lucem purissimam à modii tenebris eruere ac domui Dei restituere; & tanta quidem cum claritate, ut ringentibus adversariis splendor ejus (*c*) in ipsius Romæ portis refulserit: Nam Venetia suos, Vicetia (Vincenza) suos, suosque Trevirium, jam A. 1542. alebant fovebantque veritatis testes incomparabiles, qui Lutherum ad concordiam impellere & hortari non horrebant. Neque Ferrariensis Aula respuebat, sed aliquot V. D. Ministros jam A. 1528. suscipiebat suspiciebatque, qui mox suppressi, popularium suorum erga Deum ingratitudinem lachrymis deplorabant sanguinolentis. His tamen suppressis Evangelii radii non supprimebantur, sed latius adhuc effulgebant, ita ut Insubrum oras miro splendore illuminarint, unde LOCARNENSIUM I. *Conversio* miranda, II. *Constantia* stupenda, & III. *Persecutio* insolens, considerationi nostræ occurrunt. Ipsum *LOCARNUM* (*d*) Galliæ Togatæ, sive

(*a*) Cronm. Eccles in Pol. cent. 16. p. 468. Sleidan. Com. L. 1. §. 2. col. 2.

(*b*) Bull. Chr. Mscr. pag. m. 14. 15. Hott. Hist. Eccl. Sec. 16. p. 3. c. 2. Tom 7. p. 171. &c.

(*c*) Sekend. Lib. 3. p. 401. 578. Scultet. l. 2. p. 148. Bez. Ico. clar. vir. p. 123.

(*d*) Simler. Helv. Rep. L. 2. Frà Paolo Morigia nella Historia della Nobilta del lag. maggiore, C 6. p. 45. 48. 50. 54.

ſive Inſubrum, & ex illis Lepontiorum oppidum non poſtremum, ſive amœnitatem loci ſive habitatorum Nobilitatem perpendas, inter Alpes altiſſimas,ad frontem Verbani lacus, ad oſtium Majæ ſitum; ab Auſtro ſuperſtitioſis ſuperciliosiſque Mediolanenſibus, ab Aquilone quinque pontificiis Cantonibus, ab Euro & Rhætis & Venetiis, atque à Zephyro Valeſianis confine; decem milliaribus Italicis Bellinzona diſtans, quingentis focis amplum, ad palmæ formam exſtructum, quinque vallibus ceu totidem digitis confinibus conſpicuum, aëris temperatura ſanum, Eteſiis Auſtroque pervium, fertilitate vinearum frumentorumque proventu quæſtuoſum, duplice quotannis meſſe beatum, ferarum pecorumque ferax, piſcium delicatiſſimorum fœnore ſcatens, imo omnibus tum ad vitæ ſuſtentationem, tum ad ejus commoditatem, tum refocillationem neceſſariis abundans, omnibusque ſeptimanis ob forum frequentiſſimum à vicinis frequentatum. Ipſum oppidum omnibus neceſſariis redundat, atque Nobilitate & antiquitate generis & gloria majorum inclyta gaudet, quæ tergemina à Roberto Claromontano deſcendente Capitaneorum, *Orelliorum* ſcil. *Magoriorum*, *Muraltorumque* familia prognata, propagata, & ab Ottone M. magnis decoribus ornata, ſplendoris antiqui veſtigia non vilia in Caſtello dimidio lapide à Locarno diſtante *Muralto*, antiquitate ſtructuræ, Templo cathedrali Canonicorumque pingui ſede celebri, habet. Ad occaſum oppidi caſtellum aliud ſemideſtructum, Dynaſtarum Helvetiorum ſedes, conſpicitur, ex cujus ruderibus fama vetus reſonat, utpote quod, Guicciardino teſte, hiſce oris ſibi ſimile neſcivit, adeo munitum, ut 15000. Helvetiorum fruſtraneo id conatu obſederint,(a) quouſque tandem pacifica transactione A. 1503. jugum Helvetium ſubiiſſet, & pontificia authoritate A. 1512, continua id tole-

(a) Stumpf. Lib. 9. de Lep. c. 8. & 10. p. 604.

tolerantia ferre jussum fuisset. Jussum enim hoc adeo tum, quemadmodum hodienum, venerabatur, ut & sputum Quirinale lambere non nauseaverint; imo tantum Antichristiana his oris prævalebat superstitio, ut captivas Lepontiorum mentes æternis vinculis custodiendas, nullo seculo liberandas, jactitare non erubuerint, ceu quæ fervidissimis Romanæ sedis Hyperaspistis ita circumvallarentur, (*a*) ut (cum Arimaze Marginiæ præsule) valle vicinorum audacia invicta freti, superbe satis gloriari Evangelioque insultare visi fuerint: An volare posset?

* At Pater æthereus, rerum cui summa potestas,
Ridebat impotentium irritos lusus.

Locarnum alatos mittens nuncios, quibus jam antea prævaricatores ἄσπονδον indixerant bellum, Orthodoxorum intelligo (*b*) *libros*, nænia μύθοις σεσοφισμένοις canentes, veritatem æternam propagantes, homines ad pœnitentiam sinceram invitantes, atque ad fidem veram exhortantes, qui devote à devotis lecti, divina comite gratia & potentia, tanta vi electorum tam ex Clericis quam ex Laicis corda movebant, ut in mediis tenebris, in locis, inquam, ab Evangelio semotissimis, humanorum deliriorum puteos fastidiverint, & limpidos Israelis fontes sitiverint, haustosque non sibi solis reservaverint, sed & aliis communicaverint.

§. III.

Vadum hoc primus tentavit, & quidem sole veritatis, præter Alpes Helveticas & Saxoniæ partem, oppido paucos Europæ angulos irradiante, *Balthasar Fontana*, ex Carmelitarum secta vere religiosus. Quam hic vellem virum hunc in accurata icone ob oculos vestros po-

(*a*) Q. Curt. L. 7. c. 11. §. 5. p. 367. Ita Alb. dux Barl. respond. Strada L. 7. &c. * Buchan. Ps. 2.

(*b*) Testatur Joh. Beccaria Locarnensis literis ad D. Pellic. Professorem missis, quas in App. sub N. 1. invenies.

ponere,& curatius, ceu dignissimus videtur, vobis contemplandum exhibere possem, ni injuria temporis eam delevisset. Ne memoria ejus, quæ merito in benedictione est, omnino tolli posset, monimentum ipse sibi, quanquam nil minus cogitans, posuit in familiari *Epistola*, quæ propria ejus manu exarata in instructissimo Ecclesiæ nostræ Archivo, ut adamas inter innumeras gemmas nitens, conditur; ex qua imaginem quandam mentis, qua pollebat, generosissimæ, &, quæ præcipua nobilitas est, pientissimæ, intueri licet. Cognoscite ex ungue leonem. Sic ille inter plura alia ad immortalis memoriæ virum, *B. Zwinglium*, sub d. 15. Decembr. A. 1526. (a) literis Como datis: *O Christi fideles, &c. salvet., & mendici illius Evangelici Lazari, nec non humilis Cananææ, saturitatem cupientis de micis, quæ cadunt de mensa Domini, mementote; ego enim sero famelicus ille David & inermis, ad panes propositionis & arma templo dicata confugio. Ego equidem sitibundus eorum ad fontes aquarum viventium recurro; ego itidem sicut cæcus apud viam sedens ad lucifcrentem vocifero. &c. Lachrymosis ergo suspiriis degentes in tenebris obsecramus humiliter, ut vos, qui titulum, volumina & scientiarum Auctores bene nostis, (certi enim sumus, vobis datum fore, nosse μυςήριον regni Dei;) præcipue omnia opera divinissimi Zuvinglii, famosissimi Lutheri, resolutissimi Melanchtonis, accuratissimi Oecolampadii, solertissimi Pomerani, &c. ad nos, mediantibus pecuniis nostris, transmittere dignemini. &c.* Ultimam originem & prima stamina Ecclesiæ Locarnensis his ejus verbis accipite: (b) *Confœderati conjunctique in expeditionem veritatis tres tantum numero sumus. At non in multitudine fortium Gedeonis, sed in paucis à Deo selectis, succubuit Madian. Quis scit, si ex modica favilla maximum incendium Deus voluerit excitare? Seminabimus, plantabimus, Dominus autem incrementum dabit.* Istorum nomina & labores frustra indagaverimus;

(a) Literas has insp. in Hott. Hist. Eccl. T. 6. Sec. 16. part. 2. p. 618. & suppleas ex c. l. p. 271.
(b) Ex iisdem Literis c. l. p. 620.

verimus; scripta sunt autem in libro vitæ. Fortean mundus, qui iis indignus fuit, ex diptychis expunxit. Agnoscite jam & adorate mecum paternam Dei in Ecclesiis fundandis curam. Efficit illa, ut primi conatus, quantumcunque debiles & mundo ridiculi videantur, sapienter solideque suscipiantur, & tanto majore cura fundamentum ponatur, quanto atrociores procellas ædificium experturum esse novit. Non dubitamus, lucem hanc Locarnensibus orientem tenebrionibus Romanis admodum fuisse invisam. Ne tamen ignorarent, velle Deum in ipso Italiæ limine, aut si malis, atrio, Ecclesiam puram exstruere, illis Aquilas & Apollos suppetias misit, qui per tria quatuorque lustra Locarnum suavi fragrantia veritatis Evangelicæ implerent.. Quid? quod ipsa illa patria mea viros produxit, qui non tantum communi patriæ, sed universæ Italiæ, saniora dictare aggressi sunt. (*a*) Talis ille *Benedictus*, cognomento *Locarnus*, ex ordine Monachorum, qui Patres Minores nuncupantur; Eorum, qui Evangelium pure annunciarunt, in Italia Antesignanus. Is lucem eandem Siciliæ intulit, neque illustris Italiæ locus est, quem non doctrina sua illustrarit. Talis porro *Varnerius Castilicnaus*, (*b*) qui Locarni se operarium haud pœnitendum in Dei verbo indesinenter præstitit, adeo ut nec odia internecina neque labores & itinera pro Evangelio suscepta lassaverint, sed intrepidum potius & indefessum Christi Athletam confirmaverint; Commilitonemque *Johannis Beccaria* conservatint, qui illis plantantibus, ordine quidem (nec tamen forsan omnibus) posterior rigavit, sed tanta industria, solicitudine, fortitudine & patientia, rem Ecclesiæ promovit, ut primæ ipsi debeantur, & Locarnensium Beccaria *Apostolus* dici meruerit,

(*a*) De hoc Joh. Becc. iisd. lit. N. 1. & hæc testatur aliis Id. Apr. A. 1546. Locarn. ad Pellic. N. 2. in Append. Et sic Lit. ad eund. N. 3. 1546.

(*b*) De hisce vide Hotting. Annal. Helv. T. 3. p. 762.

meruerit, ut (a) erudita & sancta ejus Cœtus membra *præceptorem suum* nuncupare ipsum non detrectabant. Fuit autem *Beccaria* hic vir omnibus bonis probatus, probatæque fidei & vitæ, qui pro seculi ratione sat eruditus, sub millium, Argo similium, Ephororum inspectione, nescio qua Dei O. M. providentia, circa A. 1540. sacrorum pandectarum Codicem, vernaculæ suæ redditum, sibi comparaverat, quo duce, & mediante luce illuminantis Dei Spiritus, graves Romuleos errores agnoscere, rejicere atque despuere discebat, ac Evangelii veritatem revereri, confiteri, atque omni nisu promovere incipiebat adeo, ut Hero suo, Jesu, plures alios lucrifecerit. Præ cæteris tamen capiendos ducebat, quibus capiantur & alii; Hinc inter primos *Ludovicum Vengesum*, cognomine *Runcho*, *Thaddæumque à Dunis* Medicum, viros ingenio veloces, animo intrepidos, pectore sapientes, mente præcelsos, zelo incensos, facundia potentes, factis constantes, dictis veraces, pietate excellentes, contra impietatem, contra vitia, contra torrentem humanarum rerum ejusque impetum indefesse laborantes, Christo è Quirinali carcere eruerat, quibus tanta cum efficacia Babelis fraudes detexerat, ut quietem horruerint, quousque Dn. *Martinum à Muralt* (*Locarnum* dictum) & Oppidi & Nobilitatis tergeminæ. Ocellum, Virum ut nobilissima prosapia conspicuum, ita Juris utriusque Doctorem, experientia & praxi eruditissimum, & gravitate & pietate & fortitudine & prudentia clarissimum, sibi jungentes, ubique suorum locorum (b) Francisci Pici Mirandolani Principis illustrissimi querelas patefecissent: *Ædes sacras & templa lenonibus, Catamitis & lupis esse commissa, qui pauperum simpliciumque sanguinem, imo medullam,*

(a) Ita Th. Dunus M. D. Lit. N. 5. ad D. Bulling. V. Id. Sext. 1549. Locarno scriptis.

(b) In Orat. ad Conc Lateran. vid. Hott. Hist. Eccl. Part. 5. c. 16. sect. 3. p. 890, 891.

lam, luxu plus quam sybaritico vorarent, urgere igitur necessitatem, ut vineæ Dei altior cura gereretur. Hinc zelo Eliano huic se operi dare inceperant, ut cœtus Locarnensium jam A. 1550. ad numerosam frequentiam accreverit. Ita, qui è tenebris lucem, ex nihilo mundum, producere novit antiqua sua potentia, in ipsius Babylonis pomœriis vasa excitavit infirma, quibus animum addidit tantum, ut sanguine sanctorum madentes quatere fasces, scortique apocalyptici & asseclarum ejus pudenda nudare, ausi fuerint. Testes, opus suum sine hominum ope Deum perficere, regnum suum absque mortalium adminiculo erigere posse, & arcam suam ab Uzæ manibus sustineri nolle, neque in Nominis sui manifestanda gloria vel parem vel superiorem ferre. Ipso renitente, reniti animos, ipso vero volente & populo benedicente, velocissimum fore Evangelii cursum, quo non pauci Christo nomen dent, sed catervatim, sancto quasi certamine variorum variis morbis correptorum ad Arcam Fœderis, tanquam ad salutarem Bethesdam properent; id quod profecto tanto singulari & pene inusitato miraculo est propius, quanto vel hominis unius seria conversio alias contingit.

§. IV.

Quemadmodum vero omne Dei opus suos Pharaones, structura templi suos Sanaballatos Samaritanosque, experiri cogebatur, qui, flectere si nequibant superos, Acheronta movebant, & cœlum terræ terramque cœlo miscebant, ut cœpta Dei impedirent. Ita & Locarnensium conversio Angelum Satanæ colaphis cædentem, & quidem statim ab initio, experiebatur: ad hoc enim, ceu ad commune incendium, rasum pecus Papalium concurrebat, ad arma invitabat, incitabat, artemque Marti, Martemque arti junxerat, neque ulli stratagematum pepercerat, quo gliscentem sub cinere Evangelii favillam extingueret. Quem

in

in finem se & Avi Antichristi & Proavi Satanæ consuetudini antiquæ applicuerat, quorum Symbolum in Paradiso jam obtinuit: *Divide & impera.* Ideo discordiarum faces civium Locarnensium animis admovebant, quibus vicinos, consanguineos, amicosque, lites serendo inter se committebant, Euripoque mutabiliores superstitiosorum mentes, conviciis nefandis Apostasiæque opprobrio, variisque hujus furfuris accusatoribus clandestinis contra Christi fideles armabant. Neque igniaria Dynasta, tum temporis harum terrarum Gubernacula dirigens, Untervvaldius, submovebat; potius, ut & odium Evangelii suum conterraneis apricaretur & turbatis aquis piscaretur, frigidam suffundebat, omnemque lapidem pervolvebat, quo pie cœptis resisteret, & Dei nostri castra frangeret. Hinc mox simplicibus, ut fraudes cantu parans Siren, blandiebatur, mox ut virulenta Megæra furebat; nec quicquam intentatum relinquebat, ut paxillus paxillum trusisse dixeris, quousque tandem ex provinciis suæ curæ non commissis Missificos alios evocasset, quorum manus adversus Domini Gregem sibi jungeret. Quos inter Erudition's fama *Luganus* tum temporis sacerdos quidam eminebat, qui stupida jactantia elatus *Locarni* publica concione gloriabatur, se ad refutandas omnes Novatorum doctrinas solum sufficere, utpote quas mendaciis, calumniisque adeo denigrabat, ut Plutonem vix nigriorem depinxisset; Orthodoxusque *Locarnensis* sibi non temperaverit, sed heroico actu voceque altissima regesserit: *Sacrificule, à veritate deflectens spurcissima mendacia profers!* nec reperiebatur tamen, qui reprehensorem in jus vocare ausus fuisset; citius adversarii rabulæ missifici jactantia nixi ita occæcabantur, ut Colloquium de Fide inter *Reformatores Locarnensium & Sacerdotem illum Luganensium* proposuerint, ex quo indubitatam sibi victoriam promiserant, quanquam ex ali-

quibus jam habitis Colloquiis de sequiore successu experientiam habuissent convictricem & testem publicam: Nec sapientiam nec potentiam quicquam contra virtutem valere. Ast justum Dei judicium istos confundi voluit, quare fidei Theses componebant ipsi, non ut Christus, Rex æternus, exaltaretur, imo ut Throno præceps suo daretur; ideo *de Pontificis potestate, de Justificatione Hominis, de Operum meritis, de Confessione auriculari & purgatorio*, schedas invitatorias ad valvas curiæ, templorum & arcis affigebant, sicque die constituto publica authoritate, phalerati gravi pompa palatium Helveticum processione ingrediebantur. Præcedebat autem atque præsidebat Magistratus supremi Vicarius Dynasta, sequebatur Antistes ille Luganus cum duobus peltastis, Medicis è familia Comutiorum, fratribus, comitibus Archisacerdote Locarnensium cum Parochialibus Pontificiis suis; claudente agmen Monacho quodam, mire Laicorum oculis sancto, hypocrita maximo; quos omnes tandem nobilium atque egregiorum Virorum multitudo cum Notariis circumstabat. His primas partes anticipantibus, Evangelium vindicatura cohors postveniebat; ex cujus facie sanctam Evangelicamque simplicitatem cordatamque fortitudinem justitiamque causæ legere potuisses, ut fraudes ex apparatu & fastu adversariorum cognovisses subornatas; utpote qui prærogativam iniquæ sedis ubique ambiebant, ambientibus nostris gloriam Dei. (*a*). Hinc præludiis omnibus omissis, in medium palæstræ soli ostentæ fortissimus Athleta Dei *Joh. Beccaria,* cum Parastatis duobus, discipulis suis, *Ludovico Runcho & Thaddæo à Dunis, M. D.* prosiluit, & in medio palatio ex Antagonistæ opposito consedit; nec diu velitationes expectare debuit, sed Præsul Luganus, vix conspecto Beccaria, stolida ei ostentatione insultavit ex Matth. XVI : 18. Joh. XXI : 16. assertu-
rus,

(*a*) Vid. N. 5. Appendicis.

rus, (*a*) quæ doctiſſimi alii ex ſolo contextu ſacro, de Authoritate Petri, atque Epiſcopi Romani Romanæque ſedis continua ſerie, oſtendi poſſe negabant; utpote qui infallibilitatem imaginariorum Petri ſucceſſorum inde evinci adeoque ſuffulciri prætendebat, ut hæreticis (quemadmodum Orthodoxos calumniabatur) vix vires obmurmurandi reſtent. At virtus evangelicæ veritatis cybiſtemata in his hujus Cybiſteris ita reprimebat, ut obmutuerit penitus, & quid regerat, neſciverit. Adeo facile, proh! nimium efflatus elatusque Icarus, alarum fictitiarum ſuarum cera à ſole ſoluta, mergitur! puta, confunduntur, qui veritatem impugnare ſatagunt: *Tantam enim ſemper potentiam Veritas* (teſte Cicerone) (*b*) *habuit, ut contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias ſubverti non poſſit, ſed facile per ſe ipſam defendat;* eſt enim Dei filia.

§. V.

Hac igitur victrice, mox apparuit, Romanenſes non diſputaſſe, ut concluderent, ut imperitos docerent, aut Eccleſiam ædificarent, ſed ut Deum hominesque luderent, & Veritatis aſſertores ſupprimerent. Dynaſta enim, Herculis ſui & ſtuporem & ſilentium ſtupidiſſimum ſtupens, & ex interpretibus de cauſa ejus edoctus, ſtatim è re ſua Pontificisque Romani eſſe ſtatuit, ſi receptui caneret, Colloquiumque ceu negotium Concilio dignum tolleret, vulpinamque indueret pellem, omnes Orthodoxos ad Tribunal ſuum convocans atque adigens, ut categorice & candide de quæſitis pronunciarent, nempe: *An Eccleſiæ Romanæ Dogmata vel probarent vel rejicerent?* At anguem in herba latentem, apocalypticæque feræ ungues ad

(*a*) Valerianus Capucin. in Colloq. Rheinf. vide D. Hott. Eccl. Hiſt. Sec. 16. P. 2. c. 1. p. 12.

(*b*) Cicer. Orat. 34. pro M. Cœlio ſect. 63. T. 2. col. 708.

prædam extensos, subsentientes Harpocratem agebant, neque verbi sonitum, etiam à Dynasta pressi, edebant, ut timore captos duxerit, & occasione temporeque uti concluserit, sicque *Beccariam* è medio Conventu ad carceres abripi curaverit, spe illaqueatus, fore ut metu jam oppressos facile superaret. Nova, mehercle, sed Antichristo consueta, solvendi nodosa, convincendi pervicaces, ratio! Argumentatio bella, qua cum alia dolo ponuntur, vi alia assumuntur, raptu alia deducuntur, conclusiones tandem in carcere formantur! Egregia disputandi methodus! Sed Deo sapientissimo ita dirigente factum, ut patefieret, cujus spiritus filii essent, legitimumque recolligendi animum metu præpostero inde raptis sese offerret remedium, quod fides data tam audacter frangeretur, dolentibus bonis. Stabant enim ad Arcis portas juvenes Locarnensium aliquot fortes, & Colloquii successum exspectabant, quos inter *Johannis Beccariæ frater*, juvenis magnanimæ vivacitatis, quem nulla unquam vis, nullæ minæ, nullaque hactenus invidia labefecerat, cui instinctu quodam divino mens eundem dissertationis hujus exitum, quem sortita fuit, præsagiebat; quem & simul cum aliis ejusdem pectoris juvenibus fraternus amor in omnem eventum armabat, ut non diu cunctantes, sed paratì promtique, erumpente Beccariæ detentionis fama, in arcem intrepidi irruperint, Dynastamque cum attonita turba, nihil tale sperante, obligaverint, ut invito animo, non sine dedecore, *Johannem* captivum libertati reddiderit, ne majus periculum majorque seditio ingrueret. Imo qui tanto ante fastu fremebant, ut linguas ad astra sustulerint, ut leges omnibus præscripserint, & sacra quæque violaverint, tanto jam timore percellebantur, ut se tutos nullibi æstimaverint, etsi fida fratrum Locarnensium manus omnem pacem oppignoraverit. Unde Præsulem Luganum Dynasta

in

in hoſpitium comitabatur, ut ſub tutela publica tutior evaderet, imo & eodem comite forti militum copia domum clam navi ablegabant. Ita Θεόμαχοι timent, ubi nihil timendum; quod conſcientia propria convincuntur, ſe Tutorem invictum ſuum, Deum Exercituum læſiſſe, de quo jure quærendum: Si Deus contra nos, quis pro nobis ſtabit? Timor filialis Dei ſecuritatis mater, quem per reconciliationem Chriſti cum Deo comparari noverant. Nec tamen ad mentem redibant, & Deum propitium reddere ſuſtinebant, ſed maleſanus maleſuadusque timor ipſos magis adverſus Evangelium aſſeclasque ejus exacerbabat, odiumque capitale illorum animis inſtillabat, ut furibundi vindictam meditari, mari æſtuanti ſimiles, non quieverint, ſed indefeſſo fervore omnem fidelibus Locarnenſibus nocendi anſam non arripuerint tantum, ſed venati etiam fuerint. Primitias vindicantis ipſorum furoris pius experiebatur *Thaddæus* noſter, cui, quod ſub faſcibus Helveticis ipſi intentare non valebant, tendiculis extra Helvetiam poſitis reſarcire ſtudebant. Et rei huic commoda occaſio dabatur, quum ſtatim poſt Locarnenſe Colloquium ad Inſubrium aliquot pagos evocatus, ab A. 1550. uſque ad 1554. ibidem gentium cum familia remoraretur, ut pro inclyta ſua arte & experientia opem ægrotis ferret. His enim locis confeſtim expiſcatus à Comutiis illis fratribus, Sacerdotis illius Luganenſis in Diſſertatione Locarnenſi peltaſtis, *Inquiſitioni Mediolanenſi*, tanquam primipilus labefaciendæ authoritatis pontificiæ deferebatur, quæ emiſſis lictoribus eum capiendum ſtatuebat. At fruſtraneo conamine, quod clanculum ab imminente periculo præmonitus, in collem vicinum ab amicis ſeductus effugerat. Invitabatur tamen abſens, ut ſponte ſe Inquiſitori ſiſteret, & ad Apologiam rediret, quam duabus vicibus, nec ſine graviſſimis expenſis, Inquiſitori Monacho non ad-

modum fero & auſtero, tanta cum fiducia propoſuerat, ut impune ad ſuos dimiſſus ſit. Quæ ipſi cautio fuit, cur inde cum conjuge, ibi terrarum ducta, duobusque liberis patriam reviſerit, & cum omnium bonorum applauſu & gratulatione receptus fuerit; Quod non tantum nobilem ortu & felicem inclytumque arte cognoverint, ſed quod ſe & beneficum proximo & æmulum Evangelio & fidum Deo & conſtantem fide & in periculis conſultum præſtiterit. Ita virtus ab hominibus amatur, atque à Deo protegitur, frementibus impiis!

§. VI.

Fremebant omnino fidei Hoſtes infenſiſſimi, imo fremitu frendebant atque ſpumabant irrequieti, non tamen neſcii, quid technæ valerent; unde ad illas recurrere, ut univerſo imponerent cætui & incautos irretirent, quos quotidiana calamitatum exercitatione creſcere ſenſerant. Ea autem Locarnenſis Eccleſiæ tum conditio erat, ut ex colloquio nupero plenam victoriam aſſecuta viſa fuerit; ideo à ſuperſtitioſo cultu fratres in Chriſto immunes, quotidie firmabantur Verbi divini Sacramentorumque uſu liberrimo, qui ipſis familiariter à V. D. Miniſtro Clavenna evocato adminiſtrabatur, tanta cum Spiritus S. cooperatione, ut & liberos ſuos ad ſacri fœderis initiationem publice attulerint, & emortuos ſuos absque Monachorum næniis, ſine luce & cruce, ſepeliverint. Etſi vero hoc turpis lucri cupidorum ſinui zelotypiæ & livoris carbones excitaverit intolerabiles, ut inſtar hyænæ obvium quicquid citiſſimè deglutiviſſent, imo Briarei in modum centum manibus armati, furore effrænato, rabie quadam deſperata, nullam amicitiæ, nullam cognationis, neque ullius ſanctioris & ſolennioris officii, rationem habuiſſent, quominus violaſſent, & ſimi'es (a) Demetrio Epheſino, jacturam quæſtus ex Dia-

(a) Actor. 19: 23. 24.

Dianæ ſuperſtitione promanantis timenti, omnia ſtrage, calamitate omnia atque vaſtatione adimplevisſent. Attamen non è re ſua fore, tortuoſa illa & multiplicia ingenia adhuc autumabant, ſi veluti fuſtibus aucupium promoverent, aucupabantur utilitatem, aucupaturi occaſionem. Technis igitur venandum, prius retia extendenda quam canibus irritatis feras agitandas putabant, & circumire properabant, quos vincere nequiebant; & quidem variis laqueis, quibus & terreſtrem & cœleſtem, corporalem & ſpiritualem, ipſis benedictionem ſubducere tentabant. Primaria tendicula ad ſubducendam patriam ſubornabatur ſubdole. Ejus verſutiſſimus temerator Provinciæ Locarnenſis tum ſcriba, *Walther R. Uranienſis* habetur; Vir, cujus caput & ſupercilia abraſa malitiam olere & clamitare videbantur, & qui ex fraude fallaciisque totus conflatus dicebatur, ad nihil aliud natus, quam ut pacem ac tranquillitatem communem turbaret, non ſecus ac pituita biliſque corpus. Is idem, qui ceu nova hirundo ſex poſtea annis, literis ſub fide Helvetiorum fida exaratis (*a*) ad Ducem Albanum, Phalarim illum Hiſpanum, Belgarum poſtea carnificem, tum in Italia reſidentem, profectus, vel ut ipſum naſo ſuſpenderet, vel patriam proderet, vel utrumque moliretur, adeo ut exul ex aliquo tempore patriam vindicem fugerit; ſed ſervitia Pontifici præſtita revocabant ipſum & ſpartæ ſuæ reſtituebant. Tendicula vero illa, quam citatus R. noſter Eccleſiæ Locarnenſi ſupponebat, falſa fuere pacta, quaſi *Conſules, Senatores, Cives, Pagani, & Incolæ Locarnenſes omnes, ſolenni juramento ſe obſtrinxerint, ſeptemque Cantonibus Helvetiis Heterodoxis promiſerint, ſe Authoritatem Papæ æſtimaturos, & Religionem Romanam usque ad Concilium inſtans eundem in modum culturos, quemadmodum ſeptem illi Cantones colerent*; *quam rem & inſtrumento publico ceu* pignore

(*a*) Stettleri Vichton. Hiſtor. Part. 2. Libr. 5. p. 191.

pignore nexam vellent. Hæc machina mire ſubdola, pauciſſimis etiam inter adverſarios nota, quatuor annis latebat. Aſt tandem in nervum erumpens, haud parum calamitatis fidelibus Chriſti aſſeclis Locarni attrahebat; patefacta enim demum die 10. Martii A. 1554. quo *mandatum ſeptem Cantonum*, his pactis nitens, publicabatur, *ut omnes cives & incolæ Locarnenſes, per jejunium quadrageſimale iſtud, promiſſis ſuis tam ſancte juratis ſtarent, confeſſioni auriculari ſatisfacerent, nomenque ſuum* Ἀρχιερεῖ (quo titulo præſulem pontificii Locarnenſium cœtus intendebant) *darent, neque quemquam terræ conſecratæ crederent, niſi Miſſa prius inſtructus è vivis receſſerit, eundemque præſulem Æacidinis minis, nempe metu infamiæ, ſuſpenſionis à munere ſuo, imo remotionis totius terrebant, ſi quem contumacem experiretur, & non deferret.* Scitu & auditu hæc inſolita, proh! quantum movebant pios! Obſtupuere animis, vigilantes ſomniabant, neſcii an vigilarent. Converſi oculos inter ſe atque ora tenebant, neque tamen animum deſpondebant, neque minis terrebantur, quibus adverſus eos protervia ſuperſtitioſa tanquam votifragos perjurosque detonabat. Immobiles ad immobile Numen ſtabant, ſtultum putantes, ab eo tutelam hanc minimam non ſperare, qui maxima ultro largiretur, ſe iisdem minis audire ſibi viſi: (*a*) *Noli timere parve Grex: nam placuit Patri veſtro vobis dare regnum illud!* Quare *non aliunde quam à montibus auxilium expectabant, in quos* (*b*) *cum Davide attollebant oculos ſuos,* à Domino nempe Tutore, Salvatore & *Vigile Iſraelis.*

§. VII.

Ne tamen periculum ſecuri negligere viderentur, unum quod reſtabat in humanis remedium, & quo ſalva Religione & fide orthodoxa ut poterant, prudenter apprehendebant, recurrentes ad Orthodoxos fidei ſuæ

(*a*) Luc. 12: 32. (*b*) Pſal. 121: 1.

suæ socios *Cantones*, quorum Dominium Imperiumque æque ac Romanensium venerabantur. His literis supplicibus per publicum Commissarium *Dn. Martinum Besutium*, de fraude commissa, *de pactis clam erectis conquerebantur, auxilium implorabant, efflagitabant, quo ex Babylonica Antichristi servitute liberarentur, in qua tot deceptiones, fraudes, doliqne suborirentur, sibi omni commiseratione dignis, quibus opitularentur, ceu ducentis patribusfamilias innocentibus, ceu subditis clientelari obsequio cognitis, ceu fidei sociis in Christo non rejiciendis; firmiter sperantibus, Deum auxiliatorem optimum ipsorum Dominis clementissimis viam modumque eos sine jactura publicæ pacis & concordiæ liberandi suggessurum. Tempus esse faciendi gratiam iis, quibus alias & Corporis & Animæ exitium immineret.* d. 30. Martii; 1554. Neque Proceres suos Orthodoxos inveniebant surdos, sed quorum curæ cordique res Dei atque fidei pendebat, ut qui se non Dominos arbitrosque rerum, sed & Tutores Administrosque habebant; quorum sit plantare concordiam, ut occurrat misericordiæ, juvare honestatem, ut assurgat, suffulcire modestiam, ut accrescat, promovere innocentiam, ut ferveat, atque sufflaminare malitiam ac debellare audaciam, ut exsæviat utraque. Itaque *septem Romanensium Cantones* literis, die 8. Maji 1554. ex comitiis Aroviensibus exaratis, humanissime monebant, *ne in Locarnensium negotio usque ad instantes anniversarias Provinciarum Helveticarum supputationes in Junio exigendas, ultra procederent, caverentque, nimium id urgeant, ne Orthodoxorum Cantonum partes immunitatesque iis in oris læderentur.* Sed quo cum successu? Nostis, mendaciis satum, mendaciis natum, mendaciisque educatum Antichristum; Quidni & mendaciis se protegeret iste? Novit enim veritatem innocentiæ patrocinari, quam supprimere & tutoribus privare studet. Præambulam habuit fraudum sarcinatricem (a) Jesabelem furiarum quar-

(a) 1. Reg. 21: 9. &c.

quartam; habuit ſociam (*a*) meretricum coram Salomone alteram; habuit artificii præſidem (*b*) Potipharis adulteram; imo inſtitutorem habuit Antichriſti Atavum (*c*) ſerpentem in Paradiſo, qui regnum ſuum mendaciis inchoavit in cœlis, fundavit in inferis, propagavit in terris; & jam Aſſeclas Antichriſti inſtigavit Locarni, ut mendaciis à civibus fideliſſimis ſuis Orthodoxorum patronorum animos abalienarent; dolo antiquo illo, ex temporum malitia, anſam arripientes. Ut enim primitivæ Eccleſiæ ſurculandorum, Simonis Magi, Cerinthi, Ebionis, Arii, & quorum non aliorum ſtolonum, prævaricationes noxasque Chriſti fidis imputare ſolebant, ut omnium in ipſos odium exaſperarent, atque eos commiſeratione omni privarent; Ita occaſio rebellis Munzeri, impii Serveti, ſceleſti Valentini Gentilis, fraudulenti Davidis Georgii, perverſi Lælii Socini, aliorumque Fanaticorum, præcipue Spiritus iſtius Catabaptiſtici omnia turbantis, fratribus Locarnenſibus (*d*) ſycophantias haud contemnendæ notæ cauſabatur, quibus tam veteratorie ipſos orthodoxorum Procerum cura & ſuppetiis indignos reddere ſatagebant, ut ſolatium amiſiſſent omne, niſi per eundem *Martinum Beſutium* confeſſionem ſuam *de Deo Triuno, de Chriſto incarnato, ejusque opere mediatorio & interceſſione, de Juſtificatione noſtra, & de Sacramentis*, iisdem Mœcenatibus ſuis die 6. Junii 1554. exhiberi curaſſent; atque ab iis gratiam imploraſſent, ut Doctores Orthodoxi transmitterentur, quorum inſtitutione & adminiſtratione Evangelii fruerentur, Orthodoxiamque ſuam probarent. Quo facto, non crimen tantum diluebant, ſed denuo IV. Cantonum be-

(*a*) 1. Reg. 3: 20. (*b*) Geneſ 39: 12. &c. (*c*) Gen. 3: 3. &c.
(*d*) Vindicat calumnias haſce Literis ſub N. 7. annexis ad Dn. Bulling. Auguſtus Mainardus, Paſtor Orthodoxus, Clavenna ſub d. 31. May. 1554.

benevolentiam recuperabant, ut lapidem quemque ad piorum afflictorum horum conservationem ac propugnationem movendi consilia injecerint. Hunc in finem à Cantonibus controversis die 1. Augusti ejusdem anni in Comitiis Thermopolitanis serio requirebant, *ut pacta illa Locarnensia abolerentur, ut pœna Evangelio addicti Locarnenses solverentur, & tota lis usque ad diem 2. 7bris h. a. summis Magistratibus deliberanda remitteretur; Jesajæ Capnioni* (Räuchlein) *Reipublicæ Tigurinæ Ducentumviro*, viro in ferrea ætate illa aureo & ineluctabili, *Locarnensium tum Dynastæ, inculcantes, ut omnem novitatem ad plenam litis dilucidationem & dijudicationem impediret.* Quis non felicem hinc sperasset successum? At anguilla, nisi capite teneatur, cito elabitur: Ita lubricorum hominum ingeniis patent ubique diffugia, vafro doloso gradiuntur itinere, ut merito in tribus, imo in quatuor illis annumerentur (*a*) occultis: Hæc enim via viri in virgine, quam non novit sapientissimus hominum. Vir Antichristus, virgo Ecclesia; via Antichristi in Ecclesia variæ technæ, quibus eam affligeret, imo stupraret, si Altissimi summa & inviolata potentia conniveret. Hac & jam ejus pedissequi incedere pergebant. Illucescente enim stato die omnia turbulentiora ingruebant; nam responsionem favorabilem præstolantibus inexpectata tria proponebantur ζητήματα Orthodoxis: *An fœderibus antiquis orthodoxi; An decisioni litis per plura vota sint staturi? Utrum sint adjuturi pœnas ab Apostatis Locarnensibus* (quo nomine pios insigniebant) *sumturos?* Hæc, de quibus nulla unquam inter fœderis socios quærendi dabatur occasio, proh! quantas movebant altercationes, ut Lindii sacra fecisse vel Syrbenæ choros duxisse, dixisses ipsos, quousque Orthodoxi Helveticum tandem vadimonium constituendum citarint, &, cæteris ad id venire respuentibus, Arbitri

(*a*) Prov. 30: 19. 20.

Arbitri bini, Ægidius Tſchudius Glaronenſium, & Othmarus Curtius Abbatiſcellanorum, Landammanni, partibus diverſis has pacis leges deliberandas per preces ſerias blanditiis mixtas præſcripſerint: 1. *Ut Orthodoxi fœderibus pluriumque votorum dijudicatione ſtarent, neque pacem violarent.* 2. *Ut ſinguli pacta illa Locarnenſia ſubdola abolerent.* 3. *Ut XIII. Cantones inclyti ad 7.8bris Uraniam Legatos ſuos dimitterent.* Conatus, medius fidius, boni, qui bonis ſucceſſibus haud caruiſſent, niſi improba mox ſurrexiſſet triſti de ſede Megæra, quæ Orthodoxorum IV. Cantonum de conditionibus illis ſententias in divortia diſcerpſit. *Bernates* enim Articulos hos rejiciebant, optantes, ut ad Vadimonia conſtituta, ſed neglecta, redire liceret; Secus ſe toti negotio intercedere atque valedicere; crudum nefas eſſe, quæ de votorum victoria ſtatuiſſent. *Baſilienſes Scaphuſianique* vero, ſuboffenſi quidem ſed tempori inſervientes, ſententiæ Arbitrorum ſubſcribebant. Quæ diſſenſio, ut multum gaudii adverſariis, ita haud parum doloris pro Eccleſiæ ſalute ſolicitis *Tigurinis* affundebat. Quare prolongationem termini deliberationis à VII. Cantonibus urgebant, atque in diem 18. 9bris obtinebant, ut Orthodoxis de novis conditionibus conjunctim conſultandi ſpatium daretur; reapſe vero conceſſis his feriis diſſentientium animos reconciliare pararent, ut vis unita fortior ſtaret.

§. VIII.

Dum interim Locarnenſium Alcedonia varie fluctuabant, binæ vero fluctuationes multum ſudoris & laboris egregio illi *Jeſajæ Reuchlino*, *Dynaſtæ Locarnenſium*, tum cum Conjuge & filio graviter decumbenti, cauſabantur, quarum altera *ex Baptiſmi adminiſtratione*, altera *ex impudente inſolenteque Dicterio incauti Eccleſiæ membri* promanabant. Qûum enim Orthodoxi Locarnenſes filios à miſſifico ſacerdote ſacro fonte

tingi

tingi horruissent, cætusque sui frequentiam V. D. Ministro dignam censuissent, atque è Valle Tellina sibi vicina fidum adduxissent, cujus ministerio in Æde D. Mariæ sacra binos puellos baptizari curassent, ringente Fiscario loci, & Dynasta ipso Capnione citato, prius vetante, sed postea, facti ratione ab Orthodoxis Locarnensibus reddita, concedente, ne Deo adversari videretur; unde viro ægrotanti optimo tum eo tutiores dicam impingebant. Præcipue cum eadem ferme hora altera superstitiosos, proh quantum! agitasset fluctuatio. Haud multum à Locarno Fanum D. Mariæ sacrum supra collem situm distat, quod *Madonna del Sasso* nominant, cujus inspectio & cura Monacho concredita, decimis circumjacentium vinearum, vel aliis adhuc vini annui reditibus & donis remuneratur, ad quæ congerenda certum quendam quotannis conducunt, cujus vices eo autumno *Nicolaus Græcus*, sutor orthodoxus, adimplebat. Is inter ambulandum & colloquendum cum juvene socio, à fœmina quadam obvia *Vinum pro D. Virgine* petens, quærebat: *Num quid ipsi afferret, quod Flamen D. Matris venderet & magnam inde pecuniæ vim conflaret?* Illa vero respondens: *Quid ad te? Vinum D. Mariæ libo; quocunque id Monachus impendat, sive potet D. Virginem, sive se, sive alios, haud curo.* Sicque ad aliam nequitiæ sociam appropinquans consultabat, quo miserum Nicolaum infortunio mactaret utraque, ac postea conjunctim accusabant: *Nicolaum fœdissime D. læsisse Virginem, Divæ scorti impegisse culpam, quod se inebriaret quotidie, nec quicquam redderet, quocunque clystere alvum evocarent ejus.* Sit verecundia verbis! Dura verba! quem non & mitissimum superstitionis cultorem irritassent? cœca enim illa Dea adeo dementat, ut animi intemperiem virtutem æstimet, neque pro Dei honore tantum, quantum pro sua opinione æmuletur: Quidni & suos cultores occœcaret, ut pariter de-

dementiantur, atque furorem fortitudinem, atque mendacium veritatem, calumnias legitimas accusationes convincentiaque testimonia obtendant. Hinc Nicolaus binarum fœminarum accus. tione vel potius criminatione reus, Dynastæ inquisitioni subjicitur, atque illius, ambulationis socii, testimonio convincitur dixisse, quæ negabat, addidisse tamen, absentibus jam fœminis accusatricibus, *se non D. Mariam Deiparam, sed exanimum inaneque ejus idolum intellexisse.* Effugium quidem, sed de vi Heterodoxorum non satagens. Est enim ea Junones Geniosque sibi adoptantium indoles, ut Cœlitum Majestatem in imagine falsa lædi posse opinentur, & proniores sint ad condonandum hominis animam intercludenti, quam ligneam imaginarii sancti statuam lædenti. Unde non reo tantum nova onera, sed piissimo Dynastæ Reuchlino novæ & anxiæ curæ oriebantur, quibus reum septimanis sedecim, à 30. 7bris. A. 1554. ad 21. Januarii anni insequentis, irretitum vinculis includere tenebatur. Neque tamen periculosam potentium inimicorum offensam effugere poterat, sed crebriores severioresque minas publicis & immitibus rescriptis audire cogebatur. Præcipue die 18. 9bris ingruentibus Comitiis Thermopolitanis, quibus inter *Helvetios Legatos* misere omnia miscebantur, Procerumque in litigia animi dilatabantur. Nam qui Ecclesiæ litabant Romanæ, aures suas *Octaviani Riverdæ*, Episcopi Terracinensis, Nuncii Apostolici (apostatici potius,) *Badæ* tum simul ob negotii tractandi gravitatem degentis, carminibus præbentes, Locarnenses Orthodoxos, supplicibus eorum rejectis libellis, ad crucem rapere, Evangelici contra eorum Patroni impunes eos tueri, conabantur. Et hercle, vix dies sedasset discordias, nisi, Arbitris interpositis, ad quatuor tandem res devoluta fuisset capita, quorum præcipua duo: (*a*) *Locarnenses pœna*

(*a*) Hæc Ægidio Tschudio adscribitur sententia, quam in

pœna solutos, vel ad sacra Romana revertunto, vel patria, liberis opibusque comitibus exeunto, neque Locarnum unquam amplius redeunto, aut in VII. Cantonum ditionibus secus ac peregrini transeuntes divertunto; Anabaptismus & convitia in D. Mariam emissa, aliaque Dogmata utramque Confessionem impugnantia, puniuntor. Et hæc Ægidii Tschudii *sententia si Mediatorum consultationibus rata acceptaque fuerit, Locarnensium Dynastæ significantor, atque à XII. vel (quatuor renuentibus & absentibus Cantonibus) à reliquorum VII. Legatis effectui dantor, infracto tamen repugnantium jure.*

§. IX.

His capitibus & ab Heterodoxis, & à Bernatibus, Basileensibus, Scaphusianisque assentientibus, rata factis, *Tigurum* nobile & immobile calculum subtrahebat, quicquid die 2. Decembr. h. a. nobilissimus tum Consul *Habius*, binis Glaronensibus & Abbatiscellanis junctus, & paucis post diebus Bernatum, Basileensium, Scaphusianorum, & trium fœderum Rhætiæ altæ Oratores, cum antea citatis, denuo moverint, ut rupes tamen manebat, *neque hæc suo nomine Locarnensibus significari, minus exsecutioni dari volebat;* (b) (præcipue quum manus sancta quædam injuriam sententiæ hujus publice proposuisset dio;) *Sin vero Heterodoxi Articulorum exsecutionem statuerint secum, plane pleneque se protestari, & jura sua excipere, neque tamen motuum causam daturum, sed Fœdera Helvetica se fide servaturum, dixit.* Dixit, & civibus suis per Tribus dixit, & Clero suo dixit, & subditis per vicos omnibus, mediantibus Legatis specialibus ad id die 3. & 5. Januarii A. 1555. dimissis; (ut rumori inique sparso occurreret) *Quid rei moveretur, qua mente & perstaret; Sciscitans:*

Appendice sub N. 8. legere vernaculam licet.

(b) Causas motivas, cur minus sententiæ illi subscribendum sit; videsis in Appendice sub N. 9.

tans: Quid spei in periculo in ipsis collocandum? Ast applausu mentem suam Proceribus confirmabant cives, cum laude confirmabat clerus, & cum gratiarum actione consonabat omnis populus. Neque omittendum *Dn. Bullingeri*, vigilantissimi tum Antistitis, celeusma hac occasione inditum: *Pellere pios patria peccatum esse, quod exitium Hierosolymis paraverit, & Christus indicaverit; punire pios, quos incolumes servare posses, prævaricationem esse Pilati; Consentientis & facientis eandem fore pœnam.* Interim Reuchlinus, Dynasta, satis quidem per Dei gratiam prudens, anxius tamen sudabat; siquidem in re dubia, solicita & suspecta, à sanctissima Patria ceu à Conso suo semotus, sæpius hæsitavit, ut propemodum corruisset, quum XI. jam consentientes Cantones Bada ipsi præcepissent, *ut* νεωτερίζοντας ἐν πίστει (quemadmodum Orthodoxos contemtim appellare consuevere;) *ad obedientiam decreto nupero præstandam moneret;* nisi à *Dn. Ludovico Lavatero*, mox Tigurino Antistite, solatio, atque à summo Magistratu, consilio institutus fuisset: *Confiteretur, se quidem Officia ium XII. Cantonibus jure obstrictum, sed & Civem Tigurinum, qui ab hoc negotio liberas retinere manus cuperet, quod Proceres sui non consentirent, verum pleno ore protestarentur; & propria Conscientia horreret, manibus fidei suæ sociorum suppressioni inservire.*

§. X.

Itaque ad limina hujus negotii servus ὁ δεῖνα R. prosiliebat; exspectante terminum fatalem suum simul cum A. 1555. irrumpentem Ecclesia Locarnensi, omni auxilio, omni solatio præter *Dn. Augustini Menardi*, Ecclesiæ Clavennensis tum florentis Ministri fortissimi, destituta, anxiis simul curis fluctuante, quem *Comitia VII. Cantonum* Uraniæ confidentium, & de modo Decretum exsequendi consultantium, sortirentur eventum? Horum enim Consilia priora omni diffidentia erga Orthodoxos fœderatos scatebant.

Tan-

Tandem, tenebrarum potestate prævalente, ad iter periculosum per Alpes alta tum nive consitas cum furore instigabant, ut non sine omine d. 9. & 10. Januarii susceperint, ceu quorum collium anfractus niveis leænis & ante & post se interclusi minati fuerint, quid Leones in Gregem Christi irruentes maneret. Sed demum 12. die Locarni appellebant, atque post feriatum unicum diem, Cœtus totius Comitatus omnes convocabant, iisque confidenter & satis minaciter proponebant: *Quantæ lites solum ex Locarnensium rebellione & contumacia neotericaque Religione, pessima Hæresi ortæ, Corpus Helveticum, Locarnensium Dominos fere dirupissent, ut eos puniendi, imo extirpandi, ratio plena extaret. Hactenus se tamen ex singulari gratia pepercisse ipsis, & leges condidisse certas, quibus imposterum penderent, prælegendas jam, ut quilibet Cœtus, quid agere, quid omittere vellet, responderet?* His à R. prælectis, municipes statim subscripsere, cives vero in contraria divisi, Locum & Tempus inter se deliberandi petiere; quibus concessis, insequente die primo mane primi Romanensium asseclæ Legatis constantiam suam in veteri superstitione spospondere & rogavere, *ut ingruenti fato adscribentes ipsis condonarent, si quid inconditis moribus contra Helvetica jura peccarint, se imposterum vitæ sequioris & sequacioris futuros.* Quibus dimissis, post prandium Orthodoxi omnes, bini viri, mulieresque binæ, puberes, impuberesque bini, authoritate gravioribus ubique præmissis, decora serie incedentes in Oratorum Helvetiorum Concionem prodibant; sed qua fronte excepti fuerint, vix credas. Matres fidæ, lactentes brachiis gerentes, mammis foventes, manibus vero bimulos trimulosque ducentes, lapidis penetralia movissent; Ast patrum horum, minorum scil Gentium Deorum, corda lapide quovis duriora, intacta adeo manebant, ut miseros hos riserint, satyramque egerint potius, quam audierint! Audiendi tamen, ut-

pote citati, precibus supplicibus aures benignas postulabant, atque proponebant: „*Heri ab Ampliss. Proceri-„bus suis provocatos, de nova fide accusatos, adesse, & una-„nimi consensu fateri: Differentiæ se inter veterem novam-„que fidem nescios, unicum colere Deum, unicam agnoscere „fidem, in veteri propositam & præfiguratam, in novo vero „fœdere à Christo Domino nostro atque Apostolis consumma-„tam, declaratam, propagatamque. Hanc se, rejectis tradi-„tionibus humanis ab illa dissonis, duodecim Articulis Apo-„stolicis consonam, ex sacra ad salutem necessaria & suffi-„ciente scriptura doctam, scire atque credere; ceu quam non „ipsi finxerint, aut Novationum vaga lubidine susceperint: „sed nova omnia commenta abominantes, ex variis concioni-„bus cum Latinis Italicisque Bibliis collatis, mediantibus „precibus & illuminatione Spiritus S. hauserint, quemadmo-„dum IV. Orthodoxis & VII. Pontificiis Cantonibus incly-„tis sæpius jam protestati fuerint. Quare se in manum Dei „remissos, & ad omnia potius sufferenda paratos scirent, „quam ut fomitem litium bellorumque inter laudabiles Can-„tones per & propter se feri vellent. Spe tamen mactos, „Dominos suos Amplissimos Clementissimos VII. Cantonum eos „favore & commiseratione non privaturos: se enim in tem-„poralibus non alios præter XII. inclytos Cantones venerari „superiores Dominos, quos debita hactenus fide obedientiaque „(ut fieri à Clientibus fidis deberet) respexerint, pro quibus „& imposterum neque opibus neque sanguine suo sint parsuri. „Humillimè supplicantes, ut propter Deum atque Jesum tan-„tæ & spectatæ quidem multitudinis, tot misellarum mulie-„rum, tot impuberum, tantaque ipsorum omnium miseriæ „commiseratione tangerentur, si absque fœderis ipsorum ar-„ctissimi & sanctissimi violatione ac abolitione fieri posset. „Sin vero minus possibile foret, se ad cuncta patienter fe-„renda paratos promtosque, quæ divina providentia ipsis per „superiores suos imponi vellet. Saltem de intentis sibi cri-„minibus conqueri, quibus immerentes per summam injuriam „nefandumque scelus proscinderentur, quasi se* Anabaptismo

&

„& fœda nocturnis conventibus Venere promiscua „*contaminarent, sacraque omnia fœdarent; quæ non propter „se, sed fidem suam sanctissimam dolerent, & idcirco enixissi„me rogarent, ut exacta armataque ad vindictam indagine „omnia lustrarent, & pro re nata vel reos punirent, vel & „innocentium honorem valide tuerentur, convitiatoresque pro „meritis punirent. Qua gratia Amplissimis, Clementissimis „suis Proceribus ad synceram invictamque fidem obstringeren„tur in ævum.* Humilia verba! Sæpe flectit humilitas, quos nec virtus nec ratio superare potuit; imo humilitas indomitis loqui & sedare leonibus iras potuit. Ast surdis heic canebatur auribus; auribus à mammis Romanis jam inebriatis, quæ amissa omni commiseratione in furorem patientiam commutaverant omnem, ideoque responsi nil aliud regesserunt quam: „*Non fidem vestram auditum præsto sumus! Dominis quin„que pagorum instrumenta ad manus sunt publica, quæ ipso„rum Religionem veram indubiamque fidem contestantur, quam „& ab arguta omni Censura & Disputatione liberamque „volunt.* (Das wollen sie (ut eadem barbarogermanica „Emphasei exprimam) unarguieret und ungedisputieret „haben:) *Quare verbis brevissimis significabitis, utrum fide vestra cedere velitis necne?* Corda mundana hoc ictu trepidassent; ast Orthodoxos Locarnenses nubes è Vaticano hactenus jam sæpe capiti imminens minitansque nil territabat, immoti marpesiæ instar cautis stabant singuli. Singuli (*a*). Rupi in Zione superinstructi, noverant, (*b*) virgam improbitatis super justorum sortem non in æternum quieturam. Ideoque æque, ut ante pocula Circes & Syrenum voces despiciebant, ita & alacri & imperturbato animo neces & exilia frontibus caperatis minantium Polyphemorum insultationem moderate ferebant, atque una quasi mente, una quasi lingua resonabant: „*Se „per hanc vivere, per hancce mori, quam ab hacce dimoveri „malle fide; quam veram, quam justam, quam solidam, quàm*

L 2 ve-

(*a*) Jesajæ 28: 16. c. 26: 4. (*b*) Ps. 125: 3.

„verarum actionum perpetuo fœcundam, quam piam, quam „claram, quam perfectam, quam salvificam unicam scirent. „Quare se non ultra præfinitum tempus moraturos sponderent, „ni precibus suis efflagitare possent, ut Domini sui Ampliss. „Ampliss. terminum ad Paschatis festum vel in Martium us- „que mensem saltem prolatari concedant, quo negotia ita sua „eo magis jam influentia commodius conficere liceret, & mu- „lierum liberorumque demigratio facilior foret. Quis hæc non approbasset sanæ mentis petita? Hiems tellurem niveis aggeribus obruens, itinera aditusque Alpium intercludens, ad focum potius invitans, ea secundasset: Tenera filiorum ætas fœmineaque imbecillitas, itinerum haud iniqua tempestate impatiens, patrocinium requisivisset. Verum oppilatis auribus rejiciebantur; contra certa & exacta Nominum orthodoxam fidem confitentium consignatio exigebatur, quam intrepidi & hilares extemplo exhibebant fideles. Et miraberis, quanta alacritate, quanta inter se exultatione, quanta corroboratione, quanta concertatione, ad nomina danda occurrerint viri fœminæque, filii filiæque, honore conspicui, nobilitate inclyti, honestate graves, integræ omnes famæ, fortitudinis incomparatæ, fideique incorruptæ, adeo divinitus corroborati, ut mares conjuges, conjuges maritos, liberi parentes, parentes liberos, cognationes, fortunas, patriamque, tam nauci pependerint & deseruerint, modo cum Christo suo exulare dignarentur. Unde tractum divinæ Charitatis morte fortiorem, sepulchro duriorem, fluminum inundatione inextinguibilem agnosces; hostium furorem eludentem, non tamen effugientem adhuc, quanquam tandem confundentem, sis visurus.

§. XI.

Nova enim fata eodem hoc 16. Januarii die, cum irruente Riverda, Nuncio Apostolico, Episcopo Terracino, irruebant, qui mox insequente die prius VIII.

Can-

Cantonum oratores, ad audiendum ſe convivio lautiſſimo præparabat. Die 18. tum cum binis Dominicanis, Theologiæ Doctoribus, ſociis nova tentamina, nova retia, ceu animarum Pontificius auceps, exponebat, publiceque Helvetiorum præſentium Collegio proponebat: „*Quantas Pontifex ſummus pro tutela* „*Pontificatui præſtita ageret gratias, rogaretque, ut ab Rhætis transfugam*, (a) Johannem Beccariam, *Præceptorem* „*Reformatoremque Locarnenſium, ad pœnas meritas repeterent, atque* emigrantibus Locarnenſibus *& Conjuges* „*& liberos & fortunas retinerent; & liberis ad inſtitutionem in Romana fide reſervatis, totius negotii deſcriptionem* „*ad Quiritum ſedem transmitterent.* Arridebant Oratores Helvetii, ac pro honore ſplendidæ Legationis gratias habentes, zelum ſuum in omnem caſum oppignorantes, „*ſe ad Proceres ſuos Pontificis ſummi de repetitione Beccariæ petitum relaturos, & prolixum rei hujus* „*inſtrumentum ſpondebant; negantes, de Locarnenſium liberorum opumque retentione quicquam ſe in mandatis habere;* „*Habere tamen quod rogarent, nempe, ut ſacerdotibus Locarnenſibus, nomine pontificis denegatam hactenus, à nova* „*fide revertentes in ſinum Eccleſiæ recipiendi poteſtatem largiretur.* Quod non tantum lubens Riverda concedebat, ſed & omnem lapidem movebat, ut quos à fide deflectere & ad apoſtaſiam ſanctorum promovere poſſet; qua in re ſe ſuosque ſocios Heroes ſibi imaginabatur. Sed veritate invicta, in tenuem evanuere conatus ejus auram; quanquam enim vaſa imbecilliora aggreſſi fuerint, experiebantur tamen Dei potentiam

L 3 in

(a) Joh. Beccaria à carcere erutus, conatus Hoſtium Veritatis edoctus, amicorum fratrumque ſuaſu ad Rhætos ſe contulit, & Clavennæ ad emigrationem Locarnenſium omnium Orthodoxorum morabatur, ſpina clavusque oculorum papizantium. Poſtea Miſauci Rhætorum Paſtor A. 1560. novis tentaminibus periclitabatur, ut ipſius literæ N. 10. teſtantur.

in infirmitate consummari. Audiens enim Riverda, devotas inter Orthodoxos æmulasque fidei quasdam laudari mulieres, & quidem *Catharinam Rosalinam*, *Barbaramque de Muralto*, *&* *Luciam de Orello*, ipsis sermones de Religione miscere gestiebat, spe non dubia, se Herculem contra trinas, easque confusurum facillime, quod simplicitate stupidas crederet. At ita Heroides illæ alia assumebant, alia ita ponebant, deducebant alia, insulsasque ipsius argumentationes irrefutabilibus S. Scripturæ testimoniis ita retorquebant, ut confusus confundendum deridendumque se omnibus exposuerit, & amarulento tædio vindictam meditans ex ædibus discesserit, mediis inhiaturus, quo demigrationem Orthodoxorum vel sufflaminare plene, vel gravem amaramque reddere posset. Hunc in finem pessimus ipsius ocellus crudelitatis suæ scopum *BARBARAM de MURALTO*, *Johannis de Muralto*, Chirurgi & Medici, Conjugem dulcissimam, *matrem omnium MURALTORUM* hodie *Tiguri* habitantium piissimam, collimabat; quæ Pontificiæ meretrici pudenda ita detexerat, fœdamque ejus idololatriam atque nefandam Missæ fraudem tam vivis delineaverat ipsi coloribus, ut horrere atque abominari debuissent, quibuscunque bona non expulsa fuisset conscientia. Verum, cum læsa conscientia in furorem tandem abeat, non stupemus, quod spiritu intelligentiæ privatus, novam in piæ illius perniciem cuderit fabam, & ceu blasphemam ad rogum rapiendam accusaverit. Hinc novarum technarum novi conatus, qui exitum sanctorum è Babele haud parum contristassent, nisi Israelis vigil tutorque excubias egisset, atque non minus nobili huic Matronæ ac (a) Venerabili *Bullingero*, Decano Bremogardiensi, paucis ante annis, nocturna visione exitum præmonstrasset.

(a) Bullingeri Chr. Helvet. & quidem Reform. Tom. II. Part. IV. A. 1531.

ſtraſſet. Habitaculum enim Conjugis ſui ad lacum majorem antiquitus ita in omnem caſum fortuitum exſtruebatur, ut ejus undæ poſtici limina alluerint, & ibi littora curvæ prætexerint puppes, quæ omnem longo jam uſu præſtolarentur fortunam; cujus aleam (*a*) ut aliquando trucibus Gibellinorum & Guelforum motibus experiebantur, ita & his periculis ſubire præſumebant; foribus cœcis propoſitum ſub cœleſti tutela ſecundaturis, quorum exitus oculorum aſpectui in ipſius patrisfamilias dormitorio ſex virorum viribus vix mobili ſcrinio rapiebatur, & ad proxime ſummum diſcrimen præviam uſque noctem intercluſus manebat; ſed à marito ejus divinitus per inſomnia ſtupenda monito & adacto aperiebatur, adhuc neſcio, quid rei gerundæ reſtaret; animus enim ex ſomnio, ſe potius quam Conjugem peti, præſagiebat. At vix illuceſcebat dies, quin timore dubio ſolveretur: Lictores enim primo mane cum multa turba in ædes irruebant, atque nemine impediente in hypocauſtum usque penetrabant, ubi ſanctiſſimam inter preces comas expedientem, *Barbaram*, Oratorum Helvetiorum juſſu ad vincula provocabant. Illa vero omni metu moraque ſublata, quaſi muliebri verecundia ſurgens, *ad omnia ſe paratam ſiſtebat, modo ſeceſſus in proximum conclave exigui temporis ſibi, ſicque honeſte ſe veſtiendi facultas concederetur.* Qua haud difficulter obtenta, per citatas ſuperius fores cæcas, divino auxiliante adminiculo, in lembo ad id jam dudum parato, hoſtium (& ipſis quidem è curia proſpicientibus) fallebat retia, non tamen furorem.

§. XII.

Quid enim eluſa vindicandi libido non movet? Injuriæ ſuæ litatum non prius credit, quam duplici ſupplicio & imaginarium diſſolverit & compenſarit damnum. Hoc igitur etiam ardore deflagrantes Helvetiorum Legati, ſuopte

(*a*) Nempe A. 1260. pugnante pro vice-comitibus Simone Locarno.

ſuopte ingenio feroces, tum maxime propter fugam, ceu (ut ſibi fingebant) juſtam vindicandæ injuriæ cauſam tumentes, *opes hujus matronæ reſiduas omnes*, marito liberisque ejus expilatis & deſpoliatis, *fiſco adjudicabant, quod ſimul cum Miſſa divam Matrem fœdiſſimis convitiis proſciderit.* Nec ira hiſce cadebat, ſed binos fideles alios corripiebat in nervum, *quod filios ſuos pontificiis moribus S. Fonte tingi horruerint; quare quinquaginta ſcutatorum aureorum mulcta ſinguli libertatem ſuam redimere tenebantur.* Neque tamen adhuc acquieſcebant perſecutores, ſed extremum rabiei ſuæ virus in miſerum illum captum *Nicolaum* evomuere *Græcum*, in cujus negotium denuo (quod *Dn. Reuchlini* fidem hac in re ſuſpicerent,) & omni rigore quidem inquirebant, nec quicquam aliud omnibus torminibus extorquebant ſuis, quam quod jam antehac confitebatur: „*D. Virginem nihil unquam reddere amplius, quocunque emenate alvum ejus cierent; neque ſe hæc ſine explicatione ac „declaratione mentis ſuæ dixiſſe, ſed exanimum inaneque ejus „intellexiſſe Idolum, non Virginem cælicolam.* Verum enim vero nihil hæc impediebant, quo minus d. 21. Januarii in ædes Provinciæ Secretarii, & quidem in ipſum *Joſuæ à Beroldingen, Uranenſium Legati*, podagricis doloribus decumbentis cubile, ceu ad Helvetiorum inibi collectorum Comitia, Nicolaum ad capitis judicium deduxerint; qui per advocatum, ex fidelium cohorte ſibi conceſſum, *de ampliore vitæ uſu Dominis ſuis ſupplicabat, ratione, quod equuleo exploratus dictis ſuis ſteterit & juri ſatisfecerit; quin & ex vulnere capitis aliquot ante annos ſaucius ſæpius inſaniret; nec non vinculis jam ſat diu detentus, ſat quoque pro impudentia ſua ſolverit, & tres impuberes ejus filii parentis ſui vita prolixiore ad ipſorum educationem opus haberent.* Nicolaus verò ipſe ad genua Procerum provolutus *per Dei Jeſuque Chriſti amorem vitæ gratiam orabat.* Sed ad ſqualidum carcerem remiſſus judicio ſubjiciebatur, præſide *Lucernate*, ex *Suitenſium*

tensium Oratore sententiam rogante, qui suffragium ferre primum recusabat: *quanquam enim animo constet sententia suo, neque mutata amplius loco cederet; moris esse tamen, ordine Helvetiorum Cantonum ut sententia ferretur.* Quare hac resolutione omnium calculo approbata, *Lucernas Uraniensisque ad numellas virgasque publicas* Nicolaum *condemnabant, sed ea Lege, ut fissa per Carnificem lingua vitæ suæ spatio convitia illa doleret.* At *Suitensium Oratoris* dissidebat atque variabat sententia, in Nicolaum *vitæ miserabile supplicium constituens.* Cui *Tugiensium & Subsilvanorum Legati* adstipulabantur. *Tres* restabant *Cantones*, sed unicus *Glaronensium Orator* mitiorem in partem inclinabat; *Friburgensium & Solodurensium Legatis diræ mortis supplicio dignum ipsum censentibus.* Ita plurium suffragiorum pondere *ad gladium Nicolaus condemnabatur*, unica hac per Fiscalem servum ipsi annunciata gratia, *ut quem a Confessoribus parastatam vellet, eligeret?* Sed & hanc forti animo respuebat Nicolaus, *quod peccata jam sua Deo Opt. Max confessus, & de clementissima debitorum suorum omnium remissione certus sit, & speraret, eundem sibi invictum Parastatam adfuturum.* His inter Comitia carceremque peractis *Cœtus Locarnensium Pontificius* commiseratione concivis sui motus pro Nicolao intercedebat; sed intercessorem abjiciebant Proceres, *quod nimium intercessionem procrastinarint, latam ratamque jam sententiam & irrevocabilem.* Imo replicans, & ad privilegia sua provocans intercessor Cœtus: *Sat se cito adesse, qui reum jam condemnatum inter educendum à Carnificis fune liberare potis esset, tamen repulsam ferebat.* In tam intractabiles cautes, sat volubilia alias corda squalens livoris rubigine facies Romanæ Medusæ indurare noverat, ut permulceri nequiverint. Lybiæ ab aspectu solis funduntur petræ, sed mens vindictæ cupida illiquabilis manet. O adamantina corda, quæ nonnisi sanguine molliuntur, non hœdino sed humano; hunc, hunc ex intimis *Nicolai* nostri arteriis prosilire

ſilire geſtiebant. Ideoque eodem ſe die in Thomæ Quæſtoris Locarnenſium ædes curiæ vicinas colligebant, atque inibi ſpectaculo miſeri & ſuo ſenſu innocui rei oculos ſanguinarios paſturi, victimam crudelitatis ſuæ è caſtri carcere productum exſpectabant; quo viſo ſententiam extemplo proclamari curabant, in cujus tenore hæc inter alia non ſine fato verba: „*Quanquam nihil mali ſibi conſcius eſſe voluerit, neque quicquam fidiculis ſuſpenſus confeſſus fuerit, teſtium tamen fide „condemnatum eſſe, ut capite ſolveret.* His prælectis, denuo *Nicolaus* genibus ſubmiſſis Proceres Helvetios è feneſtris proſpicientes, ut vitæ gratiam ob Chriſti merita facerent, rogabat; *neque enim ſe artes furtivas exercuiſſe, neque latrocinia funeſta, neque alia capitalia auſum fuiſſe.* Verum & heic auribus duris & obſeratis inexorabiles inveniebat omnes, præter unicum *Lucernatem*, qui oculis vix temperabat, quin imbrem liquerint. Sed horrebant revocare horrenda; quare lachrymæ volvebantur inanes, non tamen inani conſtantia *Nicolai*, qua irrevocatum fatum pertulit vicitque. Non deſertus tamen in agone à fidei ſuæ ſociis civibus, qui in exilium jam ire juſſi, nulla nova extimeſcentes pericula, omni ſolatio, omni auxilio ipſum ſuffulciebant, quouſque carnifici colla ſubmiſiſſet; ſecari malens, quam fidei naufragium facere. Tum carnifex more ſolito, ad Præfectum *Dn. Reuchlinum* ſe vertens, teſtimonium petiit, num juſtum decretum bene executus ſit, & ad omnium votum miſerum decollaverit? Hoc reſponſum accepit emphaticum: *Feciſti id, quod Legati tibi injunxerunt, & hiſce contentus eſto.* Hoc potuit amor Dei & Chriſti ſui, qui impellebat, ut idololatriam rideret, nec vitæ ſuſtentationem ſerviendo quæreret; ut mortem non fugeret, ſed in morte ipſa doleret, idolis auxiliatricem commodaſſe manum, quam hæ ſequerentur mercedes, non meminiſſe Orthodoxos monitos,

tos, (a) *ne impari jugo copularentur cum infidelibus, nullam enim consensionem esse Templo Dei cum simulacris.* Vindemiasse idolis, vindemiasse mortem, fiducia tamen certissima, spem fidemque sibi vindemiasse vitam cœlosque, quos jam intueretur apertos! Ita succumbens fatis vicit potestatem tenebrarum, gravibus ab omni promiscue Locarniæque Heterodoxo ac Orthodoxo vulgo, ob honestam & innocuam vitam, defletus querelis.

§. XIII.

Cæterum Helvetii Oratores, quasi hac Nicolai nece ultimam negotio addidissent manum, die proxime insequente, discedentes, & Orthodoxis Locarnensibus ex actis consideranda relinquentes, quam turbulentæ fœdæque corutcum raucumque hoc tonitru tempestates sint secuturæ. Quare pii haud plus securitatis sibi heic locorum quam agno in medio luporum cernentes, nobilem *Thaddæum Dunum* cum Comite ad Senatum Populumque Tigurinum Rhætorumque Comitia ablegabant; qui efflagitarent, ut fidelium Exulibus apud ipsos receptaculum pateret, auxilium consiliumve prostaret. Nec in cassum legatio. Petita largiter concedebantur, Pella monstrabatur, via præparabatur, sicque miserorum animi sub tanta afflictionum mole haud parum laxabantur, ut hilares *diem Martii mensis tertium An. 1555. ceu emigrationi destinatum,* desideraverint, & iter maturare constituerint. Sed novæ à meridie surgentes dirasque minas intonantes nubeculæ turbabant conatus. Nescio enim, quo nuncio *Mediolanensium Gubernatores,* de egressu hoc certi, odio Romano lacessiti, suis die 8. Febr. 1555. publico rescripto vetabant: *Ne Locarno exeuntes exciperent, sed tridui spatio, sub pœna capitali, solum Mediolanense vertere cogerent, colloquia commerciaque omnia*

(a) 2. Cor. 6: 14-16.

omnia cum ipsis fugerent, neque exulibus his subsidium favoremque præstarent, neque de fidei articulo ullo sub 25. Coronatorum mulcta inquirerent aut differerent. Prætereaque inculcabatur Hospitibus, ut de his transeuntes monerent. Ita itinere Mediolano, ceu leviore, interclusi, die præstituto, quasi divinitus cum Abrahamo è patria evocati Locarno solvere, prima statim vespera Helvetiorum Mediolanensiumque territoria superavere, ac *Ragorettum* usque, primum supra Bellinzonam *Rhætorum* pagum pervenere; ubi duorum mensium spatio, circumfusi undique molestiis, ceu in stativis hybernis, remorari cogebantur; quod Rhætorum Alpes, visu quam dictu fædiores, nivibus cœlo propè immixtis transitum negarent, quousque cum initio Maji rigentes gelu montes tecta deformia deposuissent, & in adversum scandi passi fuissent. Transitu igitur parato, illæsa cum patientia firmaque confidentia, impendentium montium altitudinem superabant, & à fidelibus *Rhætis*, de fausto exitu & faustiore adventu ipsis gratulantibus, adeo ultroneis amplexibus gratulandi excipiebantur, ut partem municipatim suam fecerint; reliquas vero numero 116. animas *Tigurum* pedibus petere jusserint. Ubi d. 12. Maji prospere adventantes, & prope à portis ad genua provoluti, Deo O. M. pro gratuita liberatione gratias agentes, Tutores, Patres Fratresque in Christo charissimos, ob commiserationem in lachrymas effusos, Tigurinos humillimè salutabant. A quibus hilari mente beneficaque manu suscepti, Reipublicæ tutela potente beabantur, & omni charitate digni æstimabantur. Utpote qui vel nobili stemmate sati, vel patritia gente nati, in patria honoribus, ceu vel Juris utriusque, vel Medicinæ Doctores, vel Notarii publici, vel Mercatores abundabant, quos tamen cum opibus, Parentibus, Conjugibus filiisque, æquo altioreque animo deserebant; & maritum sine uxore, uxorem sine marito,

parentes

parentes fine filiis, filios fine parentibus, in exilium profugere non pudebat, modo Chriftum lucrarentur; (a) potius cum Mofe eligentes fimul malis cum populo Dei vexari, quam peccati fruitionem retinere, majores arbitrati probrum Chrifti divitias quam Ægyptiorum thefauros; divinis fidentes promiffis, fore, (b) ut amiffa propter Chriftum, centuplicia recipiant omnia. Neque fpe fraudabantur fua; nam vix appulfis inclyta jam civitas de hofpitiis, de lectis atque fupellectilibus, fponte & læte profpiciebat, ipfos pecunia, frumento vinoque, fuperflue confolabatur, atque omni ratione & Deo hominibusque grata beneficentia afficiebat. Quid enim optimæ Urbi noftræ reftitit, quod ufibus fanctorum non communicaverit? An Cætus? In fingularem Locarni exules erexerat. An Templum? Petrini ad cultum vernacula fua lingua faciendum facultatem dederat. An Paftor? Paftorem orthodoxum Italum, & quidem *Ochinum* illum, pro ipforum voto ordinaverat, eique alimentum fufficiens annuatim præbendum curaverat. An tutela? Hanc redintegrando prorogaverat. Et quæ non millena amplius beneficia, ita ut benefaciendi induftria & promtitudine non laffata, in *Cives* omnes illos exules (quanquam fub certæ legis conditione) adoptaverit, quam denuo tandem legem etiam abrogaverat, ut pleno jam civitatis jure perfruantur, quotquot in hæredibus fuperftites reftant. Siquidem cibis, aura, veftibus, moribus linguaque Germanica fenfim, fed non fine fenfu, affueti, mercaturas facere Tiguri inceperint, ferica tractare, variisque textilibus adornare, lanas carminare, pannos Mediolanenfes xylinosque texere, denfare, dealbare, polire, & flavo cyaneoque colore tingere, vulgus docuerint, adeo ut inde urbis agrique Tigurini emolumentum, cooperante divina benedictione, in infinitum

(a) Hebr. 11:25. 26. (b) Matth. 19:29.

tum excreverit, Locarnensium vero mercaturæ decreverint, ut tandem inibi quasi penitus amissæ, imo divino judicio pulsæ dolerentur.

§. XIV.

Sed hæ dolorum tantum primitiæ, duriores ingravescebant. Et merito sane; Quid enim in foro poli justius, quam (*a*) vicissim afflictionem reddere affligentibus, fallere fallentes? Quæ (*b*) vero fraus iniquior, quam fraudasse, oppressisse, & quæstui fecisse, fratrem suum? Habet enim ultorem Deum. Deum, (*c*) qui suspiria suorum mulcet, & Lotho (*d*) prius Zoar destinat, quam Sodomas plectit: Deum, (*e*) cujus Nemesis querulas Josephi fratrum justitiam Numinis laudantes edidit & elicit voces. Hunc sensere Locarnenses non longo post tempore. Ovabant quidem, sed haud diuturno gaudio; unda enim vix citius pellit undam, quam pœnæ divinæ una & quasi concatenata serie id turbaverint. Prodromus (*f*) vindictæ cœlestis die 2. 7bris A. 1556. horribilis & inaudita tempestas irruebat: „*summo enim mane turbo* „*vehemens de nubibus descendens ædificia quædam prostrave-* „*rat, post meridiem vero pluvia, tonitrua, fulgura & fulmina* „*tantopere quatuor horarum spatio sæviere, ut omnes indigenæ* „*haud aliter sese compararent, ac si ultima dies advenisset.* „*Unde torrens Remonia ita excreverat, ut arbores & ædes* „*secum abducens tandem nullum exitum haberet, propterea* „*totum circumjacentem agrum instar lacus occuparet; postea* „*vero maximo impetu eruptionem nactus magnam jumentorum,* „*pecorum, imo hominum copiam absumeret, regionemque cir-* „*cumfusam mirum in modum defœdaret. Tanto pavore at-* „*que terrore opprimebantur, ut suppetias suis ferre nemo po-* „*tuerit.* Hoc autem tremore adhuc pallentes novo ictu

(*a*) 2. Thess. 1: 6. (*b*) 1. Thess. 4: 6.
(*c*) Ps. 9: 13. (*d*) Genes. 19: 21. 23. (*e*) Cap. 42: 21.
(*f*) Hott. Hist. Eccl. part. 5. c. 16. pag. 13. ex Sleidan. h. a.

ictu ipforum intima eodem anno feriebat Nemefis; tanta enim vi improvifior capitalis *peftis* in ipforum vitam invadebat, ut binæ incolarum tertiæ partes interemtæ, pluresque confilio, auxilio folatioque inopes perierint; ubi, cum perfidæ furtivæque manus fimul feriari noluiffent, irreparabilem pecuniarum, vaforum argenteorum, frumentorum jacturam fecere, quam longis poft adhuc annis deploravere. Deploravere quidem, fed crimen fic nondum expiavere. Quin hiantibus his adhuc plagis, validiores addiderit, qui judicat cum juftitia & æquitate terram, dum illorum *Unionem contra Orthodoxos initam* funefta diffolutione animorum adoriebatur, qua bina *Brifagi*, oppidi haud longe à Locarno diffiti, Orellis Locarnenfibus fubditi, Familiæ potentes *Bachiachorum & Rinaldorum* ita inter fe collidebantur, ut utraque forti exulum manu comparata in vifcera propria fævierit, excurfiones, latrociniaque exercuerit, intutaque omnia reddiderit, Helvetiosque Proceres ad præfidia Locarno imponenda moverit, quæ ineluctabilibus ferme impenfis alere tenebantur. Ita fraterni amoris impie læfi vindictam fenfere; Senfere typos dolorum Babylonem exfpectantium.

§. XV.

Qui jure nobis, Auditores! horrorem incutiant, ut caveamus, (*a*) quoties coccineæ beftiæ infidens porrectiore fronte poculum aureum manu fua geftatum, abominationibus & impuritate fcortationis fuæ fcatens, nobis propinare geftit Babel, ut vino nefandi fui ftupri nos inebriet. In fronte ejus phylacterium legamus: Μυςήριον! *Babylon illa magna, abominationum atque fcortationum terræ mater!* Hanc celare nequit infcriptionem neque obvelare; fe prodit ipfam, prodetque,

(*a*) Apoc. 17: 2. 5.

detque, dum martyrum ſanctorumque Chriſti ſe ſanguine potat, neque ſuam indolem mutat. Minus autem eam, quam leo furorem truculentum, (a) imo quam inferi cupiditatem inſatiabilem mutabunt, mutabit; etſi haud ipſam fugiat, omnem ſanguinem juſtum ſuper terram inde à ſanguine (b) Abelis juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, imo uſque ad finem ſeculi, jam effuſum & adhuc effundendum, venturum ſuper ipſam; audaciore tamen malitia proterviaque ſua pergit. Pergit Chriſtum blaſphemando, pergit juſtos ſupprimendo, pergit fratres expellendo, pergit tenebras cudendo, & (c) æque ac Satan excandeſcentia magna furere pergit, quod exiguum ſibi temporis reſtare ſciat. Hinc non ante luſtra tantum vineam Chriſti è florido Galliarum regno vi, aſtu faſtuque vellicavit, in Pedemontio tentavit, in Anglicanam Batavamque cuniculos egit, in Hungaria, Polonia ac Tranſylvania ſubjugavit, imo Europæam omnem pace illa Riſvicenſi ita ſuccuſſit, ut libertatem hinc periclitari ſuam omnino animadvertat & dubitet: Anne truculenta hæc bella colliment, quorſum ictum prætendant? Sed & indies novis furit; Teſtatur *Arauſiorum Principatus*, teſtatur *Gebenna!* Quem enim latet, quæ *Arauſienſium* fuerit felicitas? Diuturna pace, quaſi halcyoniis, in medio hoſtium, ſub maximorum atque inclytorum Principum tutela fruebantur, quorum ſolum nomen parmæ inſtar & clypei ipſis fuere. Imo fuere tunc ſtimulus hoſtibus ac calcar in calcaneo eorum, ut quieſcere non potuerint, quousque Arauſiorum turbaſſent quietem, quæ ad annum 1660. ipſis æſtuum futurorum inſolentium manifeſtiſſimo fuit ſigno; Illo enim anno à Gallis vi illegitima, bonis quidem nominibus in-

(a) Prov. 30: 15. 16. (b) Matth. 23: 35. (c) Ap. 12:12.

intentata, varie jactabatur; Castri destruebantur munitiones, fores aperiebantur superstitioni, aditus personatæ dabatur levitati, Fraternitates sanciebantur, exempla antichristianæ pravitatis statuebantur, falsi testes subornabantur, summis ima, imis summa miscebantur, quousque tandem A. 1685. ruina Templorum Gallicanorum, ac universalis Orthodoxorum ejus regni dissipatio, hujus Principatus simul quietem subjactasset, adeo ut quoque (*a*) *Jacobi Pinnetonis de Chambrun*, Arausionum Ecclesiæ Antistitis fidelissimi *lachrymæ* uberibus rivis profiluerint. His vero vixdum vera resipiscentia sedatis, & Risvicensium pace palliatis, proh! quantum denuo Christiano orbi mœstissima potentissimi atque invicti Regis Ducisque sui WILHELMI HENRICI morte Arausiensium recruduere vulnera. Nam & cum hocce pacem tranquillitatemque Christianam obiisse, dixisses. Projecto enim Eridos illo pomo, *Hispanica* inquam *hæreditate*, & ideo è castris suis fremente Bellona erumpente, insultus in hanc denuo Ecclesiam primos Antichristi primogenitus fieri volebat; Decernens, ut Regio *Arausiorum* Galliarum Regno adscriberetur, & Curiæ Aquarum Sextiarum in Braccata Gallia supremæ subderetur. Hac jam basi jacta, solenne illud, *unicum Regem unius fidei subditos velle*, intonabant atque proclamabant: ut se trimestri spatio incolæ, ad fidem vel mutandam, vel ad solum vertendum, declararent; simulque clausis Orthodoxorum Templis V. D. Ministros exauctorabant, & pyctaciis concessis relegabant, bonaque civibus vendendi facultatem palam faciebant, sed clam papicolis vetabant, ne minimum emerent. Nec induciæ impetrabantur, sed finito nunc termino stato, solvere patria tenebantur; Hac

 adhuc

(*a*) Innuitur libellus hoc nomine (*les Larmes de Jaques Pinneton.*) illustris, quo citatus D. de Chambr. lapsum suum ob Tyrannidem Gallicam factum deplorat.

adhuc observata immanitate, ut maritos ab uxoribus, uxores à maritis, liberos à parentibus, parentes à liberis seclusos, illos hac porta per viam Nizenam Pedemontii, hos illac per Provincias Gallicas Genevam petere, & rapaces in ipso exitu militum manus experiri coegerint. Quorum gemitus ploratusque nostras jam adhuc feriunt aures. Sed quis, proh Deum hominumque fidem! crederet, nisi antiqua experientia didicisset: à Romana Curia exulare charitatem, exulare commiserationem, Gentiliumque animis potius quam illius residere sinu, ut quæ Christi septa reformare, imo deformare gestit. Vis novum addi argumentum? Inspice *Gebennam* triste clamoribus resonantem. Quid enim his, pro patria libertate, avitaque Religione paratis Heroibus, minitentur, haud dubia fama orbi innotuit! Rejecta enim solum cum suis vertendi conditione, ipsis ergastula, triremes, patibula, crurifragia, & quæ non alia? sævæ clades præparantur.

§. XVI.

Quo fato? In Dei, fata ducentis, reponimus manum, sperantes, eam impedituram (*a*) ab improbis lucem, brachiumque elatum ipsorum fracturam, prohibituramque, (*b*) ne justi manus suas ad ullam iniquitatem extendant: spe firma macti, fore, ut Dominus (*c*) toto opere suo in monte Zionis & Hierosolymis peracto in fructum insolentis animi Regis Assyriorum & in ornatum elationemque oculorum ejus sit animadversurus. (*d*) Tempus enim est, ut judicium à domo Domini incipiat; (*e*) hoc ventilabrum in manu ipsius, ut aream perpurget suam, ut paleam igne inextincto exurat; ut aurum suum defœcet, quod sine ardore

(*a*) Job. 38: 15. (*b*) Ps. 125: 3. (*c*) Jes. 10: 12.
(*d*) 1. Petr. 4: 17. (*e*) Matth. 3: 12.

ardore vix fieri poterit. Quod si vero *primum à nobis incipiat, quis eorum, qui Evangelio Dei non assentiuntur, finis erit?* Nos modo ne offendamur, sed animas nostras lucrifaciamus. Quod fiet, si (a) usibus sanctorum communicabimus, (b) memores vinctorum, tanquam una cum ipsis vincti, & corpore afflicti eodem; Hunc enim in finem nobis passiones Sanctorum vult significari TRIUNUS. Hunc finem intendunt supplicationes à supremo Magistratu institutæ & nudius tertius celebratæ. Ad hunc finem impellunt conciones omnes declamatæ, ut vel calamitates innocentum precibus, consilio aut auxilio, levemus vel refocillemus. Hæc omnia volunt, ut typum Christi conservemus, qui nostras relaxaturus miserias, (c) in forma Dei constitutus, non rapinam esse duxit Deo parem esse, sed se exinanivit & servus, imo (d) pauper factus, ut nostræ succurreret inopiæ. Volunt, (e) ut sub afflictorum persona ipsi Christo benefaciamus. Sit nobis furor malignorum invidorumque duplicatus stimulus duplicandi beneficentiam, duplicandi ardorem pro Evangelio; gratias agentes Deo, quod nostrum Zionem Tigurinum in Zoar & Pellam multis myriadibus sanctorum conservet, atque charitatem suam exercendi non subtrahat ansam. Non alium etiam in finem, quam (f) ut justitia peccata nostra, & gratia erga afflictos iniquitates nostras abrumpamus, ut tranquillitatis nostræ propagatio sit. Ad hanc vota sanctorum omnium collineant, qui cum Locarnensibus (g) Anglisque quondam, cum (h) Hun-

(a) Roman 12: 13. (b) Hebr. 13: 13.
(c) Philipp. 2: 6. 7. (d) 2. Cor. 8: 9.
(e) Matth. 25: 34-40. (f) Daniel. 4: 24.
(g) Sub Mariæ furore A. 1555, eodem tempore, quo Locarnenses, pressi. Leti Leben der Elisabeth I. part. Libr. III. pag. 23. &c.
(h) A. 1676. in Febr. liberabantur à de Ruyter. Seeheldeu

Hungaris, cum Gallis, cum Pedemontanis, cum Arausiensibus, & aliis innumeris exulibus atque Proselytis in sinu tuo, O alma nostra *Tigurina* Civitas! toties totiesque receptis, animo corporeque refectis, pro tua ceu Matris benignissimæ charitate, pro tua pietate, pro tua commiseratione laudes inclytas canunt, grates incredibiles immortalesque agunt, atque animitus vovent, ut æternum (ceu Zion Dei) non dimota, invitis ingratiisque æmulorum Hostiumque tuorum, perstes floreasque!

FIAT! DIXI!

in ejusdem vita. pag. 1001. A. 1676. Tiguri recipiebantur.

VII.

EJUSDEM

APPENDIX

EPISTOLARUM &c.

in Adnotationibus citatarum,

Rem Locarnensem

concernentium,

Ex ipsis Autographis optima cum fide excerptarum.

Num. I.

JOHANNES BECCARIA scripsit Divinarum Scripturarum Sanctissimo Interpreti *D. Conrado Pellicano*, Tigurino. d. 18. Cal. Sextil. 1544.

Quas

QUas salutes in Christo tibi reprecer, novit Deus, qui afflavit Minoritæ animum, ut me in tuam Benevolentiam insinuaret. Pro quo gratias ago semper Deo meo, non quod talis sim, qui dignus siem tanti viri encomio; sed quod is esse studeam, qui possim eorum, qui Christi gloriam amant, dici (vel potius haberi) sectator. Quam rem, si verum apud te fateri cupio, videor me assecutum Christianissimis tuis literis, in quibus quantum spires christianæ pietatis, sermone nullo assequi possum. At utinam liceret tam uti ea libertate, qua vos liberatos vere ostenditis, quam ut mihi jam dudum acriter currenti verba tua calcar (ut ajunt) addidere! Sed infirmorum, vel, ut rectius dicam, imperitorum offendiculum obstat, quo minus & dicamus & agamus, quæ jam pridem animus pie sensit. Quanquam interim non taceamus, ubi sese offerat docilis auditor, id quod eorum animos, qui verentur sibi decedere quippiam lucri, adeo in me irritavit, ut sectæ (quam vocant Lutheranam) passim dicar & Assertor & Author. Quæ omnia prorsus nihili facienda, in animum induxi meum, quum videam, ad ædificationem christiano dignam hæc, quæ ut convitia in me jaciunt, cedere. A quo proposito nullis terroribus aut minis potero unquam divelli. Est enim, qui in Christo glorier, quum non pauci ex his, quos annum abhinc sextum docui, intelligant, unde pendeat vera salus; Quod mihi annos 28. nato fuit discendum. Didici autem afflatus divino Spiritu, ut primum incidi in scripta eorum, qui nihil non fecerunt ad illustrandam Servatoris gloriam. Verum his omissis, quod à me literis tuis postulas, lubenti animo per me curatum est, in reddendis Epistolis tuis iis viris, de quibus haud dubiam concepisti spem, videlicet Dn. Varnerio Castillioneo ac Benedicto Minoritæ; qui nunc quoque Locarni apud nos, quod non tutum sit huic fortasse alibi

vivere ob Papistarum sive potius Antichristi sectam, cujus opera adeo sævitum est in quosdam, ut quisquis Christi verbum sincere tractat, crucem videat ubique paratam. Quam multoties expertus est Vir iste insigniter in Christi Verbo insignis, qui (ut sis sciens) eorum, qui Evangelium purè annunciant, apud Italos fuit & est antesignanus. Verum ne exspectes ab eodem Epistolæ responsum nunc, quod generalis opera diligenter observetur, si quæ detur occasio debacchandi in pii viri famam. Invisét autem te propediem ipse, cujus nomine salutes tibi opto plurimas. Expectabam à Varnerio nostro responsum, cupiens per tabellarium hunc tuto ad te mittere, quod nondum allatum; ubi redditum fuerit, curabo diligenter viri hujus non minus pii quam docti ad te perferendum. Reliquum est, observande Pater! (Te enim lubens parentem appello, quod me in Christo nostro tua genuerit hortatio) ut me inutilem Christi servum in amicorum tuorum gregem recipias; accedo enim ad te imperitus, iisdem sacris initiandus, quibus jam pridem institutus alios instituere non desistis. Quare hoc unum abs te per Dei misericordiam contendo, ut me aliquando tuis digneris scriptis, quæ non solum hortationibus, sed etiam monitis undiquaque scatent; quatenus novus ego Christi miles tirunculos mihi creditos juxta formam, quam vos traditis, Christo gignam. Dices me impudentem, qui impudenter tibi hoc facessam negotii. In quo (si te satis novi) mihi facile ignosces, si intelligas, hæc ab eo proficisci, qui nihil in saltu suo venatur, nisi Christi gloriam. Sed finiam, si hoc à te postularo, ut me cunctis, qui Tiguri agunt fratribus, firmum in Christo mancipium dedas, quos omnes una salute salvere meo nomine jubebis. Resalutant te non pauci fratres, qui heic nobiscum vivunt. Dominus noster Jesus Christus augeat numerum suorum, efficiatque, ut nos vobiscum

biscum Christiana libertate intrepide utamur. Valeat diutissime Humanitas tua cum universis fratribus. Locarni d. 18. Calend. Sextil. Anno à Christo nato quadragesimo quarto supra sesqui millesimum.

Deditissimus in Domino Servus

Johannes Beccaria.

Num. II.

EJUSDEM alia Epistola ad *eundem Dn. Pellicanum*, S. Theologiæ Professorem Tigurinum. A. 1546.

QUod alius fortasse miraretur, ubi ignotus ignoto negotium facessere audeat, Tibi Pater in Christo charissime! neutiquam erit mirandum, si filius parentem & frater fratrem compellet; quod communionis vinculum à communi omnium Redemtore profectum efficit, ut intrepidus ad te pro re seria confugiam. Nosti, ni fallor, Minoritam, nomine Benedictum, cognomento Locarnum. Is quantum Christi verbum olim promoverit atque indies promoveat, non est, ut in præsentia referam. Illud tibi affirmo: Nullum esse apud Italos celebre oppidum, in quo non annunciatum sit per hunc Christi Evangelium, non sine maximo fructu. Habet autem è sorore nepotem, quem volens pater isthuc ablegare, rogavit me, num quemquam apud vos nossem, cui puer tuto committi posset? Ego autem non immemor, quanta humanitate biennium abhinc, hortatu Mariani Minoritæ hospitis literas ad me dare dignatus sis. Ausus sum tibi viro de omnibus bene mereri cupienti has commendatitias pro puero exarare. Quid autem per te curatum hac in re velim, illud est: nempe des operam, ut præceptori credatur, unde non literas tantum, sed veram pietatem condiscat; ad hæc monendus est, cuicunque creditus fuerit, puerum non esse satis firma valetudine, proinde adhibendam esse di-

ligentiam, ne ingurgitet se, neve immodica crapula tenelli vires obruantur. Scis etenim, vel me tacente, quanti educatio referat, in qua alia Italis, alia Germanis, alia Gallis ratio est adhibenda, utpote ea, quam consuetudo per manus, quod ajunt, tradidit. Atque id est, quod parentum abs te charitas multis precibus contendit. Tuum igitur erit, integerrime Vir! nobis rogantibus te haud difficilem istheic præbere, si vere is es, quem humanissimæ ad Locarnum & ad me literæ tuæ delinearunt, atque vera sunt, quæ Varnerius noster Castilioneus apud fratres prædicat, qui, ut sis sciens, operarium haud pœnitendum in Verbo Dei promovendo indesinenter se præstat; tametsi illic agat, ubi non satis tutum est, de his mutire, quæ Pontificis regnum obnubilant. Sed tamen augetur indies credentium numerus, tametsi non desinat Antichristus per suos Pseudodoctores eosdem pessundare, quos noverit de Christo pure ac fideliter sentire; sed quo magis obstrepit, eo indies magis ac magis veritas evangelica elucescit. Heic concionatorem habemus hac in re strenuum, qui non pauculos manipulos in Domini horrea refert; Locarnus noster in celeberrima Siculorum urbe Concionator, ea est Panhormus ille per Siciliæ Vice-Regem accersitus. Sed quid pergo de singulis referre? Floret ac viget passim Evangelium, pessundatur aut penitus corruit pontificia tyrannis. Atque hoc est, quicquid novarum rerum refert Epistola, quæ alioquin tanti viri conspectum reformidabat. Id autem eo libentius feci, partim quod intelligat, se gratissimum tibi nuncium allaturum, partim ne tibi obstreperet, si commendatitia tantum & perax ad te veniret. Reliquum est, Pater in Christo observandissime! boni consulas, si impudens hoc quicquid est operæ ac negotii tibi facesso. Quod lubens ideo feci ut intelligas, me esse eum, cui nihil potius aut jucundius contingere queat,

quam

quam universis, quotquot Evangelium illustrarunt, noctes & dies inservire, sed ante alios tibi & universis, qui isthic agunt, fratribus, quo D. Jesus, qui pollicitus est suis os & sapientiam, dignetur fortes ac intrepidos servare adversus omnes sævientis mundi procellas, quosque meo nomine in Jesu Christo salutabis! Saluta Dn. Antonium Marium, & Filium tuum mihi charissimum, quem dignetur bonorum omnium Largitor parenti superstitem & verum tam nominis quam animi dotum hæredem. Vale, Locarni, prid. Id. Aprilis. A. 1546.

Serve Dei fidelis!

Johannes Beccaria,
apud Locarnenses Ludimagister.

Num. III.

EJUSDEM alia ad *Eundem* scripta, eodem anno.

Gratia & pax Dei sit tecum, Pater in Christo junctissime!

NIhil unquam in vita jucundius & charius mihi duxi, quam iis viris gratus esse, quorum humanitate adductus liceat non modo dare mandata, sed etiam quod in votis est, exorare, quod alias ab honestissimis impetratum. Vicit nuper exspectationem meam in te, Pater observandissime! qua in re noveris me tibi adeo obstrictum, ut tibi tuisque vitam ipsam me debere prædicem. Quid autem non debeam ei, qui non oratione, sed ex animo plura præstet, quam ausim aut sperare aut contendere. Id factum est in puero, quem apud te alendum suscepisti, tametsi nihil tale in literis meis abs te petierim, quod à me omissum fuerat: non quod vererer, ne mihi & heic & alibi præsto esset humanitas tua, sed quod videbatur, impudentis esse, si præter operam tuam in ea re quid

præterea requireretur. Unde, cum reapſe viceris ſpem noſtram, auxiſti nobis eandem, ut poſthac & ſperare & auferre abs te liceat. Unum illud te oro: puerulus ipſe molliter potius, quam duriter à domeſticis accipiatur, nec te moveat, tametſi parvo tibi cum parente convenerit; non enim (mihi crede) patiar te, quæcunque diſpendis hac in re, ſentire; numerabitur enim, quantum voles, ſi conventis non fueris contentus. Quod ſcire vis, quo in loco ſint Benedicti res? Is nunc agit Jannæ, donec ſubſidat æſtas, illinc venturus Mediolanum, ubi in ſummo eſt pretio apud eum, quem Mediolanenſium rebus præfecit Cæſar. Is eſt Siciliæ Vice-Rex, inſignis & genere & æquitate, cujus opera Benedictus noſter apud Siculos concionatus eſt cum maximo Verbi divini profectu. Illud in Epiſtola tua me commovit, cum ſcribis: Cæſarem dici hoſtem veſtrum; nec tamen ideo commotus ſum, quod mihi ſic eſſe jam diu non perſuaſerim, ſed quod vereor, apud Italos univerſa fore tumultuoſa, quum Antichriſtus, jure & æquitate impar, ferro rem aggreditur; quem tamen non pili faciendum duco. Nam ſpes eſt nobis certa, à Deo Chriſti negotium per Evangelii prædicationem iri curatum, quibus armis fulti, quotquot Chriſti gloriam promovent, & Satanæ inſultus & Cæſaris minas ſuperabunt. Duo heic me potiſſimum ſolantur, primum, quod apud pios omnes luce clarius conſpicuum ſit, bellum hoc adverſus Germanos ſuſceptum, ut Veritas obruatur, & Evangelium in latebras rurſum protrudatur; quod nequaquam feret is, cujus munere Verbi divini vis apud univerſos longe lateque dimanavit. Alterum non modo fovet, verum etiam auget ſpem meam, cum mihi ſit compertum, qui viri ſient Germani, quibus non facile imponet hic Cæſar, qui Religionis prætextu non alio tendit, niſi ut viros liberos in ſervitutem redigat; quod, cum videat, nulla ratione

effici

effici posse, si bellum simul omnibus indixerit, paulatim rem astu ducit, nempe ut dissidia inter Germanos serat, quo suis se viribus conterant, ut ipsi facilius sit fractos ac contritos pessundare. Verum confido, Germanos omnes sentire fucum, nec passuros, ut qui Princeps Reipublicæ commodo constituitur, in Tyrannum evadat; quam mentem illis precor ex animo. Non enim res vestra tantum agitur, sed nostra quoque, quibus durius esset morte, si contingeret, Tyrannum fieri voti compotem. Cupio igitur per literas tuas certior fieri, quo in statu sint apud Germanos universa; quid spei, quid præsidii adversus furentem ac sævientem hostem paratum sit. Quod mihi Codex non redditus sit, illius, qui apud vallem hanc prætorem agit, incuria, non valde laboro. Hoc me movet, quod tibi in comparando exhibita sit molestia, quam vir iste non debuerat, nisi constitutum haberet apud se huc advehere: nam ea conditione mandaveram filio hic agenti, ut si pater vellet ac posset commode cum suppellectili sua advehere, curaret emendum, alioquin non luderet operam. Scis enim, tantam esse locorum distantiam, ut ingratum mihi fiet, si quis gratis isthic mihi det Codices, nisi detur, qui afferat: commodius etenim Basilea, quam isthinc curo afferendos. Utcumque sit, gratissimam scito mihi fuisse operam tuam, nec patiar te quid jacturæ hic sentire, si enim per Prætorem stetit, quo minus sit redditus, alia aggrediemur via. Scripsi ad Dn. Antonium Marium, ut si qua fieri potest, imponat sarcinis suis, numeretque sibi pecuniam, pro qua obstrictus est, quam mox nomine meo Lucernæ accipiet. Pluribus ad te scripsi, quam decreveram; siquidem indignum porro videbitur talem virum battologia gravare, qua in re dabis veniam tui amantissimo, qui (quod coram non licet) cupit saltem hoc tecum colloquio frui. Vale, Pater in Christo

fto Jeſu pientiſſime! meque tuorum numero adſcribe. Salutat te Varnerii noſtri Conſobrinus, quem Chriſtò ille lucrifecit. Saluta nomine meo fratres, qui Eccleſiam iſthic moderantur. Locarni, 18. Calend. Sextil. 1546.

Tuus in Domino,

Johannes Beccaria.

P.S. Scriptis Literis convenit me Philippus, Antonii parens, rogavitque ut ſcriberem ad te: Ne grave tibi ſit hac in re obſequi filio, id eſt, patiare hunc prodire domo in mercatum. Nam cum deſtinet eum mercaturæ, cupit ab ineunte ætate filium eidem aſſueſcere; quod ut facias, etiam atque etiam rogo.

Num. IV.

EJUSDEM ad eundem *Pellicanum*, A. 1548.

TUa in me beneficia, piiſſime Conrade! tot tantaque ſunt, ut me tibi obligatiorem reddideris, quam unquam ſim ſolvendo. Illud autem me ſolatur in pluribus nominibus, quibus humanitati tuæ debeo, quod ei debeam, unde quo majora acceperim beneficia, multa majora indies liceat exſpectare. Quod nuper expertus ſum in diligenti pro me recommendatione apud Dn. Merbelium, qui tuis adductus ſcriptis ſalutavit me humaniſſime, excuſans ſe, quod non potuerit prodeſſe, quantum erat in votis, vix enim impetrata eſt octava pars annonæ, quam pro me petebat ſanctiſſimus Senatus Tigurinus. Cui rei, ut ipſe ſcribit, fuere impedimento non pauci competitores. Utcunque ſit, tibi, dum vivam, immortales agam gratias, quod mihi, quantum in te fuerit, prodeſſe ſtudueris, collatis ſuffragiis doctiſſimi Bullingeri, quem ſalutes velim nomine meo quam diligentiſſime, una cum omnibus illis viris, qui iſthic ſunt in Chriſti nego-

negotio. Scripſeram ad te ſuperioribus diebus, verum tabellarius literas retulit, cui commendaveram quoque, quas nunc accipies Dn. Merbelii. Verum his omiſſis, admonendum eſſe cenſeo: Evangelii res indies melius meliusque favente Deo cedere; quod ut recte fiat, accepi negotium annunciandi Evangelii in Æde heic nobis vicina; quod ut auditur à multis, ita comparat mihi jugiter maximam apud imperitos Sacrificos invidiam, qui nihil non faciunt, ut me ex ſuſcepto Domini negotio amoverent, atque interim non deſinunt ſolicitare Prætorem noſtrum, tametſi hactenus nihil contra me tentarit manifeſte. Proinde, pientiſſime Pater! cuperem abs te & reliquis Chriſti præconibus commendari ei Legato, quem integerrimus Senatus Tigurinus huc propediem amandabit. Commendationis autem illud eſto caput: ne quid mihi violentiæ propter V. D. præconium adferatur, indicta cauſa, propter incertos & occultos delatores; Quod, ſi quid eſt, in quo intentatur mihi hæreſeos actio, videatur, qui ſint actores, qui me velint aut quærant reum agere. Nam paratus ſum tueri, quicquid publice annuncio; modo res ad æquos judices ac doctos referatur. Tum, ſi accidat, ut mihi ferendum ſit quicquam pro Chriſti gloria, paratus ſum tradi & in vincula & in mortem, modo inveniar fidus Dei noſtri Miniſter. Quod ſupereſt, non deſiſtam, quantum in me erit, Redemtoris Verbum prædicare, nec poterit Satanas cum univerſis membris ſuis ab inſtituto me amovere. Dn. Varnerius legit literas ac libellos à veſtris ſanctis viris conſcriptos, inter quos delectatus eſt ſupra modum Dn. Rudolphi Apologia. Salutat te officioſiſſime, ac precatur Domini gratiam veſtræ Eccleſiæ. Cupio mihi comparari Johannis Brenzii Homilias in Johannem, una cum Catechiſmis duobus Johannis Calvini, quibus addas Zvvinglii Pſalmos latinitati donatos; pro quibus

quibus numerabit tabellarius iste, quanticunque constiterint. Vale in Domino, charissime Pater! ac si mihi, quod non fore confido, necesse sit hinc abire propter Evangelium, mox isthuc me conferam, ut te aliosque in Domino Fratres salutem ac colloquar. Exspecto literas tuas plenas consolationis ac præsidii, modo apud Senatum vestrum vestra, qui estis fratres, me commendent suffragia. Dominus noster Jesus Christus vos omnes regat & tueatur! Psalterium Huldarici Zvvinglii exspecto compactum, una cum Johannis Brenzii Homiliis. Locarni d. XI. Cal. Junii, A. 1548.

Johannes Beccaria.

Num. V.

Sanctæ Ecclesiæ Tigurinæ dignissimo fidissimoque Ministro, *Dn. Heynricho Bullingero*, salutem plurimam in Domino THADDÆUS DUNUS dicit.

SAlve Frater Charissime! Ne nomen meum, Humanitati suæ fortasse incognitum, aliquam admirationem pariat, quis ego sim, primum dicam, mox quid velim, prosequar. Juvenis quidem sum nomine Thaddæus, natione Italus, patria Locarnensis, illustrissimorum Dominorum Helveticorum servus fidelissimus. Triennium Basileæ egi, ubi liberalibus artibus & Medicinæ operam dedi; deinde Ticinum me contuli, illicque biennium jam elapsum trivi in Medicinæ studiis. Nunc vero (ut in pauca contraham) domi sum Locarni, scilicet, quoniam vacationes habentur. Tui omniumque Christianorum, eorum præcipue qui de Republica Christiana bene merentur, sum amantissimus, sacris vero studiis (absit gloria) ita deditus, ut in his maximam temporis partem insumam. Hæc hactenus; Charta enim aliis majoris momenti sermonibus dicanda est. Nisi itaque scirem,

scirem, notum vobis omnibus esse, non paucos esse Christianos apud nos, qui non levibus persecutionibus sæpius fuerunt turbati, id esset præmittendum. Sed me minime latet, Præceptorem meum colendissimum, ejus causæ, quam audies, summum defensorem, Dn. Johannem Beccariam, præsentem, (hujus enim rei gratia isthuc concessit) non raro ad clarissimum virum Dn. Conr. Pellicanum scripsisse, eique persecutiones, quas sustinemus, copiosius enarrasse; proinde rem istam aggrediar. Decem abhinc dies quorundam Pharisæorum suasu ad nos venit Antichristi Præcursor quidam, perquam nequissimus (testis mihi erit Dn. Joh optimusque Locarnensium, quod non mentiar;) indoctus, pertinax, malignus, qui fidei nihil habet, pietatis parum admodum, charitatis quam minimum, Evangelicæ doctrinæ ne tantillum quidem, humanitatis nullum vestigium. Is frontis perfrictæ Pseudopropheta ausus est suggestum conscendere, & omnes humanas traditiones superstitionisque omne genus (ut ex ipsius conclusionibus, quas mittimus, colligetis;) prædicare & docere. Tu ipse mihi considera, quo animo tot Christiani, qui apud nos sunt, potuerint tantum nebulonem ferre! Sed hæc ante omnia patienter audi: Ut primum huc pervenit, edictum habuimus Prætoris nostri, ne quisquam eum Pseudodoctorem verbis factisve molestaret: nonnulli enim ex Pharisæis nostris id negotii cum Prætore tractaverant. Unde, antequam ipsum audivissemus, falsum doctorem & inimicum Christi judicavimus. Postridie ejus concionem audivimus adeo ridiculam, adeo impiam, ut apud nosmet ipsos constituerimus, non solum non amplius ipsum audire, sed contra tantum nebulonem surgere, tamque impiam doctrinam rejicere ac refellere. Sequenti die, dum impia haberetur concio, multi adfuerunt, quod ubi animadvertit Prætor, aliud edictum fecit, ut sub pœna

na quinquaginta coronatorum omnes conciones audiremus. Tunc multi cœperunt palam conqueri de tanta vi & injustitia: ipse namque Pseudopropheta cum fautoribus suis Prætori nostro talia persuadebat. Tumultus factus est in populo: alii enim Pseudoprophetæ ex flagitiosorum consortio advecto, alii Christo Servatori nostro credebant. Tandem inierunt consilium quam plurimi contra nos, ut perderent nos, Nonisque Augusti ex Prætoris edicto vocati sunt quinque coram tribunali, è quorum numero ipse quoque sum. Vocati hilariter accessimus, hæc in ore semper habentes: si me persecuti sunt, & vos persequentur. Et: Discedebant Apostoli gaudentes, quod digni habiti essent, qui pro Christo paterentur; Multaque alia hujusmodi. In Concilio sedebat Magnificus Prætor noster, interpretes duo, prætoris vicarius, pseudopropheta ipse, sacrificuli duo, quorum alter pastor noster dicitur, revera tamen non est, Medici Luganenses duo, qui omnes in necem nostram conspiraverant; sedebat præterea Clarissimus, deinde nos quinque. Illico Pseudopropheta protulit conclusiones impias, de quibus supra locutus sum, nosque cogere voluit ex consensu Prætoris aliorumque fautorum, ut vel eas concederemus vel negaremus, neutrum tamen potuerunt è nobis impetrare: Nam spiritus Domini semper nobiscum fuit, pugnavitque egregie pro veritate. Ostendimus enim illis, nos Christianos esse, ipsos vero à christiano nomine, nedum homine, longe alienos. Atqui idem egerunt nobiscum & falsi Testes & falsi Judices, de quibus audies, quod egerunt Judæi cum Christo Apostolisque: Tametsi enim veritatem palpabant, tamen magis ac magis ira exagitabantur contra Christum, magisque magis nos tentabant, nervosque omnes intendebant, ut alterutrum expiscarentur. Si aperte negavissemus, Vulcano nos tradidissent, nisi Dominus nos eripuisset

è ma-

è manibus eorum. Si affirmassemus, male itidem nos tractassent. Postquam satis disputatum est, Prætor noster nolentibus nobis (quod esset contra omne jus omnemque æquitatem) quatuor ex iis, qui in nos conspiraverant (proh Deorum hominumque fidem!) judices elegit, sacrificulos duos duosque Luganenses medicos, & quintum adjecit Medicum nostrum. Tu vides, Vir Clarissime Fraterque Amantissime! quomodo nos tractarint. Judices ii perditissimi quatuor judicarunt, eas conclusiones catholicas, (ut ipsi loquuntur) hoc est, evangelicas esse credendas, nos vero Hæreticos, nisi eas approbavissemus. Nos strenue denuo pugnavimus contra nefarios Judices. Sed tandem dimissis quatuor, solum Præceptorem meum in carcerem conjecerunt, quem tamen eodem die Dominus è carcere eduxit. Nunc timentes, ne pejus in nos sæviant ii, præsertim Prætor, qui dicit, se hæc omnia ex præscripto Illustrissimorum D. D. nostrorum facere; tibi Dulcissime Frater! supplicamus, totique Ecclesiæ vestræ, oramusque & obsecramus, ut nos hac in re velitis adjuvare, donec venerit dies noster, quem omnino non effugiemus. Nisi igitur molestum est, pro Christo tantillum laboris subire, cum aliis Christianis Sapientissimo Senatui vestro causam hanc narrabitis & pro viribus defendetis, ut possimus domi tuto agere & Christi doctrinam promulgare. Quod si videritis, hæc vos in cassum tentare, prævideritisve quodpiam periculum, quod imminere nobis possit, facite, obsecro, nos certiores; Effugium enim aliunde nobis parabimus, juxta illud, si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in alteram. Speramus tamen, nos cum Domini auxilio impetraturos, ut liceat domi agere. Hæc sufficiant! Etiam atque etiam causam hanc æquissimam humanitati tuæ commendo. Locarni V. Id. Sextil. 1549.

Tuæ Reverentiæ sum, quantus quantus sum,

Thaddæus Dunus.

Num. VI.

Tigurinæ Ecclesiæ Episcopo Rev.mo, Domino *Heinrico Bullingero* *THADDÆUS DUNUS* S. D. P.

IN iis, quas superioribus diebus ad Te, Humanissime Heinrice! dedi, literis, rem, ut erat gesta Locarni, bona fide exposui, deinde etiam atque etiam oravi, ut quantum in vobis est, efficeretis, ne persecutionibus premeretur Ecclesia nostra. Hoc, quia bonis cœptum est auspiciis, & quia omnem lapidem movetis, ut apud nos tuto prædicari possit Evangelion Jesu Christi, ego equidem pro universa Ecclesia Tibi cæterisque Ecclesiæ vestræ Ministris gratias habeo, quam possum, maximas. Referre autem quum nos non possimus, certi sitis, quod Servator ille noster pro tantillo labore centuplum gaudium sit redditurus: Nihil enim æque certum est, ac eos, qui pro Christo decertant, in omne ævum beatos fore. Quum enim Deus regnum cœlorum, quod æternum est, promiserit filiis suis, iis inquam, qui Christum pro Servatore amplexi fuerint, qui aliter fieri potest? Quare age, Clarissime Heinrice! Stude, vigila, labora, ut intrepide possint Christiani pastores apud nos officio suo fungi, veritatem scilicet docere, pureque Sacramenta administrare, alioquin patriæ omnino valedicendum erit. Nam, si domi non licuerit vitam Christiano homine dignam ducere, saltem peregre licebit, ubi ubi Dominus voluerit. Neque vero putes, non esse tres quatuorve. Sane sumus quam plurimi; quanquam multi paulo infirmiores sunt, & lacte potius quam solidiori cibo egent. Iccirco, si per vos poterimus, quæ Christianæ Ecclesiæ necessaria sunt, ordinare; nemini dubium est, quin brevi credituri sint omnes cives nostri, favente Domino. Cognosces præterea ex literis Ecclesiæ nostræ, quæ his alligatæ sunt, & animum & fidem nostram, & amo-

& amorem quoque, quo Vos merito proſequimur. Faxint autem Superi, ut Oratores quod oramus exoremus. Eccleſiæ tuæ Te incolumem quam diutiſſime ſervet Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cujus etiam pax & gratia multiplicetur vobis. Amen! Locarni, pridie Calendas 8bris. A. 1549,

Num. VII.

Salve in Domino Jeſu Chriſto, Reverendiſſime *Bullingere!*

AUdio, Locarnenſem Eccleſiam (quæ tot & tanta pro Chriſto paſſa eſt, ut miremur, eam in ſana fide perſeverare potuiſſe;) à quibusdam nebulonibus apud Dominos Potentiſſimos ipſorum falſo Anabaptiſmi inſimulari. Calumniatores autem, qui ſint, quum occulti ſunt & non aperti, pauperculi Chriſti certo ſcire non poſſunt, ſuſpicantur nihilominus, unde tempeſtas oriatur. Atqui Anabaptiſtæ quoque erunt, qui ſtatim ut infans illorum ex muliere natus eſt, difficili ac longo aliquot dierum itinere, nec exiguo ſumtu, ad nos properantes veniunt, obnixe ac ſuppliciter rogantes, ut aliquem ex noſtris mittamus, qui ipſum Baptiſmi ſacramento initiet. Scimus Anabaptiſtas a Pædobaptiſmo abhorrere, tantum abeſt, ut approbent. Anabaptiſtæ quomodo erunt, qui tam avide ac tanto deſiderio Verbum Dei ac veſtram doctrinam, quæ & noſtra eſt, quam ſancta & Chriſtiana, a nobis cupiunt audire? Anabaptiſtæ doctrinæ noſtræ inimiciſſimi, quoniam Lutherani & Zvvingliani, ut ipſi ajunt, ſimus, vix nos videre ſuſtinent, nedum audire. Diebus proximis Guido Veronenſis, ſanæ doctrinæ vir & fidelis Chriſti Miniſter, qui ne latum quidem unguem à veſtra fidei Confeſſione diſcedit, quum ab iis vocaretur, non ſine vitæ periculo Locarnum properavit, baptizavit infantulum, aliquot dies illic egit, continuo docendo, exhortan-

do & illos consolando, januis clausis, propter metum impiorum. Tigurinam Confessionem, quæ nostra omnium est, amplectuntur; institura vestra, tanquam Dei oracula recipiunt, & Anabaptistæ erunt? Nunc demum tota illa Ecclesia, misso ad hoc nuncio, puerorum institutore, honesto viro & docto, ad me literas dedit, rogans, ut aliquis ex nobis, qui Ministri sumus, illo proficisci dignetur & baptizet filium infantem, esurienti pauperculæ Ecclesiæ panem Domini frangat; Hæccine sunt opera Anabaptistarum? Apagite perfidi nebulones, inimicissimi Christi, mendacissimi accusatores! quod his dicam, non me movent aperti hostes, sed clandestini, qui Christum profitentur & in propatulo fingunt se Christianos, hypocritæ, intus autem omnis pietatis vacui. Quin tandem potentissimi & fidelissimi Tigurini vestri, Bernenses Domini, & alii magnanimi & robustiss. Christianitatis anguli, Christi pauperum miserebuntur. Patientur usque in finem tantam Christo irrogari ab impiis injuriam? Dominos excipio; de reliquis tamen dico. Veniet igitur ad te, Eximie Bullingere, Antonius Marius, illius Ecclesiæ honorabile membrum, & quem tu nosti; veniet, inquam, exul Christi, nam dum inter cæteros emineret, non passi sunt impii, ut Locarni diutius ageret, sed cum nobili ac fidelissima uxore exul fit. Hic nunc Clavennæ habitat, audies illum pro illa Ecclesia. Tu si potes, Vir Clarissime, (potes autem plurimum) fave illi, fer opem afflictis, move omnem lapidem, ut liberentur pauperculi à tyrannide Antichristi non minus. Te per Christum oro, huic causæ insistas, quam in componendis & vulgandis illustribus tuis scriptis suscipis. Bene vale in Domino, ac Præceptores in Christo observandos, Dn. Pellicanum, Dn. Bibliandrum, Dn. Rudolphum, Dn. Gesnerum, & Dn. Frisium, verbis

bis meis saluta! Clavennæ, ultimo Maji. 1554.

Augustus Mainardus Tuus.

Num. VIII.

Summa des Spruchs, den Tschudin samt anderen Mittleren zu Baden im Christm. A. 1554. ausgesprochen.

Wir sprechen, daß die XII. Ohrte, oder die VII. in deren XII. Nammen, denen, so zu Lugarus den neuen Glauben angenommen, sagen sollen: daß sie von sömlicher neuer Religion abstandind, und wiederum den wahren alten ungezweifelten Christlichen Glauben annehmind; dieweil doch der Landsfriede sömlichs vermag und zugiebet. Welche aber das nicht thun wölten, mögend und söllend innert 3. Monaten mit ihr Leib und Gut, Weib und Kinden von Lande zeuhen; doch sich nienen in der VII. Ohrten besonderen oder gemeynen Herrlichkeiten niederlassen und wohnen, wol mögend sie dardurch in Passesweise wandlen. Und beduncket uns solches zu dieser Zeit Straffes genug seyn.

Num. IX.

Gravamina sententiam hancce non assumendi, à bonis viris Christumque amantissimis tum exhibita.

Wessen sich hierinn Christgläubige Leuthe beschweren mögen, solchen Spruch nicht anzunemmen.

Selbst heissen abstahn von dem Glauben, den wir für den rechten erkennen, oder anderen verwilligen, daß sie heissind andere vom Glauben abstahn, ist einerley. Consentiens & faciens eadem pœna plectuntur. Heissen aber abstahn von der neuen Religion und die wahr alt ungezweifflet annemmen, ist, seinen eignen Glauben nicht nur verläugnen, sondern auch ander Leuthe heissen verläugnen, darzu seinen eignen Glauben schmähen und schänden, als ob er neu und nicht

der recht alt wahr Glauben seye, der Widerpart Glauben aber preisen und für den rechten wahren alten Glauben bekennen. Hiermit werden die Schwachgläubigen geärgeret, die Rechtgläubigen verursachet uns (als unehrliche Leuthe an unserem Glauben) zu schelten; die Widerwärtigen werden gestärcket in ihrem Irrthum, der Irrthum wird gepflantzt und aufgericht; das Reich Christi und sein Wort ausgerissen, umgekehrt und verwiesen von dem Ohrte, da es angehebt wurtzlen.

Was schwerer grosser Sünde das seye, und was grosser Raache folgen werde, kan ein jeder Rechtgläubiger aus seinem Glauben verstahn. Der Herr spricht in seinem H. Evangelio: Wer den Schwachen ärgeret, dem wäre besser, ihm wäre ein Stein an Halß gehänckt in das Meer. Matth. XVIII: 6. Welcher ihne verläugne vor den Menschen, den wölle er auch verläugnen vor seinem himmlischen Vater, Matth. X: 33. Anderstwo tröuet er das höllisch Feuer und ewige Verdamnuß allen denen, die zur Unwahrheit helffen, und das Reich und Wort Christi nicht treulich förderen, 2. Theß. I: 8. 9.

Dieweil auch das soll ein Spruch seyn, so ist schon die Erläuterung gegeben über den Landsfrieden, daß er vermögen sölle: Wann jemann zum Evangelio staht, daß er von solcher neuer Religion wieder abstahn und den Glauben der Römischen Kirchen, den sie den alten nennen, annemmen sölle. Wie fehrne das lange, und was es mit der Zeit bringe, verstahnd die verständigen.

Es vermag weder Göttliches, natürliches, menschliches, noch kein billiches Recht, keine Bündte noch Landsfriede, daß jemanns schuldig seye seinen eignen Glauben zu schelten, und in anderen Leuthen zuverfolgen und straffen, oder verwilligen, daß es beschehe. Ja solches ist allen Rechten zuwider.

Straffen aber sollen die Oberkeiten das Böß, nicht

nicht das gut, Rom. XIII: 4. Deßwegen haben keine Obere Recht den wahren Glauben zu straffen. Gottslästerung, Schand und Sünde soll man straffen. Wann man nun solches nicht strafft und aber rechtgläubige Leuthe straffet, mag månniglich dienen, was folgen werde.

Bisher hat man durch frömdländige Kriege helffen machen Witwen und Wäisen, und sie ihres Vaterlandes vertrieben; So man jetzo daheimen auch anhebt verweisen, ist zubesorgen, die Masse werde voll, von deren der Herr spricht: Mit was Masse du missest, ꝛc. so man williget, frommen Leuthen das Land zuverbieten, an dem man doch auch einen Theil hat, und aber sonst allerley, auch elende und böse Leuthe wohnen und wandlen laßt, ist zu besorgen, Gott werde uns das Land nicht lang mehr in Ruhe und Wolstande lassen einwohnen.

Der Herr Jesus spricht: Hierusalem werde einöd und wüst geleget werden, darum daß sie gläubige Leuthe vertriebend und arme Leuthe trängtend. So ist die Straffe freylich groß genug, die einen Biedermann, der nüd strafwürdiges gethan, von Hause und Heim in das Elend weiset, da er von Gewünn und Gewerbe kommet, das Gut, das er verlasset, denen muß feilbieten, die ihme um des Glaubens willen mißgönstig sind, und die, weil sie wüssen, daß er weichen muß, gebend, was sie wöllend, ꝛc. darzu er an anderen Ohrten, so er gleichwol einkommet, die Gelegenheit zu Gwerben nicht hat, die gute Weile viel seines Guts verzeuhen, in Summa zu Elend und Armuth gerichtet wird, und hat doch solches alles mit keiner bösen That verdienet.

Pilatus liesse den Herren, den er unschuldig wüßte, geißlen, allein, daß er ihne nicht müßte kreutzigen, und versündiget sich übel mit solchem ungebührlichem Mittel. Darum kan man den frommen gläubigen Leuthen nicht verhelffen, soll man doch nicht in ihre unschuldige

Straffe

Straffe verwilligen und sich an Gott versündigen, noch vil minder soll man ützid handlen, das unserem wahren Glauben mag nachtheilig, uns und unseren Kinderen ewiglich aufheblich seyn.

Gott gebe seine Gnad, daß eine gemeine Eydgnoßschafft einhällig seinen Willen tühe, und in seinen Gnaden funden werde.

Uber das alles wird der Wäg der Genaden und Offenbarung Gottes mit einer schweren nimmer genug bereuenden Sünde verschlossen, wann das Wäglein da dannen verbannet wird, daß es nimmer dahin kommen soll!

Num. X.

Epistola JOHANNIS BECCARIÆ, Misauco 1560. *Dn. Johanni Wolphio*, Tigurinæ Ecclesiæ Pastori vigilantissimo, scripta.

TAnti est apud me, Wolphi Colendissime, amoris nostri mutui recordatio, tanti est de me pia memoria, quam ex humanissimis literis tuis agnosco, ut mihi totus displiceam ob præteritum silentium, non aliunde profectum, nisi quod verebar, ne tibi Viro doctissimo & in seriis negotiis occupatissimo meis illiteratis literis obstreperem. Nunc, quoniam jubes, faciam libentissime, præsertim, quod nihil jucundius aut optatius mihi accidere potest, quam animi gravissimas molestias apud Te, amicorum præcipuum, deponere. Quo igitur in statu sint res meæ, paucis accipe. Principio tres illi Helvetiorum Pagi jam pridem hinc me ejectum cupiunt; Istud ut assequerentur, scriptis suis hos populos subinde solicitarunt, nunc hortando, nunc monendo, nunc multa pollicendo, nunc dira minitando, nisi me Hæresiarcham ac Veteris Catholicæque Fidei oppugnatorem proscriberent. Horum assuetus gravissimas minas æquissimo animo ferre potui,

tui, dum in vivis esset Magnificus Dn. Antonius Sonius, Misaucorum Consul, Mœcenas meus, vir pietate & omni virtutum genere suspiciendus, qui me isthuc ab amplissimo Senatu vocarat atque impetrarat. Eo mortuo, Satan per suos ita grassatur, ut videatur, cœlum terræ velle miscere, nisi extrudar. Res hæc in divi Martini nundinis ad Illustrissimos Dn. Dn. Rhætos Curiæ referetur ab his fratribus, à quibus, si impetratum fuerit, ut heic tuto hærere possim, hærebo, paratus quidvis pati, modo Christi Ecclesiæ quoquo pacto prosim. Quod nisi impetratum fuerit, cogor ad vos redire Tigurum. Non enim possum tot tantisque resistere hostibus solus; quanquam non sim solus, sed continue sentiam Dn. N. præsentissimam opem, quæ me solatur ac tuetur adversus omnes Satanæ, Papæ, & eorum Ministrorum horribiles minas. Jam ad hæc mala externosque hostes etiam accedit domesticus idemque nocentissimus hostis, rerum omnium videlicet penuria, quæ tanta, ut nunc magis quam antehac fere intelligam, quæ & quanta sit cœlestis in suos ubique providentia. Porro in his omnibus hoc unum me semper solatur, quod sciam, eam esse Christi Pastorum vocationem, ut ubique hos crux comitetur, quæ quo sævior fuerit, eo uberiores fructus sint exspectandi ab his, qui pure Christi Evangelium annunciant. Habes, mi Wolphi Charissime, quod à me petis. Tuum erit, in tuis precibus me causamque ipsius, Domino, pro quo hæc patior, commendare, ut is pro sua incredibili misericordia secundum promissiones suas mihi semper & ubique adsit! Quod Antonium attinet, libenter abs te audio honestissimum de eo præconium; faxit Deus, ut votis nostris respondeat! Is nondum me adiit, fecit enim iter per Gotthardi alpes. Si dabitur parentem alloqui, instabo, hortabor, ut filium ea indole præditum ad præclara

ſtudia juvet. Reliquum eſt, ut clarisſimum Virum Dn. Bullingerum, parentem meum pientisſimum, Seculi noſtri decus, cum tota ejus Familia, meis uxoriſque meæ verbis ſalutes, eidemque rerum mearum ſcenam ſignifices. Salutabis quoque ornatiſſimos & doctiſſimos Viros, Dn. Dn. Waltherum, Lavaterum, Hallerum, Joſiam, Vickium, Zvinglium, & una cum his reliquos urbis iſtius vigilantiſſimos Paſtores, quibus precor a Domino ea Spiritus dona, quibus vere præſtent, quod dicuntur. Ego & Conjux mea reſalutamus Te Tuamque pientiſſimam, ac precamur ſanctæ familiæ tuæ omne bonum. Tu me ama, ac vive Chriſto, ejusque Fratribus. Miſauci, die 7. Novembr. 1560.

Johannes Beccaria, Tuus.

* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * *
* * *
* *


TEMPE HELVETICA,

Dissertationes atque Observationes

THEOLOGICAS, PHILOLOGICAS, CRITICAS, HISTORICAS, EXHIBENS.

Tomi Quarti

Sectio Secunda.



TIGURI,

EX OFFICINA HEIDEGGERIANA.

M DCC XXXIX.

TABULA
Sectionis Decimæ Quartæ.

VIRO

Plurimum Reverendo atque
Clarissimo,

MELCHIORI HURTER,

S. S. THEOLOGIÆ ut & PHILOSOPHIÆ

In LYCÆO SCAFFHUSIANO,
PROFESSORI P. O.

Polyhistori Eximio,
Literarum Promotori & Vindici
Ferventissimo,

VERITATIS, QUÆ SECUNDUM
PIETATEM EST, DOCTORI
vere Incluto,

Amico suo Suavissimo atque
Integerrimo,

TEMPE HELVETICÆ

Sectionem Decimam quartam
D. D. O. C.

Prosperosque Successus in eruditis laboribus exegeticis, quorum initium fecit in elucubratione
COMMENTARII EPISTOLÆ PAULI AD TITUM,
Quem ab erudita ejus manu propediem expectamus,

A fonte omnis Lucis atque Salutis
Integro Corde apprecatur

JOH. GEORGIUS ALTMANNUS.



I.

HENRICI RINGIERII,

S. Theol. in Acad. Bern.
Prof. Prim.

DISSERTATIO THEOLOGICA,

DE

FONTIBUS ERRORUM

Eorumque πρώτοις ψεύδεσι.

Argumentum.

§. I. Præſtantia notitiæ fontium errorum. Ordo tractationis. §. II. Cautio, quæ in ſtudio elenctico adhibenda, producitur. §. III. Ea tamen non obſtante hujus neceſſitas probatur, ex importunitate adverſariorum, ex officio defendendi veritatem, & ex ratione officii paſtoralis. §. IV. Objectum hujus ſtudii ſunt hæreſis & error. Datur definitio eorum & diſcrimen. Cl. *Heidani* ſententia circa hæc

partim recipitur partim refellitur, additis rationibus. §. V. Quis non mereatur notari *Hæreticus*, ostenditur, ut & discrimen inter hæresin & infidelitatem. Ambrosius citatur. §. VI. Omnis erroris fons philautia statuitur, & omne erroneum judicium tribuitur vel falsæ de rebus perceptioni & voluntatis properantiæ, vel cupiditatibus veritati contrariantibus. In priori se prodit *philautia*, & inde oritur præjudicium authoritatis. Quod exemplis illustratur. §. VII. Oritur etiam inde desidia in inveniendis nominibus rebus convenientibus. Inde multi errores orti sunt. §. VIII. In posteriori iterum se prodit philautia. Ex ea gignuntur tres affectus pro triplici bono. א *Voluptas*; Ex hac ortæ sunt fœdissimæ hæreses, quod probatur exemplis. §. IX. ב *Ambitio*. Ex ea multos provenire posse errores, ostenditur ex hominis nativa labe, & ortos esse, exemplis. §. X. ג *Avaritia*, si non gignit, saltem propugnat hæreses. 1.Tim.6: 3. 5. 10. Quod exemplo Papicolarum probatur. §. XI. Ad probandam sententiam de triplici errorum fonte citatur Ignatius Antioch. idem sentiens. §. XII. 1. Ex dictis probatur, notionem hæreseos potius ad voluntatem quam ad intellectum referendam esse. 2. Dantur remedia adversus errores, cum prophylactica, tum therapeutica.

§. I.

§. I.


I judice ARISTOTELE Lib. I. Analyt. Post. cap. 2. *Id demum sciri creditur, cujus causa tenetur.* Et juxta VIRG. Georg. 2. ille demum sit *Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.* Haud abs re fuerit, Elencticen tractanti, ERRORUM, circa quos refellendos omnis versatur labor, detegere FONTES, & in primas inquirere causas, uniuscujusque πρῶτον, quod vocant, ψεῦδος. Ut autem zizaniorum larga semper seges est, & Error errorem gignit, fœtæ matricis adinstar, sic non cujusvis erroris πρῶτον ψεῦδος, sed aliud alio propius remotiusve, alterumque alterius mater. Propositum itaque nobis est: 1. Omnium in genere Errorum atque hæresium investigare *fontes* atque *causas*. 2. Dein cujuslibet Sectæ vel hæreseos, earum imprimis, quæ hodienum Ecclesiam Dei deturpant, in aprico ponere omnium πρωτιστον ψεῦδος peculiare, ut, quo reliqua ψεύδη tendant, cuivis patescat. Quod cum assecutus fuerit Controversiarum Tractator, næ facile is eludet Adversariorum strophas igneaque Satanæ tela elidet.

§. II.

Ne autem inutilem posituri operam videamur, ac si mendacia pro veritate, pro luce tenebras venditemus; in antecessum studii hujus *elenchtici* utilitatem pariter atque necessitatem paucis evincemus, carptim huc facientia indicaturi, quæ alii sparsim atque fuse hinc inde tradunt. Hic vero cautione opus est, ne veritate neglecta erroribus inspiciendis atque pingendis majorem temporis partem & omnem fere operam collocemus. Eorum similes, qui aversos à venusta castaque sponsa oculos in deforme scor-

tum defigunt, vel vespertilionum more atque talparum, ad lucem cæcutientes, tenebras pervolitant atque petreptant. Quis enim eo quo decet animo atque studio mendacium debellandum aggredietur, nisi cui veritatis, doni illius cœlestis, pretium atque venustas cognita est & perspecta? Qua in re multos præpostera methodo studia tractare sua, & vetus est querela, & temporum nostrorum experientia comprobat; multis namque in more positum culpando, strophis prius technisque Adversariorum indagandis & convellendis, quam veritati, cui illæ struuntur, perscrutandæ ac confirmandæ, tempus atque operam impendere: Unde non usque adeo felices Veritatis Defensores existunt. Quod in Lactantio HIERONYMUS observat, Epist. ad Paulinum XIII. scribens: *Utinam LACTANTIUS tam nostra confirmare potuisset, quam aliena destruxit.* Diva veritate in apricum prolata, mendaciorum idola, haud secus atque coram Arca Jehovæ Philistæorum Dagon, sponte cadunt; ad veritatis jubar dispelluntur tenebræ etiam spississimæ, talia enim opera redarguuntur à luce, Joh. 3:20. Hic in mentem venit, quod Cl. WAYENUM plus semel narrantem audivimus, de insignis eruditionis & eximiæ spei, nisi præmaturo fato abreptus fuisset, juvene, ipsius condiscipulo, qui summos in Theologia honores sub Cel. Viris Coccejo, Heidano, Hoornbeckio, tum temporis fulgentibus Academiæ Leidensis Luminibus, ambiens, in tentamine prævio ingenue fassus sit, *nescire se Pelagianorum, Socinianorum, Arminianorum, aliorumque falsa Dogmata atque S. Scripturæ στρεβλώσεις; non enim erroribus ediscendis, sed eruendæ veritati, se tempus & operam locasse, perque totum Studii sui Theologici cursum aliud præter S. Scripturæ Textum Originalem sese nec legisse neque meditatum esse.* Instantibus Viris Cel. futuro tamen Theologiæ Doctori necessariam prorsus esse Controversiarum atque Hæresium

resium notitiam, respondit: *Confidere se, se hydras adversus veritatem insurrecturas gladio Spiritus S. facile debellaturum esse.* Hoc dicto Viri Cel. tentamen & in tentamine partes præcipuorum Adversariorum suscipere, certatim Argumenta eorum urgere, tela in dictum juvenem ejaculari; Ipse vero tanta dexteritate omnia elidere, nexus nodosque ea responsionum soliditate solvere, ut Viri Cel. Examinatores stupuerint, non erubescentes fateri, multas easque solidissimas ex datis responsionibus, ipsorum cogitationi hactenus non subiisse.

§. III.

Hæc, quæ Cautelæ loco præmittimus, non ea mente commemoramus, ac si Studium Theologiæ Elenct. rite & moderate institutum rejiceremus. Ejus etenim necessitatem nobis imponit *tum* importunitas Adversariorum *Veritatem in injustitia detinentium*, Rom. 1: 18. S. Scripturæ depositum quovis auro pretiosius, quovis melle dulcius, adulterantium, 2. Cor. 4: 2. *Sacras Scripturas ad suam ipsorum perniciem* στρεβλώντων, *torquentium*, 2. Petr. 3: 16. *pretiosum à vili, paleas à frumento non secernentium*, Jerem. 15: 19. & 23: 28. *Tum* officium defendendi veritatem; Episcopus quippe debet esse ἀντεχόμενος τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, *ut potens sit etiam contradicentes redarguere*, Tit. 1: 9. *Tum* ipsa officii Pastoralis ratio; Pastoris quippe est, non tantum *pascere gregem*, sed & *oves aberrantes & seductorum fraude abactas atque perditas quærere, inque viam reducere*, Ezech. 34. Act. 20: 28. defendere adversus *lupos graves & rapaces*, ne hostibus gregi Dominico inhiantibus præda cedant, Act. 20: 29. & *Pastor aufugiens Mercenarii* atram incurrat notam, Joh. 10: 12. 13. Inter requisita Episcopi non ultima refert Apostolus, ut sit δυνατὸς τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν καὶ ἐπιστομίζειν, φιμοῦν, *capistro quasi ori injecto ad silentium*, ἐχεμυθίαν, *redigere*, Tit. 1: 9. 11. Securus tum demum agit grex Domi-

 nicus,

nicus, quando sub *virga atque pedo*, h. e. virtute *rectrice atque protectrice*, Ἀρχιποιμένος, ejusque Ministrorum, lætabundus cantare potest illud Ps. 23: 1-4.

§. IV.

Demonstrata Necessitate juxta cum Utilitate studii Elenctici, pergimus ad ejus Objectum primarium circa quod versatur; quod sunt *Errores* atque *Hæreses*, quos refellere docet, quorum *fontes* & *principia* hac vice generaliora, omnibusque communia, detegemus; posthac, Deo volente, eorum πρῶτα ψεύδη, & unius cujusque Sectæ peculiare & quasi πρώτων ψευδῶν τὸ πρωτιστον, indagaturi. Quod ut rite atque ordine fiat, ante omnia quid per *Errorem*, quid per *Hæresin* intelligamus, verbo indicabimus. ERROR nobis dicitur *pravum de rebus vel non clare perceptis, vel sensui carnis contrariis judicium*. Verbo, *quicquid à veri tramite deflectit*, erroris nomine venit. HÆRESIS ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι τὶ ἴδιον καὶ τούτῳ ἐξακολουθεῖν, ab *eligendo* dicta, vox usus medii est, & notante Doct. BUDÆO, non tantum *Sectam & dogma*, sed etiam γνώμην *animum & propositum* notat; significat enim *sententiæ*, sive vera sit sive falsa, *electionem*. Confer Act. 5: 17. 24: 14. 28: 22. SECTAM vocamus, quia *sequimur sententiam*, ejusque Professores. Hic, ut plerumque, usu ecclesiastico vox *Hæreseos* in vitio ponitur, significans *sententiæ falsæ, fidem subvertentis, electionem, ejusque pertinacem defensionem*. Ubi notandum, Errori, notioni quippe generaliori, *hæresin* superaddere, 1. ut sit error gravis, ipsum fidei fundamentum directe aut indirecte evertens, qui ἀπώλειαν, *perniciem certam secum vehit*, 2. Petr. 2: 1. 2. & *Anathema*, Gal. 1: 8. 9. quia περὶ τὴν πίστιν καὶ ἀλήθειαν ἀστοχοῦσι, *circa fidem & veritatem aberrant à scopo*. 1. Tim. 1: 5. 6. & 6: 21. & 2. Tim. 2: 18. Usu Ecclesiastico hæresis est ἡ παρὰ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν δόξα. Non quilibet Error, etiam levis, hæresin

resin constituit, quamvis quælibet hæresis simul error sit, nec nisi errore aliquo hæresis esse possit: ut ipse AUGUSTINUS monet in Præf. in Lib. de Hæres. ad Quodvultdeum. Facile itaque damus Cel. HEIDANO, in de *Origine Erroris* Tract. pag. 147. *ex materia errori & hæresi substrata ejus essentiam esse indagandam.* At quod dicit: *Hæresin semper in defectu tantum peccare, tollendo articulum fidei; errore vero peccari, vel per mutationem, aliter explicando articulos fidei, vel per excessum illis adjungendo, quod de fide non est.* Hic Viro Doct. calculum addere non possumus; qui enim alienum sensum articulo affingit, eopse destruit illum. Sic Sociniani diserte non negant articulos fidei plurimos, quos tamen falsis suis interpretamentis destruunt; & fieri potest, ut superaddita ipsum fundamentum evertant ac negent. E. g. Traditionum necessitas negat sufficientiam principii cognoscendi, eoque ipso fundamentum, cui *fides qua*, ut dicitur, innititur. Satisfactiones humanæ, purgatorium, Mediatores intercessionis, & alia hujus generis commenta, tollunt articulum de plenaria Jesu C. satisfactione. Sacrificium Missæ quotidie repetendum, tollit sacrificii Christi expiatorii sufficientiam ejusque mortis efficaciam. Recte dein pag. seq. monet Vir Cl. quando dicit: *Hæreseos tales arguere non ausim, nisi in additis* (addo ego, *& in mutatis, vel male expositis,*) *virtute adsit detractio, & veræ fidei seu partis alicujus negatio.* Id quod ut plurimum obtinere, attendenti ὀφθαλμοφανῶς adparet. 2. Errori hæresis & illud superaddit, ut quis talem errorem post unam & alteram admonitionem pertinaciter defendat, ἔλεγχον non admittat, rationesque meliora monentium, etiam luculentissimas non audiat; qualem Apostolus vitandum vult Tit. 3:10. Rom. 16: 17.

§. V.

Ex dictis sequentia duo deducimus Consectaria. *α*. Hæretici notam ei non esse inurendam, qui ex imbecillitate, ἐκ προλήψεως, & abreptus præconceptis opinionibus, quantumvis graviter, errat, quamdiu Elencho & καταρτισμῷ locus conceditur. Gal. 6: 1. Talis paratus meliora edoceri, pro *fratre* potius *infirmo* agnoscendus, atque *suscipiendus est*, *ejus infirmitates ferendæ nobis*, *ipseque spiritu lenitatis erigendus ac reducendus in viam*. Rom. 14: 1. & 15: 1. 7. Gal. 6: 1. 2. *β*. Patet, discrimen intercedere inter *Hæresin* & *Infidelitatem*. *Infidelitas* S. Scripturam principium cognoscendi non agnoscit, & vel totam, ut Paganismus & Muhammedismus; vel alteram ejus partem, Novum scil. Test., ut Judaismus respuit. *Hæresis* vero totam Scripturam, quoad literam, admittit pro norma fidei ac morum; sed vel non solam, vel in alienum sensum detortam, ut ita παρὰ τὴν διδαχὴν, ἣν ἐμάθον, *præter doctrinam*, *quam ex ore* Θεοπνεύστων *didicerunt* Orthodoxi, exitiales foveat errores, & sub nomine Christi ejus doctrinam neget. Sic AMBROSIUS Comment. in Luc. Lib. VI. Cap. 9. de hæreticis loquens, dicit: *Nemo enim Christi nomen negat*, *sed negat Christum*, *qui non omnia*, *quæ Christi sunt*, *confitetur*. Idem *de Fide*, Lib. I. cap. 4. *Hæresis velut quædam monstruosi scylla portenti in varias formas distincta perfidiæ, v. l. t superne vacuum Christianæ Sectæ nomen obtendit.*

§. VI.

Hisce prælibatis, pergimus ad errorum graviorum, quos atro hæreseos nomine insignimus, *fontes* ac Originem detegendos. Quos unico obtutu, quin & unico verbo, conspiciendos oculis objiciemus, si dicamus: pravam *philautiam*, uti omnis mali turpis, sic & errorum atque hæresium quarumcunque, fontem esse

esse atque causam unicam. Cum vero fons hicce venenatus in *tres* capitales sese effundat rivos, ex æquo lutulentos atque lethales, *Voluptatem* puta, *Ambitionem* atque *Avaritiam*, ex quibus quicquid pravæ est propensionis promanat, ex altero istorum rivorum si omnes, quotquot unquam Ecclesiam Dei infestarunt, errores ac hæreses derivabimus, haud à vero nos abludere putamus; quod demonstratum ibimus per inductionem, & per singulas philautiæ classes eundo. Si probe ad nos ipsos attendimus, facile deprehendemus, quod omne de rebus divinis & salutem hominis spectantibus judicium erroneum, ortum suum debeat, *vel* falsæ nec satis claræ de rebus perceptioni, adeoque Voluntatis intellectu latius patentis nimiæ properantiæ & acediæ; *vel* Affectibus & cupiditatibus veritatem non ferentibus, quibus error adblandiri videtur, quod enim quis verum esse cupit, id prorsus sic se habere, sibi aliisque persuadere conatur: Utrobique autem sese prodit philautiæ vitium. Si *prius* locum habet, mens ideo de non perceptis judicat, quia amat desidiam atque voluptatem, φιλήδονος ἐςὶ μᾶλλον ἢ φιλαληθής, 2. Tim. 3.: 4. Mollior sibi & magis compendiaria ad veritatis cognitionem videtur via, si verum credat, quod alius, politioris præcipue ingenii Vir, vel etiam Præceptor, in cujus verba alias cæco ductu jurare suevimus, verum dictavit; quam si labore multo atque sudore ingeniique intensione ipse in veritatem inquirere cogatur. Pro sententiæ, quam sequitur, ratione sufficit ipsi cum Pythagoræ Discipulis dicere posse: αὐτὸς ἔφα. A majoribus recepta vix ac ne vix quidem dimittit; quibus haud parva vis accedit, si magnæ eruditionis vel probitatis fama celebrem aliquem præeuntem habeat Doctorem. Paucissimi sunt, qui revera dicant: *Amicus Plato*, *Amicus Aristoteles*, *Amicus Coccejus*, *Amicus Voëtius*, *sed magis amica veritas*. Exemplo nobis esse

possunt, præter omnium qui unquam fuerunt Hæresiarcharum sequaces, ipsi Judæi, πατροπαραδότοις adeo affixi, ut authoritate Mosis, vel perperam intellecta, vel fraudulenter inde à Sinai citata, & præjudicatis opinionibus occupata gens in ipsissima salutis die cæcutiat, *oculis videns non videat*, Esaj. 6: 9. Corpore quod Christi est rejecto, umbras captet, & egenis mundi elementis sese pascat, 2. Cor. 3: 14, 15. Col. 2: 17. Gal. 4: 2. Idem evenit Muhammedis admiratoribus, qui Pseudo-prophetæ sui æstimio præventi, absurdissima quæque pro divinis admittere revelationibus satius ducunt, quam omnia explorare & sub examen revocare. Quid dicemus de Pontificiis? qui infallibilitatis Papalis vel Ecclesiæ Romanæ authoritatis fascino præstricti, laudi sibi, proh pudor! ducunt, si cæca obedientia & fide implicita, quam per ignorantiam definire sustinent, sedis Pontificiæ dogmata & decreta sine ullo examine, nedum ad revelationis divinæ amussin exacta, quod illis nefas, recipiunt. Paria his faciunt, quotquot in alieno cerebro habitare malunt, quam molestis lucubrationibus & onerosa meditatione propria ingenii scrinia excutere, & quæ probæ sint monetæ dogmata ac scita, quæ secus, explorare; qui impense adeo depereunt, quæ æstumatus ipsis Magister docuit, ut aliter sentire non tantum, sed & loqui, religioni sibi ducant, & cum rebus ipsa etiam Magistri verba adoptent, quorum abusus dicam an defectus, multis etiam errandi occasionem dederunt. Qui enim laboris impatiens est, res non exacte uti decet pensitat, vocabulis potius, quibus ideam, quam de rebus nondum probe perceptis format, exprimere satagit, intentus est, quam rebus, post clarum demum conceptum suis designandis nominibus. Hinc sæpe usu venit, ut cum notiones & voces rerum naturæ depingendæ minus aptas adhibemus, ansam præbeant & nobis & aliis errandi. Quod ut

ut in rebus physicis fieri videmus, e. g. in describendo brutorum sensu, nobis non satis perspecto, tales usurpamus notiones, quæ aut meras machinas & automata, aut contrario errore, substantias cogitantes & more nostro ratiocinantes, ista constituunt. Ne jam dicam, de illis ignorantiæ asylis, occultis puta qualitatibus, sympathia & antipathia, formis substantialibus, fuga vacui, aliisque philosophiæ monstris, quæ graves etiam in ipsam Theologiam errores invexerunt.

§. VII.

Sic non minus in rebus divinis errandi occasio fuerunt nomina rebus minus convenientia. Quando, quæ humani ingenii luxuries est, homines finiti sui captus immemores, non contenti λόγοις διδακτοῖς πνεύματος ἁγίȣ, sed λόγȣς ἀνθρωπίνης σοφίας effinxere, quibus res divinas, mysteria etiam incomprehensibilia, delinearent. Sic nomina *Triados*, *Hypostaseos*, quibus Græci; & *Substantiæ*, *Personæ*, &c. quibus Latini usi sunt in declarando Mysterio SS. Trinitatis, non tantum mutuo fuerunt offendiculo, sed multis tres Deos realiter distinctos statuendi ansa extiterunt. Vocabula ὁμοιȣ́σιος ac ὁμοȣ́σιος, in certamine cum Arrianis adhibita, aliis tres Deos subordinatos, ut Aëtio, Apollinario; Aliis è contra unam ut Essentiam sic & Personam fingendi causa fuerunt, ut Photino, & quotquot Noëti, Praxeæ ac Sabellii, errorem recoxerunt. Nomen Θεοτόκος, *Deipara*, Mariæ Virgini negatum ab Anastasio Presbytero Const. & aliis, ab aliis ei vindicatum, causa fuit, *Illis* quidem cum Nestorio negandi unionem hypostaticam, duasque statuendi in Christo Personas; *His* vero cum Eutyche tollendi naturarum in Christo distinctionem, & negandi carnem Christi nostræ consubstantialem. Quid memorem vocabula *Satisfactionis*, *Indulgentiæ*, *Absolutionis*, in foro Ecclesiastico innocuo sensu adhibita, quæ

quæ ſeculis ignorantiæ translata ad forum divinum, peſſimorum errorum anſa fuere. Sic incautæ Patrum & tropicæ locutiones, in materia de S. Cœna uſurpatæ, quales illæ *Sacrificii*, *Oblationis*, *Altaris*, *Epuli Euchariſtici*, &c. non advertentibus, & explorationis moleſtiam ſuſcipere reſpuentibus, occaſionem dedere fingendi ſacrificium proprie dictum & incruentum Miſſæ.

§. VIII.

Si *poſterius* locum habet, ut erroneum de rebus judicium oriatur ex *pravis affectibus* veritati contrariantibus, aperte iterum ſe prodit philautia, ex qua, ceu totidem filiæ, tres progignuntur propenſiones & affectus capitales, pro triplici bono, in quod propendet ſui amans, *jucundo*, *decoro* atque *utili*. Vel enim *Voluptas* progignit errorem, vel *Ambitio*, vel *Avaritia*, nimiusve ſeculi ejusque commodorum & favorum ambitus. ℵ *Voluptatis* ſectationem plurimis iisque fœdiſſimis hæreſibus ortum dediſſe, ex parte jam demonſtravimus. Idem comprobarunt, quotquot ex Simonis Magi ſchola ſua hauſere dogmata ſpurca, ſtatuentes vagas libidines & promiſcuos concubitus licitos, ut tota *Gnoſticorum* colluvies, *Baſilidiani*, ut taceam quæ veteres, cum Irenæo, Euſebio, Epiphanio, de *Nicolaitarum* impura ſecta tradidere, *Carpocratiani*, *Epiphaniani*, *Adamitæ*, *Cainiani*, *Valentiniani*, & alii; qui obtentu veræ *libertatis Chriſtianæ* docuerunt ſolutas eſſe leges, quibus carnalium libidinum reſtringitur exercitium, & obſequium Magiſtratui civili debitum injungitur; & ſic ſuæ aliorumque voluptati litarunt. Quos Divus Petrus penicillo Spiritus Sancti depingens notat per *τὺς ὀπίσω σαρκός ἐν ἐπιθυμίαις μιασμῦ πορευομένυς*, - - *poſt carnem in impuris concupiſcentiis ambulantes, & dominatum ſpernentes*, 2. Petr.2: 10. *voluptatem ducentes luxum quotidianum*, ibid. v. 13. Judæ v. 4. 8. 12. Quid inimico infernali locum & copiam

copiam fecit ſerendi zizania, & hæreſes diſſeminandi in agro dominico, ſive Eccleſia, *decem dierum afflictione*, omnibusque gentilium perſecutionibus defuncta, Apoc. 2: 10. quam alma illa pax, profunda quies, omniumque rerum abundantia? Voluptatibus dediti atque deliciis, σπαταλῶντες καὶ ἐντρυφῶντες, Jac. 5: 5. 2. Petr. 2: 13. *quibus venter Deus, terrena ſapientes.* Phil. 3: 19. hiſce carnis blanditiis ſopiti *dormitare occeperunt, & ager Domini noxiis conſitus fuit errorum zizaniis*, Matth. 13: 25. Quid ignem Purgatorii dudum incenſum, pluresque errores Papales, fovet, quam quod *in Agapis & ex Agapis hiſce populi Chriſti convivantes ſeductores ſine metu ſeſe paſcendi copiam habent.* Judæ v. 12. Quid Muhammedi, ſceleratiſſimo impoſtori, tot millia ſectatorum intra breve temporis ſpatium conciliavit? Certe dogmata carni grata & ad palatum voluptuoſorum cuſa, quæ ipſorum obſervatoribus non tantum in hac ſed & futura vita delicias & voluptatum omne genus addicunt.

§. IX.

ב. *Ambitionem* ſi quis præcipuam omnium Errorum atque Hæreſium cauſam poſuerit, næ ille noſtro judicio non erraverit. Homo quippe, qualis jam eſt labe nativa infectus, faſtu turgidus, aliis præſtare laudisque palmam præripere geſtit & dicier: Hic eſt. Cum vero ſæpe per anguſtos ingenii ſui limites curtamque doctrinæ ſuppellectilem ad ſummum Doctoris gradum & pallium attingere non valeat, expeditum ad celebritatis famam acquirendam & ſubſellia Doctorum conſcendenda iter opinatur, ſi novæ hactenusque inauditæ, quantumvis ineptæ, ſententiæ Author atque Inventor exſurgat; ut vel hac via, ſi alia non datur, inter homines inclareſcat, mavult *Templum Dei fumo replere* hæreſium pernicioſarum *ex puteo Abyſſi aſcendentium*, Apoc. 9: 2. vel cum Heroſtrato ignem inferre & incendium facere, quam penitus

tus latere & nullius ore celebrari. Hinc fastidit *vetera*, quia nimis vulgata, quare vel ipsum ὀρθοδοξίας nomen horridum ipsi est; Confessionum quin etiam, Symbolorum, Formularum, subscriptiones refugit, ne sibi præscribi dum patitur, aliis doctrina & prudentia inferior videatur. Ex hoc fonte dimanavit Simonis Magi, dicentis seipsum μέγαν τινα, Act. 8: 9. ejusque propaginum Gnosticorum ψευδονυμῳ γνώσει tumidorum hæresis, Arrii item qui Alexandro, Donati qui Cæciliano Episcopatum, ille Alexandrinum, hic Carthaginensem invidebant. Rejicit ambitiosus *nova*, quorum ipse non est inventor; de quo luculentum legere est testimonium apud THEODORIT. Hist. Ecc. lib. I. c. 4. in Epist. Alexandri Ep. Alexandrini ad Alexandrum CP. tanum, hæc scribentem de Arrio toto Orbe famosissimo Hæresiarcha ejusque sequacibus: *Qui nec ullos ex antiquis sibi comparari volunt; nec eos, quibus nos ab ineunte ætate magistris usi sumus, exæquari sibi patiuntur; Sed nec ullum ex omnibus, qui hodie sunt Collegæ nostri, ad mediocrem scientiam pervenisse censent. Solos sapientes καὶ δογμάτων εὑρετάς, & dogmatum inventores, sese dicentes, sibique solis ea revelata esse, quæ nemini unquam eorum qui sub cœlo sunt in mentem venerant.* Ut merito ad hæc exclamet: *O nefariam superbiam!* &c. Superbia qui transvorsum agitur, à semel adoptata sententia nullis rationum ponderibus, nullo ariete, dimoveri se patitur; metuens, ne si palinodiam canat, atram nomini suo ignominiam inurat, ipseque omni existimatione privatus, ceu *stella ex cœlo Ecclesiæ cadens*, omni splendore & gloria exuatur. Apoc. 8: 10. Id probatum eunt omnia omnium temporum de rebus Religionem attinentibus habita Colloquia, Collationes ac Disputationes, in quibus sæpe per infaustam τῆς ἀνθολκῆς ἀμετρίαν in contrarium non minus perniciosum prolapsi sunt errorem hæresium oppugnatores. Docent id exempla Dionysii Alexand. contra Sabellium,

lium, & Eutychis contra Nestorium, acriter decertantium, qui ambo nimio disputationis ardore abrepti in oppositum erroris scopulum impegerunt, in scyllam incidentes, dum volebant vitare charybdin. *Ille* enim non tantum Personarum distinctionem, quam Sabellius negarat, sed & Essentiæ differentiam gloriæque inæqualitatem in SS. Trinitate; *Hic* vero contra Nestorium duas in Christo Personas statuentem disputans, contrario errore unicam in Christo naturam adstruxit. Ex recentioribus Arminius, studio contradicendi Collegæ suo Gomaro transversum actus, perniciosæ gratiæque divinæ inimicæ hæresi ortum & nomen dedit. Irrita idem arguunt consilia henotica, & Ecclesiarum Protestantium toties frustra tentata unio. Memorabo-ne, an potius deplorabo? intestinum Coccejanorum & Voëtianorum bellum, cui vixdum finiendo sola nomina fomentum subdunt. Et quid valeat famæ aucupium nominisque per ora hominum celebratio etiam apud illiteratos, Helvidius, qui Hieronymo homo Rusticanus, vixque primis literis imbutus audit, suo nos docere potest exemplo; quippe qui ex novo dogmate nomen sibi comparare satagens contendit, B. Mariam post nativitatem Domini Josepho matrimonio junctam ex ipso filios suscepisse, fratres Domini in historia Evangelica appellatos.

§. X.

3. *Avaritiam* denique, seu immoderatam opum atque commodorum seculi cupidinem, si non in excudendis, certe in defendendis hæresibus, suam exerere vim nemo inficias ibit, nisi qui negabit quod Apostolus querens asserit: dari qui ἑτεροδιδασκαλοῦντες, *& non accedentes ad sanantes sermones D. N. J. C. putent pietatem esse quæstum, & avaritiam appetentes à fide aberrant.* 1. Tim. 6: 3. 5. 10. quique oculos volens claudit ad ea, quæ fiunt in Papatu, ubi cultus Idololatricus, totus

ad

ad nundinationem & quæstum comparatus, ideo nomine Tyri, Emporii, & Meretricis venit. Qui nisi lucrosus admodum esset, dudum mercatores magnæ Babylonis istum cum Purgatorio extinctum prorsus atque sublatum deplorarent atque plangerent, Apoc. 18: 11 - 19. Audi Poëtam Mantuanum :

- - - - *venalia Romæ*
Templa, Sacerdotes, Altaria, Sacra, Coronæ,
Ignis, thura, preces, cœlum est venale Deusque.

Itaque veterum dicto sua semper constat veritas : *Religio peperit divitias, at filia devoravit matrem;* opibus enim & omnium rerum abundantia Ecclesiam inundantibus simul venenum in Ecclesiam effusum est. Quid Judæorum Proceres, Sadducæos præprimis atque Herodianos, aulæ sectatores adeo fascinavit, ut Christum sub schemate pauperis vilisque servi inter ipsos comparentem auscultare renuerent, lapidem hunc angularem, utut fulgore miraculorum, sapientiæ, doctrinæ cœlestis ac pietatis coruscum, rejectarent? Quid, nisi amor glebæ, commoda seculi, opimæ in terra Canaan possessiones? vid. Hos. 2: 5. Matth. 19 : 22. & 22 : 5. Multi sub Imperatoribus Arrianis, spe lucri & favoris capti, hæresin hanc & mordicus retinuere, & ad majorem orbis partem propagare. Φιλάργυρος μᾶλλον ἢ φιλόθεος hanc philautiæ propensionem quacunque data occasione & illucente dulci lucello prodit, suoque exemplo probat, quam non mortalia pectora cogat auri sacra fames! quæ quemcunque quis fortunæ suæ fabrum reique auctorem veneratur, ejusdem sententiæ non minus avide ac actioni usurariæ subscribere & in omnibus assurgere facit, apud quos valet illud Parasitatoris Terentiani: *Negat quis, nego: ait, ajo.* Num acutissimi POIRETI oculos præstrinxerit vel nimium placendi studium, vel hæreditatis appetentia, ut cum Virgine Bourignonia deliraret, aliis judicandum relinquimus. Hoc certum

tum nobis est, omnem ἐθελοθρησκίαν opinioni Deum sibi demerendi, indeque benedictiones & commoda, si non æterna, certe temporalia repetendi, ortum debere. Id quod Doct. Archiepiscopo Cameracensi FENELONIO aliisque scriptoribus mysticis errandi occasionem dedisse videtur, qui illum Dei amorem, quo Deus propter felicitatem in æterna Ejus fruitione possidendam amatur, quique *concupiscentiæ amor* dici suevit, *impurum, mercenarium, commodis suis servientem*, (*interesse*) eoque illicitum judicant; in quo præeuntem sibi habent Sadducæorum Patriarcham Antigonum Sochæum.

§. XI.

Hæc quæ de scaturigine, atque triplici errorum hæresiumve fonte, hucusque disseruimus, confirmare lubet dictis IGNATII Antiocheni, citatis Cl. SUICERO in Thesauro Eccles. T.I. in voce Αἱρετικὸς, pag. 127. 128. ex quibus cum indole hæreticorum, ipsarum quoque hæresium origo, vivis exhibetur coloribus. In Epist. ad Ephesios ita depingit errantem hæreticum: τὸ πλάνον πνεῦμα ἑαυτὸ κηρύττει, τὰ ἴδια λαλεῖ· αὐτάρεσκον γάρ ἐστιν, ἑαυτὸ δοξάζει, τύφου γάρ ἐστι μεστὸν, κλ. *Fallax spiritus seipsum prædicat, sua loquitur, sibi namque placet, seipsum glorificat, plenus enim fastu est, &c.* En Ambitionem! In Epist. ad Magnesianos dicit: *Hæreticos*, τὰ ἐπίγεια φρονεῖν, φιληδόνους οὐ φιλοθέους εἶναι, - - - *terrena sapere, voluptatum, non Dei amatores esse.* - - En voluptatem! pergit eos vocans: Χριστεμπόρους καὶ τὸν Ἰησοῦν πωλοῦντας, τῶν γυναικῶν φθορεῖς, καὶ τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμητὰς, χρηματολαίλαπας, *Christi institores, Jesu vendulos, mulierum corruptores, alienique appetentes, pecuniarum violentissimos raptores.* En Avaritiam! Ex quibus Ignatii verbis liquet, Veteres idem nobiscum sensisse de fonte & origine Errorum, indolem atque naturam Hæreticorum tam graphice depingentes.

§. XII.

Antequam manum de tabula tollamus, consectarii loco addimus, ex hactenus dictis satis liquere: 1. Hæresis notionem ad *Voluntatem* ejusque vitia potius quam ad *Intellectum* referendam esse, secus atque Viris cæteroquin Doctissimis placet. Præterquam enim, quod stricte loquendo in simplici perceptione seu prima mentis operatione Error locum non habet, non ilico is hæreticus dicendus est, qui ex intellectus quadam imbecillitate errat, paratus interim meliora edoceri, sed is demum, qui erroris suscepti defensionem eamque pertinacem in se recipit, novaque dogmata mundo obtrudit, impulsus vel *voluptate*, vel *ambitione* & *livore*, vel *avaritia* & favoris captatione. Quare Apostolus Gal. 5: 20. non dubitat *hæresin*, juxta cum aliis vitiis voluntatem corrumpentibus, *operibus carnis* accensere.

2. *Remedia* adversus errores ac hæreses exitiales, cum *prophylactica*, tum *therapeutica*, præservantia & depulsoria, esse Voluntatis *à prava philautia*, indeque pullulantibus tribus illis propensionibus capitalibus, *repurgationem; Timorem* præcipue *Domini, qui initium est sapientiæ*, Pf. 111: 10. & cum *omnis donatio bona & omne donum perfectum desuper descendat à Patre luminum*, Jac. 1: 17. juges ad Deum preces, velit *nobis dare Spiritum sapientiæ & revelationis in cognitione ipsius, illuminatos oculos mentis*, Eph. 1: 17. 18. velit *à nobis amovere viam falsitatis, & nos docere viam statutorum suorum; inclinare corda nostra ad testimonia ipsius & non ad lucrum*, Pf. 119: 29. 33. 36. *faciat nos incedere in veritate sua*, duce *spiritu veritatis, qui nos ducat in omnem veritatem*, Pf. 25: 5. Joh. 16: 13. Eo nos movere debet, *tùm* ea qua sumus ad errandum proclivitas, atque periculum perpetuum, *aberrationes enim quis intelligat?* Psal. 19: 13. Cum enim ea sit mentis natura, ut continuo cogitet, laborem autem refugiat inquirendi in rei veritatem, & ita sæpissime judicet

judicet de nondum perceptis; ſemel judicata retractare renuat, retenta gloriæ, ambitionis, laudiſque vanæ atque favoris hominum idem ſentientium typho; Non mirum tot cupiditatibus tranſvorſum actam mentem à via magis magisque deflectere. *Tum* irreparabile damnum & noxa vegrandis, quam exitiales afferunt hæreſes; *Cæcum qui ſequitur viæ ducem, cum ipſo in foveam perditionis incidet*, Matth. 15 : 14. Cum una tantum ſit via vitæ, ad metam felicitatis ducens, eaque arcta, inter tot diverticulorum & aviorum ſcopulos, Matth. 7: 14. ab ea ſi deflectimus, longius usque & uſque inde recedemus, idque cum diſpendio ſalutis, nonniſi gratia illuminante noſque ex errore in viam veritatis reducente, compenſando. Quis hæc conſiderans & attenta mente volvens, non ingeminet illud Pſ. 139: v. ult. *Vide an via doloris ſit in me; & duc me in viam perpetuam!*

* * * * *

* * * * * *

* * * * * *

* * * *

* * * *

*

* *

II.

CAROLI FRIDERICI NECKER,
Juris Publ. Professoris,

RESPONSIO
Ad
Quæstionem Juris Candidati:
Quis sit verus sensus Axiomatis:
SALUS POPULI SUPREMA LEX?
Numve liceat ejus causa aliquid agere, quod legibus naturalibus aut civilibus repugnat?
Recitata solemni die in Academia Genevensi, d. 19. Maji. A. 1738.

Ornatissime Juris Candidate,

AUreum & à populorum rectoribus semper recordandum est effatum: *Salus populi suprema lex.* Nec difficilis ejus intellectus, si ad finem Civitatum respicias, qui alius esse non potuit quam securitas eorum & felicitas, qui relicto statu naturali ita se conjunxerunt ut Reges sibi eligerent, quibus ad eam tuendam & promovendam æqua in omnes competeret potestas. Quamvis enim nemo fere neget, prima imperia in vicinas familias à vi profecta esse, eoque spectavisse, ut injusti oppressores devictorum ope suam augerent utilitatem, tantum tamen abest, ut inde concludam, imperantium gratia erectas esse Civitates, ut potius ad earum classem

ſem minime referam ea Regna, in quibus ad uſum Regum omnia collineant, ſervorumque non Civium numero adſcribam qui ſub tali vivunt dominatione; quoniam in hoc ſua natura diſtincta eſt poteſtas regum à poteſtate dominorum, quod his conceſſum ſit, in mandatis ſuis ad propriam utilitatem omnia referre, cujus cauſa ſervos ſibi comparaverunt, illis contra incumbat, imperium à populo acceptum ad ſalutem ejus potiſſimum dirigere. Veras itaque Civitates tunc demum ortas exiſtimo, cum mutui periculi conſideratio quosdam impuliſſet, ut contra vicinum, opibus ferocem, & libertati ſuæ inſidiantem, eo quo dixi conſilio coirent; vel cum commoda ex conjunctione plurium promanantia, vitæ civilis deſiderium apud eos accendiſſent.

Neque opus erat, ut ſumma imperantium poteſtas certo pacto definiretur, quoniam is ipſe, cui ob ſingularem virtutem & juſtitiam imperium in cæteros erat delatum nullis legibus adſtrictum, tam ex ejus ſcopo quam ex natura ſocietatis contractæ facile poterat colligere, ſalutem populi pro ſuprema lege ſibi habendam eſſe. Ex quo patet, ſenſum laudati axiomatis in eo conſiſtere, quod regia poteſtas, quamvis liberrima, nunquam non ſalute populi metienda ſit, ab eaque certos accipiat limites; non ſecus ac educatio liberorum parentibus incumbens his præſcribit, qua ratione poteſtatem ſuam in eos exercere debeant. Exemplo res fiat clarior. Si jus tributa ſubditis imponendi cum omnimoda libertate in Principem fuerit translatum, jubebit ſalus populi, ſuprema & immutabilis illa lex regnorum, ne plus exigat quam publica poſtulat neceſſitas, neve pecuniam ad uſum Reipublicæ collectam inconſulte dilapidet.

Quemadmodum autem in eligendis bonis, quæ ſingulorum conſtituunt felicitatem, ſæpenumero mortales ſe decipiunt, ita eadem ſors eſt imperan-

tium, ut salutem publicam persequentes, pro Junone, ut ajunt, nubem interdum amplectantur. Multa enim sub specie boni se commendant & suscipiuntur, quæ dum ad præsentem Reipublicæ utilitatem tendere videntur, revera graviter eam lædunt, aut saltem mala longe majora post se trahunt, quam quæ animus erat evitare aut depellere. Debet autem bonum corporis moralis, non secus ac physici, ita esse comparatum, ut integro corpori conveniat, nec momentaneum modo, sed perenne sit. Ex quo sequitur, id quod beatam reddit Rempublicam cum justitia semper concordare; quoniam dictæ proprietates boni publici ex ipsa natura Societatum Civilium petitæ sunt, ex qua etiam id quod justum vel injustum est exactissime deducitur.

Fateor quidem, in regnis & Civitatibus ea incidere posse tempora, in quibus Principibus licet regiam, ut sic loquar, deserere viam, & obliquo tendere tramite ad id quod salus populi præcipit, quæ in hoc quoque rerum statu supremæ legis locum occupat. Sed quis dixerit, eum justitiæ nuntium mittere, qui id quod Reipublicæ expedit, ea ratione persequitur, quam vera ejus utilitas, justi prope mater & æqui, dictat? Exemplum nobis præbet conjuratio Catilinaria, in qua ob gravissimum Reipublicæ periculum, cujus avertendi curam Senatus Romanus Consulibus delegaverat, unum quidem atque alterum aliter peractum est ac per leges civiles id licebat, sed nihil omnino, quod ad servandam Civitatem non esset necessarium, eamque ob causam justitiæ congruum. Continent enim leges humanæ multa ab arbitrio Legislatorum pendentia, à quibus illis, qui legitima gaudent potestate, non negatum est recedere, quoties salus Civitatis alia ratione obtineri nequit. Quidquid contra eum naturali pugnat justitia, nunquam admittendum est, quamvis eadem ratio id suadere videatur, quia

quia nec humana voluntate mutari, nec utilitati Civium vere adversari possunt, quæ Naturæ Auctor ipse constituit. Quis ergo affirmare ausit, licere Reipublicæ causa pejerare, aut innocentem damnare? Quis non improbat Athenienses, qui testarum suffragiis viros de Republica bene meritos exilio multabant, solo moti timore, ne autoritatem, quam præclaris factis apud Cives erant consecuti, ad opprimendam Patriæ libertatem aliquando impenderent?

Scio quidem, in multorum esse ore illud TACITI: *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.* Verum aut detestanda erit hæc sententia, aut ita accipienda, ut *iniquum* hic appelles non id quod justitiæ adversatur, sed id tantum, quod paululum abit ab eo, quod circa eam exercendam pro arbitrio fuit constitutum.

Vides tamen ex dictis,. O. J. C. quam caute legendi sint Scriptores Græci & Romani, cum patriæ causa aliquid celebrant, cujus cæco abrepti amore magnis interdum laudibus illud efferunt, quod cum justitia conciliari nequit. Quibus addo Auctores recentioris ævi, qui ex monumentis historicis omnium regnorum & gentium collegerunt, quibus artibus, plerumque iniquis, non tam salus populi quam injusta dominatio stabilitur & augetur. Quantum enim NAUDÆUS, qui *Machiavello* sanior videri vult, adhuc hallucinetur & à justo aberret, ex hoc solo tibi constabit, quod defensorem agit *laniena*, ut vocant, *Parisiensis;* & Imperatorem CAROLUM V. rem laude dignissimam Orbique Christiano utilissimam facturum fuisse asserit, si consilium amicorum secutus, spreta fide quam *Luthero* dederat, eum interficiendum curavisset, cum Vormatiæ in ejus esset potestate.

Operæ pretium mihi videtur, ex vita hujus Principis quædam referre hoc loco non inidonea. Tradunt, cum auctoribus scelesti hujus consilii regessisse, se

nolle erubescere, eoque responso vellicasse Imperatorem Sigismundum, qui rubore suffundebatur in consessu Concilii Constantiensis, cum eo præsente Johannes Huss ad litteras provocaret, quas de salvo itinere à Cæsare acceperat. Crederes, Carolum exemplo Sigismundi edoctum sensisse, quam indecorum sit Imperatoriæ Majestati, promissa violare, atque ex calamitatibus belli Hussitici didicisse, quantum à vera utilitate discrepet, quod præsentis commodi gratia inique suscipitur. At nemo ignorat, hunc ipsum Principem, qui turpe duxerat, fidem Luthero datam fallere, brevi post *Philippum* Hassiæ Landgravium verbis suis confisum, perfido modo captivum retinuisse, postquam se suaque in fidem & deditionem ei tradiderat. Referunt nonnulli, additam esse perfidiæ fraudem cavillatione unius vocis, quam in scripto de securitate Philippi cum Imperatore confecto ita dictam fuisse dicunt, ut ambiguum videretur, utrum de quovis genere captivitatis, an de perpetuo tantum carcere illi cautum esset. Verum enim vero, si mihi licet meam de hac re aperire sententiam, vix persuadere mihi possum, Imperatorem tam magni animi turpissima calumnia fidem suam apud omnes Germaniæ Principes prostituere voluisse. Conjicio potius ex narratione SLEIDANI, Carolum metu inductum esse ad Landgravium in custodia retinendum, ejusque metus causam fuisse, non solum quod hic extrema demum necessitate coactus ad officium redierat, in eoque non diu permansurus credebatur, sed etiam quod Imperator supplicem Principem, cujus animus clementia & comitate demulcendus erat, tanta exceperat superbia, ut ex vultu ac verbis ejus appareret, eum proximam arrepturum occasionem ad ulciscendam contumeliam, quam putabat sibi illatam.

Quomodocunque tandem res se habeat, hoc certum est, utroque exemplo experientiam docuisse, quam

per-

perniciosa sint consilia, quæ à recto declinant. Sigismundus enim Hussitarum furores in se concitavit, magnisque cladibus violatæ fidei pœnas dedit; Carolus adeo invisam reddidit potentiam suam, ut ad eam evertendam omnes concurrerent.

Non inutile foret, O. J. C. tibi in mentem adhuc revocare, quibus artibus Pipinus Franciæ solium ascenderit, quantumque non modo posteris suis sed omnibus Christiani Orbis Regibus nocuerit stabilita tunc, eo juvante, & populo inculcata opinio: Episcopum Romanum vel ab ipso Christo vel à Principe Apostolorum accepisse potestatem, Reges exauctorandi, & subditos à juramento liberandi, quo fidem & obedientiam suam ipsis obligare solent. Sed tempore exclusus, hoc tantum monebo, quod in Civitatibus Democraticis populus virtuti deditus cavere debeat eos, qui consilia ipsi suppeditant à justitia aliena. Quam facile enim sit, mentes quoque bene affectas sub specie boni publici in transversum agere, vel sola nos docet Atheniensium Respublica, in qua iidem Cives, qui magno animo rejecerant consilium Themistoclis, quod Aristides utile quidem sed non honestum pronuntiaverat, hunc ipsum justitiæ Antistitem non aliam ob causam in exilium miserunt, quam quod hujus virtutis laudem ipsi inviderent.

Beatam itaque Civitatem, in qua Magistratus populi salutem justitiæ nunquam opponit! Beatum populum, qui leges calculo suo probatas tam sancte custodit, ut nulla spe utilitatis impulsus eas labefactet, eaque ratione firmissima libertatis suæ munimenta subruat!

DIXI.

III.

SAMUELIS KOENIGII,

Ling. Hebr. & Matheſeos in Acad.
Bern. Prof. Extr.

DISSERTATIO THEOLOGICO-CRITICA

DE

HÆRESIBUS
IN GENERE,

Deque

TRIHÆRESI
JUDÆORUM IN SPECIE.

Argumentum.

§. I. Omnis irregenitus eſt Hæreticus. §. II. Nec non Atheus & Sadducæus, Phariſæus & Pelagianus. §. III. Prima Hæreſeos ſemina Satanas ſeducens Protoplaſtos ſparſit. §. IV. Cainus fuit Phariſæus & Sadducæus. §. V. Eum ſecutus Lamechus. §. VI. Primum Hæreſeos antidotum Protevangelion. §. VII. Errorum propagatio poſt diluvium. §. VIII. Origo Idololatriæ antiquæ, & apud Pſeudo-Chriſtianos.

nos §. IX. Judæorum ad idolorum cultum propensio, §. X. & ad Pharisaismum. §. XI. Ante Captivitatem Bab. idololatria maxime apud eos invaluit. §. XII. Post illam Pharisaismus. §. XIII. *Pharisæorum* dogmata & errores, §. XIV. Qui fidem spectant. §. XV. Communes cum tota Judæorum gente. §. XVI. Pharisæi saniores Sadducæis. De universali mortuorum resurrectione Judæi sibi non constant. §. XVII. Pharisæorum mores perversi. §. XVIII. *Sadducæorum* ortus. §. XIX. Negarunt animarum immortalitatem. §. XX. Et Resurrectionem mortuorum, §. XXI. An Prophetarum scripta rejecerint? §. XXII. Alii Sadducæorum errores. §. XXIII. Mores improbi. §. XXIV. *Essenorum* secta. §. XXV. Nominis Etymon. §. XXVI. XXVII. Virtutes. §. XXVIII. An alii fuerint a primis Christianis? §. XXIX. *Gaulonitæ* & Zelotæ. §. XXX. Pharisæi & Sadducæi fuerunt omnium sequentium Hæreticorum proavi. *Corollar.* I. De Essenis. II. de Herodianis.

§. I.

QUemadmodum in Imagine Dei omnis veritas, sic in peccato, h. e. imagine diaboli omnis latet *hæresis*, h. e. perversa de Dei essentia, voluntate, viisque opinio. Sic enim abstracte nunc capimus hæreseos vocem, non concrete de secta qualicunque, quo sensu venit Act. 5 : 17. c. 24 : 5. Hoc sensu omnis homo naturalis, & ad imaginem Dei non refictus, *hæreticus* est, semina omnis erroris & mendacii in pectore fovens. Stultus

tus enim, h. e. peccator non ex Deo genitus, in corde suo dicit: אין אלהים *Non est Deus*, vel, *Deus est nihili*. Psal. 14: 1. *meive similis*. Psal. 50: 21. Quæ est pessima hæresis.

§. II.

Uti omnis peccator est *Atheus*, Eph. 2: 12. h. e. Deum non agnoscens, non timens, non amans, & *Sadducæus*, h. e. profanus, spem vitæ æternæ negligens, sic & est *Pharisæus* & *Pelagianus*, h. e. peccati vim & dominium parum attendens, multoque minus deflens, gratiæ necessitatem atque efficaciam extenuans, sibi ipsi placens, viribus suis confisus, bonum justum atque divitem se esse somnians, ceu paupertatis atque miseriæ suæ plane immemor. Hos. 12: 9. Luc. 18: 9. 11.

§. III.

Infelici hoc erroris & hæreseos lolio hostis ille capitalis Satanas agrum Domini, h. e. universum genus humanum, eheu! nimis copiose conseminavit, Matth. 13: 25. 38. 39. initio facto à protoplastis, quos, tam præceptum Dei, quam comminationem ei adjectam in dubium vocando, verbisque plausibilibus circumveniendo, in profundum mendaciorum & errorum gurgitem præcipitavit. Gen. 3. Atque inde *mendax*, *mendaciique pater*, & *homicida ab initio*, dicitur. Joh. 8: 44. ut & *serpens antiquus*, *seducens universum terrarum orbem*. Apoc. 12: 9.

§. IV.

Factum inde, ut primus muliere natus, Cainus scil. parricida fuerit atque mendax, hypocrita, Pharisæus, dono incruento, citra fidem & resipiscentiam oblato, Deo se placere posse temere somnians; quin & Sadducæus, veritatisque cœlestis abnegator protervus. Quare non inepte paraphrastes Chaldæus JONATHAN Cainum sic introducit loquentem: *Non est*,

est, inquit, *judicium*, *neque est judex*, *neque seculum aliud*, *neque danda est merces bona justis*, *neque ultio capietur de improbis*, *&c.* Gen. 4.

§. V.

Ex cujus posteris Lamechus fuit, itidem homicida, impunitatem sibi promittens, primusque polygamiæ inventor, fatalibus mox diluvii undis puniendæ atque eluendæ. Gen. 4. & 6.

§. VI.

Postquam vero antiquus ille serpens hæreseos virus atque lolium eructasset, placuit divinæ misericordiæ antidotum ei opponere, scil. verbum suum, oracula Dei vivi, sanantes sermones, Evangelium gratiæ, cujus summá est protevangelion illud Gen. 3: 15.* Cujus vera fide & praxi ex profundissimo errorum barathro emergere, superasque evadere ad auras datur.

§. VII.

Post diluvium Noachi posteri, neglecto Dei verbo, & posthabita ejus agnitione, uti in omne nefas, sic & per omne erroris declive præcipites ruerunt; præcipue in *Idololatriam*, longum errorum atque scelerum syrma secum trahentem.

§. VIII.

Cujus origo atque scaturigo est 1. defectus debitæ attentionis ad verbum lucemque Dei, Rom. 1:21. 23. 25. 2. Saucia conscientia, Dei sanctitatem non amans, adeoque ipsum carnalem esse, nostrique haud dissimilem, inepte sibi persuadens. Huc accedit *tertia*, quæ Sap. 14: 15 - 27. fuse exponitur, nimirum studium, principibus aliisque magni nominis Viris adulandi, splendida conficta imagine, à cujus qualicunque veneratione stulti mortales in ejus ἀποθέωσιν & religiosam prolapsi sunt adorationem. Quod ipsum & Pseudo-Christianis evenit. Post collocatas enim

enim in templis Sanctorum imagines, (reluctantibus licet θεοφίλοις & θεοσεβέσι) mox ad religiosum earundem cultum, superstitionis torrente abrepti sunt. Quod factum in Synodo Nicena secunda. Cui quidem Carolus Magnus in Synodo Francofurtensi obicem atque repagulum aliquod obdidit, confutata publice atque damnata imaginum veneratione; Ast Antichristi Romani fraudibus factum est, ut ea susque deque habita, idolomaniæ pestis, perfractis quasi repagulis, eruperit atque triumphaverit.

§. IX.

Equidem ex Semi posteris Abrahamum à falsorum Deorum cultu ad veri Dei agnitionem divinitus evocatum legimus, Gen. 12. Jos. 24. nobilissimis oraculis, dulcissimisque de Messia promissionibus, factis tam ipsi, quam filio ipsius Isaaco, ut & nepoti Jacobo. Sed ne sic quidem ex ipsorum posteris evelli potuit vesana idolomaniæ prurigo. Quin potius in Ægypto commorantes, cum abominandis Ægyptiorum idolis turpissime fornicati sunt. Ezech. 20. & 23.

§. X.

Uti veritas divina simplicissima est, sic e contrario erroris facies multiplex, unoque errore dato infiniti alii enascuntur. (ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος μύρια ἄλλα ἕπεται.) Conspicuum hoc factum est ex tristi Israelitarum exemplo, qui lata lege Mosaica ab idolis eorumque cultu aliquantulum aversi, illico in *Pharisaismum*, h. e. opinionem justitiæ ex operibus consequendæ, veluti ex Charybdi in Scyllam, inciderunt. Errore quidem novo & specioso, sed non minus perniciosо. Rom. 9: 31. 32.

§. XI.

Equidem gemino huic errori mascule se opposuerunt sacri Dei Vates, populum ad legem Mosaicam revo-

revocantes, gloriam Veri Dei ebuccinantes, fidemque in Messiam futurum, ceu unicam salutis anchoram diligenter inculcantes; Sed quæ est cordis humani corruptio, ne sic quidem res successit. Quin retenti tantisper sacris Prophetarum sermonibus, Davidisque pietate sufflaminati, mox veluti aggere rupto, in pejorem idolorum cultum, & cum eo indivulso nexu conjunctam sese effuderunt scelerum licentiam, præcipue exemplo Salomonis, ex mortalium sapientissimo in stultissimum degenerantis, lata eis data porta. Quam gangrænam impune grassantem, Pseudoprophetis ei nutrimentum dantibus, Babyloniorum ferro resecandam divina judicavit justitia.

§. XII.

Post captivitatem Babylonicam cessavit quidem idolomaniæ pestifera lues, Judæis dirissimis hisce Dei judiciis ab ea ablactatis, si solum articulum temporis Antiochi excipias. At eheu! tanto majores fecit auctus atque progressus hæresis *Pharisaismi.* Atque exinde Pharisæorum secta inter Judæos increbuit, & universum pene Reipublicæ Judaicæ corpus, saltem meliorem ejus partem, usque ad extremum ejus per Romanos excidium, pervagata est. Certe acriores hisce hostes non habuit Evangelium. Ex quibus & Saulus fuit, postea Paulus dictus. Act. 22: 3. 4. 5. c. 16: 9. 10. 11. Gal. 1: 14. Phil. 3: 5. 6.

§. XIII.

Quænam vero PHARISÆORUM fuerint *dogmata*, quos foverint *errores*, ex scriptis Novi Fœderis longe dilucidius quam ex JOSEPHO patescit. Hic vir enim religione Pharisæus, neque satis bene eorum errores agnovit, neque satis candide detexit. Vide FL. JOS. Ant. l. 13. c. 9. l. 18. c. 2. & de Bell. Jud. l. 2. c. 12.

§. XIV.

Eorum quidam fidem ſpectant, alii mores. Errores, qui *fidem* ſpectant, ad ſequentia Capita referri poſſunt. I. Credenda atque facienda omnia non eſſe in lege Moſis aut Prophetis ſcriptis conſignata, ſed dari præterea aliam legem, oralem ſcil. h. e. quæ oretenus inculcetur, * non minus divinam, religioſeque recipiendam; Unde παράδοσις, Hebr. מסרת appellatur. In tractatu Talmudico PIRKE ABHOTH fuſe ſatis declaratur, quis & à quo eam orali inſtitutione acceperint. Plane uti Concilium Tridentinum Traditiones Eccleſiæ *pari pietatis affectu* cum Sacra Scriptura recipiendas eſſe ſanxit. Hanc ipſam ſeniorum traditionem toties à Chriſto carptam legimus, ceu iniquam & cum contemtu Divinarum legum conjunctam, Matth. 15: 3-9. Marc. 7: 3-13. II. In poteſtate & libero hominis arbitrio eſſe, facere quod juſtum eſt & rectum, *juvante aliquo modo fato*, h. e. divina providentia vel gratia. JOS. l. cit. Viden' Pelagianiſmum, eoque paulo meliorem Semipelagianiſmum & Scholaſticiſmum, carptum à Cl. COCCEJO in *Fœdere*, §. 225-234. Contra diſerta legis atque Prophetarum verba, invincibilem cordis humani duritiem & ad bonum impotentiam ſexcenties accuſantia. Gen. 6: 3. 5. 8:21. Deut. 29: 9. 10. &c. III. זכות *Merita operum* ſtatuebant, quærentes juſtitiam ex operibus legis, quibus ſe plurima mereri poſſe fingebant. Error peſtifer, ſi ullus. Eo infectus fuit ſuperbus ille Phariſæus, Luc. 18. Et ipſe Paulus ante converſionem, Phil. 3: 6-9. & pene univerſi Judæi, Rom. 9: 31. 32. Audiamus MAJEMONIDEM lib. de *Pœnitentia*.

* Judæi eam vocant תורה שבעל פה, oppoſite ad תורה שבכתב. item : הלכה למשה מהר סיני *traditionem Moſis de monte Sinai*.

tentia. Sunt unicuique, inquit, *sua merita, suaque peccata. Cujus merita exsuperant peccata, justus est. Cujus vero peccata majora sunt meritis, impius est.* Autor libri AKEDAT ISAAC: *Meritum justi*, inquit, *tale esse potest, ut ad se trahat auxiliatricem Dei manum ad compescendam vim malæ constellationis ejusmodi, & ad avertendum ab ipsa mala ejus*, &c. Viden' fermentum Pontificium? IV. Atque ut justitiam ex operibus consequerentur, eam in externa solum præceptorum legalium observatione statuebant, non attendentes neque curantes spiritualem legis sensum. Enata inde præceptorum Dei enervatio atque emasculatio pessima, à Christo Domino severe reprehensa, qui & verum præceptorum Dei sensum à nocivis ipsorum glossematis vindicavit, repurgavit. Matth. c. 5. hac præmissa seria sententia: *Nisi abundaverit justitia vestra, plus quam illa Scribarum & Pharisæorum, haudquaquam introibitis in regnum cælorum.* v. 20. Revera enim *lex spiritualis est.* Rom. 7: 14. damnans non externos solum peccati actus, sed & ipsam concupiscentiam, dicendo, *ne concupiscas.* ibid. v. 7. Pharisæorum ii, qui legis explanandæ facultate pollebant, (neque enim id unius cujusque & gregarii erat) superbo *Scribarum*, Gr. γραμματέων, νομικῶν, סופרים, מפרשים & פרישים titulo gloriabantur; allusione facta ad notionem verbi פרש quod non solum *separandi*, sed & *explanandi* sensu venit. Hinc toties in S. Evangeliis legimus, Christum væ interminatum esse *Pharisæis & Scribis*, ceu legum divinarum corruptoribus pessimis. Matth. 23: 16-26. Luc. 11: 39-44. 46.

§. XV.

Atque hæc est illa ἀκριβεστάτη αἵρεσις τῆς τῶν Ἰουδαίων θρησκείας, *exquisitissima religionis Judaicæ secta.* Act. 26: 5. sed eheu! corruptissima, licet Sadducæismo paulo speciosior. Foverunt enim & alios *errores*, quos cum tota Judæorum gente *communes* habebant. Ex-

spe-

spectabant nimirum *α*, regnum Christi carnale, splendidum atque magnificum, cui gentes omnes vi armorum subjiciendæ essent. Sic diserte & satis fuse stolidam Judæorum expectationem explicat Autor ABKAT ROKEL, ab ANTONIO HULSIO in *Theologia Judaica* explanatus & confutatus. Sufficiat illud Christi: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Joh. 18: 36. *β*, Expectabant Eliam Thisbiten, ceu prodromum Regis Messiæ. Sic itidem Autor *Abkat Rokel.* conf. Matth. 17: 10. seq. Christus vero docuit, hunc Eliam esse Johannem Baptistam, ab initio quidem à Judæis magni factum, ipsiusque JOSEPHI testimonio ornatum, Ant. Jud. l. 18. c. 7. deinceps vero, ubi nimis severe ipsorum objurgasset hypocrisin, Matth. 3: 7. seq. pro dæmoniaco habitum, & tandem capite truncatum. Matth. 11: 14. 18. c. 17: 12. 13. *γ*, Sacerdotium Aharonicum, cultumque Leviticum, cum apparatu ceremoniarum legalium, ad finem usque mundi duraturum, neque unquam abolendum esse. Sic Judæi passim. Contrarium docuere Stephanus Protomartyr, Act. 6. & S. Paulus Hebr. 7. & 8.

§. XVI.

In eo vero saniores erant *Sadducæis*, quod credebant, animas esse immortales, ut & futuram mortuorum resurrectionem. JOS. locis supra citatis, & Act. 23: 8. 24: 15. Licet, ut verum fatear, de *universali* mortuorum resurrectione Judæi sibi non constent, sed animis fluctuent, & sententiis admodum varient. Quod ante me observavit ANTONIUS HULSIUS, tractatu supra laudato, p. m. 139. & 173. plerisque ad solos Judæos, aliis ad solos justos, eam restringentibus. Ut adeo, quod S. Paulus Act. 24: 15. asserit, credere se cum ceteris suæ sectæ hominibus, h. e. cum Pharisæis, resurrectionem fore mortuorum, *non justorum solum sed & injustorum*, nonnisi de sanioribus inter Pharisæos, dictum Danielis c. 12: 2. rectius cæteris

teris interpretantibus, exaudiendum sit. Certe quantum ex JOSEPHI verbis, Bell. Jud. l. 2, c. 12. mihi videre datum est, eam Pharisæis attribuit sententiam, nonnisi justos resurgere ex morte, nimirum, ψυχὴν πᾶσαν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν εἰς ἕτερον σῶμα, τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην, τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι. *Quamlibet immaculatam animam in aliud transire corpus, solas scil. bonorum animas, pravorum vero (animas) æternis puniri cruciatibus.* Quibus paria habet Ant. l. 18. c. 2. Ἀθάνατόν τε, φησὶν, ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς, οἷς ἀρετῆς καὶ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε. Καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προτίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥαστώνην τοῦ ἀναβιοῦν. *Immortalem vim animabus tribuunt Pharisæi, atque sub terra tam supplicia quam præmia fieri, pro ratione atque quævis virtuti vel vitio operam dedisset. Hisce quidem*, (h. e. animabus vitiosis) *æternum assignari carcerem, illis vero*, (h. e. animabus virtutis studiosis) *facultatem fieri in vitam redeundi.* Est igitur quod Christiani sibi de admirabili librorum N. T. luce gratulentur, ceu quæ de universali tam justorum quam iniquorum resurrectione fidem faciunt certissimam. Matth. 25. Apoc. 20; 15. 2. Cor. 5.

§. XVII.

In *moribus* vero perversissimi omnino erant. Cum enim non nisi externæ laudem sanctimoniæ sectarentur, obliti puritatis cordis, quæ per gratiam Messiæ datur, fideque accipitur, ad id solum omnibus contendebant viribus, ut ceu egregii sanctuli à ceteris sese hominibus distinguerent atque secernerent. Unde & פרושים dicti, h. e ἀφωρισμένοι, *separati.* (Rom. 1: 1. Gal. 1 15.) à Chald. & Syr. פרש *separavit, secrevit, distinxit.* Misera hæc vanæ gloriæ mancipia, quicquid sanctimoniæ vel gloriolæ speciem præ se ferre poterat, studiose conquirebant, primos affectantes accubitus in conviviis, primosque in Synagogis consessus, amantes publice & cum reverentia

 salu-

ſalutari Rabbi, Rabbi, Abba, Pater; in plateis publicis orantes, eleemoſynasque erogantes, phylacteria veſtiumque fimbrias dilatantes, corpus & vaſa crebrius & ſuperſtitioſe lavantes; & quæ hujus furfuris ſunt alia, à Chriſto Domino hinc inde vehementer taxata. Matth. 6. & 23. Marc. 7. Luc. 11. &c. Denique ambitionis œſtro acti, vanaque gloria tumidi, de Dei gloria promovenda, ut & de expurgandis hypocriſeos, avaritiæ, rapinæ, perverſorumque affectuum ſordibus ne quidem ſomniabant. Unde rectiſſime eos Chriſtus cum *ſepulchris dealbatis* confert, Matth. 23: 27. 28. præmiſſa ſeria hac monela: *Phariſæe cæce, repurga prius interius poculi & patinæ, ſic & quod extus eſt, purum erit.* ib. v. 26.

§. XVIII.

Altera Judæorum ſecta eſt SADDUCÆORUM, צדוקין Syr. זדוקיא Crebra eorum mentio eſt in N. T. Vide Matth. 22: 23. Act. 4: 4. c. 5: 17. c. 23: 6. 7. 8. Sectæ hujus principes atque Autores ſunt *Zadok* & *Baithos*. Quorum illius hoc celebratur dictum: *Ne ſitis, inquit, mercenariorum inſtar, Domino non niſi mercedis gratia ſervientes, potius ſervite Deo ceu filii, cultum ei exhibentes, quaſi mercedem non recepturi, ſitque ſuper vos timor cœli.* Dicto hoc, bonum alioqui ſenſum ferente, ejus diſcipuli abuſi, monſtroſos excluſerunt errores. Qui itidem ex ſcriptis N. T. melius quam ex JOSEPHO pateſcunt. Scriptor enim hic, licet cætera graviſſimus, tamen hominibus gentis ſuæ diſplicere nolens, certe nimis aperte utrique ſectæ adulatus eſt, neque ſatis cordate earum detexit ulcera atque carcinomata.

§. XIX.

Peſſimum atque pernicioſiſſimum eorum dogma fuit, (præterquam quod *fato*, h. e. divinæ providentiæ vel gratiæ nihil, libero hominis arbitrio omnia deputa-

putabant,) animas *mortales* esse, & cum corporibus interire. Quod ipse JOSEPHUS fatetur: Σαδδυκαίοις δὲ τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι. h. e. *Sadducæorum sententia est, animas cum corporibus interire.* JOS. l. 18. c. 2. Quæ vero idem Autor de iis prodit, scil. Φυλακῆς δὲ οὐδαμῶν τινων μεταποίησις αὐτοῖς ἢ τῶν νόμων, *eos nihil nisi legem observandam docere*, vel curare, vix fidem merentur. Qui enim animam cum corpore interituram credit, quo quæso legis zelo tenebitur? Annon potius post tergum rejectis severioribus legis præceptis, velut Epicuri de grege porcus, genio indulgebit & libidini, mox veluti laxatis habenis in omne nefas prorupturus? Ea certe erant legis ignorantia, ut eorum multi ne quidem literas noverint. *Erratis*, inquit Christus, *nescientes scripturas & virtutem Dei.* Matth. 20: 29. *Domine Sacerdos Magne, scisne legere?* dicebatur Pontifici, die expiationis Sanctum Sanctorum ingressuro. Quod ex Codice Talmudico JOMA notum. Certe veritatis Evangelicæ hostes erant infensissimi.

§. XX.

Sublata animarum immortalitate, doctrina de mortuorum resurrectione non potest non corruere. Atque hinc in Evangelio dicitur, Sadducæos credidisse, μὴ εἶναι ἀνάστασιν, *non dari resurrectionem*, sc. ex mortuis. Matth. 22: 23. Luc. 20: 27. Christus vero ex loco Exod. 3: 5. *Ego sum Deus Abrahami* &c. tam mortuos ex sepulchris revocandos, quam animas piorum patrum corporibus solutas *Deo vivere*, adeo potenter asseruit, ut ad ἐχεμυθίαν eos redigeret. Vide l. cit.

§. XXI.

Sacras Prophetarum paginas eos plane rejecisse, fidemque iis abrogasse, (quæ *Cuthæorum* sive *Samaritanorum* fuit vesania) cum JOSEPHO GORIONIDE l. 4. c. 6. nec non CENT. MAGDEB. Cent. I L. 1. c. 5.

GOODWYNO, aliisque, asserere vix ausim. Bene quidem, prophetarum scripta eos non adeo magni fecisse, ceu opinionibus suis nimis aperte reclamantia. Saltèm inde est, quod Christus adversus eos disputans, non ex prophetis, sed ex lege argumentatus est. Cæterum recte observat JOSEPHUS, eos Pharisæis, ceu numero pluribus, in multis sese accommodasse, διὰ τὸ μὴ ἄλλως ἀνεκτὰς γενέσθαι τοῖς πλήθεσιν, *eo quod reliqua Pharisæorum turba alioqui intolerabiles fuissent.*

§. XXII.

Porro S. Lucas Act. 23: 8. eos *neque Angelum neque Spiritum* credidisse, asserit, contra manifesta Geneseos verba, Cap. 28: 12. & c. 32: 2, 3. Unde consequens est, eos opinatos esse, spiritum à corpore solutum procul dubio tenues in auras abire; Sap. c. 2: 3. *Fumus est halitus in naribus nostris, & loquela* (vel ratio) *scintilla in motu cordis consistens, qua extincta corpus in cinerem redigetur, spiritus vero veluti levis aura dissipabitur* Quæ sententia optime exprimit Sadducæorum vesaniam. Et plane mihi persuadeo, Sacrum Vatem MALACHIAM Sadducæos ob oculos habuisse, quando scribit: *Dixistis, frustra esse Deo servire, quid enim lucri est ex observatione præceptorum ejus, & quod pullati in conspectu Domini exercituum incedimus? Quin potius beatos prædicamus superbos, &c.* Mal. 3: 14. 15. Ea certe fuit Sadducæorum sententia, ea vivendi ratio. Sublata enim animarum ἀθανασία nec non mortuorum resurrectione, tollitur quoque metus futuri judicii, improbis infligendi, nec non spes vitæ æternæ, virtutisque compensandæ. * Summa, totum corruit religionis ædificium, pietatisque mysterium funditus evertitur.

§. XXIII.

* Ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν καὶ τὰς καθ' ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιροῦσιν. Bell. Jud. l. 2. c. 12.

§. XXIII.

Unde mirum non eſt, *Sadducæos* ceu bipedum nequiſſimos, invidia atque odio implacabili adverſum doctrinam Evangelicam, ejusque præcones flagraſſe. Act. 4: 1. 2. 5: 17. 18. In corradendis opibus plusquam vultures, dignitati pontificali aucupandæ aviditiſſime inhiantes. Ut falſiſſimum ſit, quod JOSEPHUS de iis ſcripto prodidit, eos ſæpe *ἀκουσίως καὶ κατ᾽ ἀνάγκας, h. e. invitos & neceſſitate coactos*, munia atque dignitates capeſſiviſſe. Ant. l. 18: c. 2. Magis veritati conſentaneum eſt, quod idem Autor habet l. 2. B. J. c. 12. *Sadducæos moribus fuiſſe feros & agreſtes, & in ſocietate cum ſui ſimilibus, veluti erga peregrinos, immites atque intractabiles.* *

§. XXIV.

Tertia Judæorum ſecta eſt ESSENORUM, vel *Eſſæorum*, de quibus JOSEPHUS tribus ſupra citatis locis agit, nim. Ant. l. 13. c. 9. l. 18. c. 2. & de Bello Jud. l. 2. c. 12. in quorum primo aſſerit, tres haſce ſectas à temporibus Jonathanis Maccabæi inter Judæos conſpicuas fuiſſe, (non, quod tum demum cœperint.) Eſſenos *fato*, h. e. divinæ providentiæ vel gratiæ, omnia, Phariſæos aliquid, Sadducæos nihil tribuere, ſed omnes hominum actiones à mero ipſorum arbitrio ſuſpendere. Quod & in ſecundo loco confirmat. In tertio vero, qui eſt de Bell. Jud. l. 2. c. 12. fuſiſſime de iis, præcipue de Eſſenis, ceu laude juxta ipſum digniſſimis, agit, eorumque dogmata pariter ac mores vivis depingit coloribus.

§. XXV.

Etymon nominis *Eſſenorum* quod ſpectat, ſunt

* *Σαδδουκαίων δὲ καὶ πρὸς ἀλλήλους τὸ ἦθος ἀγριώτερον, αἵ τε ἐπιμιξίαι πρὸς τοὺς ὁμοίους ἀπηνεῖς ὡς πρὸς ἀλλοτρίους.*

qui ab Hebræo חשה *siluit*, derivant, ut Esseni dicantur quasi חשאים *à silentio*, h. e. à devitando clamore, strepitu, omnique verbo otioso. Eo certe nomine eos dilaudat JOSEPHUS l. cit. (τοῖς ἔξωθεν ὡς μυστήριόν τι φρικτὸν ἡ τῶν ἔνδον σιωπὴ καταφαίνεται.) Sunt qui à עשה *fecit*, ἐτυμολογοῦσι, ut Esseni sint non otiosi legis auditores, sed *effectores*. (Jac. 1: 22. 23) Sunt qui ab אסא, אסי i. q. θεραπεύειν, *sanare*, *medicari*, ut Esseni sint *artis Medicæ periti*, & in medicandis morbis felices, ἔνθεν αὐτοῖς πρὸς θεραπείαν παθῶν, ῥίζαι τε ἀλεξιτήριοι, λίθων τε ἰδιότητες ἀνερευνῶνται. JOS. ibid. vel à חסידים *pii*, pietatis studiosi. Quod ex JOSEPHO GORIONIDE colligere est, l. 4. c. 6.

§. XXVI.

Equidem non inficias iverim, fuisse in populo Judaico bonum *semen*, Rom. 9: 29. Jes. 1: 9. h. e. nonnullos fidei & pietatis studiosos, quibus & *Rechabitæ*, uti videtur, se immiscuere, de quibus Jerem. 35. Neque negare ausim, jam à temporibus Jonathanis Maccabæi, ejusmodi homines inter Judæos fuisse, aliqua virtutis laude & peculiari vivendi ratione celebres. Nimis enim hoc manifestum est, non solum ex tribus supra allegatis locis, sed & ex Ant. l. 15. c. 13. ubi de *Manahemo Esseno*, qui Herodi prædixit, ipsum regem fore. Nec non ex l. 17. c. 15. ubi de *Simeone Esseno*, qui Archelao somnium de decem spicis uberibus à bubus deglutitis, feliciter interpretatus est, de regno ipsius decimo anno finem habituro.

§. XXVII.

Quæ vero modo laudatus scriptor de *Essenis* tradit, eorumque doctrina, legi Mosis, (quin ausim dicere, ipsi Evangelio) conformi, deque eorum moribus purissimis, (licet nonnulla à Pythagoricis accepisse videantur) nec non de virtutibus operibus-

que plane admirandis, qualia sunt, indefessa verbi Divini meditatio; hymnorum sacrorum assidua decantatio; Zelus in Deo colendo summus; pacis, ordinis, concordiæque studium maximum; Charitas & beneficentia vere fraterna; in frænanda lingua edomandisque affectibus, ira, libidine, &c. pia vigilantia; * donum prophetiæ (saltem in nonnullis;) abstinentia à conjugio, omnique Venere; denique bonorum omnium communio; quibus paria, si non majora, PHILO Judæus de *Abstinentibus* & *Supplicantibus* in Ægypto prædicat; unde sua excerpsit EUSEBIUS Hist. Eccl. l. 2. c. 17. ea, inquam, tanta sunt, ut vix credibile sit, exulcerato illo atque corruptissimo rerum Judaicarum statu tam illustria inter eos fulsisse virtutis & pietatis sidera, tam in Ægypto circa Alexandriam juxta *Philonem*, quam in agro Hierichuntino, juxta *Josephum*. Christus enim, vera illa lux mundi, Hierichuntinum agrum peragrans, sordide avarum quidem ibi deprehendit publicanum, Zachæum scil. Luc. 19. Essenorum vero neminem. Neque uspiam in historia Evangelica eorum vel vola vel vestigium.

§. XXVIII.

Hæc aliaque rationum momenta perpendens EUSEBIUS, in eam pertractus est sententiam, licet à nostrorum plerisque explosam, hos *Essenos*, tantis scil. virtutibus commendabiles, non alios esse, quam ipsos primos Christianos, prædicatione Evangelica, virtuteque spiritus pentecostes, ad summum virtutis Christianæ fastigium provectos. Certe quæ PHILO & JOSEPHUS de Essenorum moribus tam magnifice deprædicant, adeo conveniunt cum iis,

* Ὀργῆς ταμίαι δίκαιοι, θυμȣ̃ καθεκτικοὶ, πίστεως προστάται, εἰρήνης ὑπȣργοὶ. κ. τ. λ. Jos. l. cit.

quæ S. LUCAS Act. 2. & 4. & quæ PLINIUS SECUNDUS Epist. lib. 10. epist. 97. de sanctissima primævorum Christianorum vivendi ratione scripserunt, ut ovum ovo non sit similius. Certe haud absimile veri videtur, JOSEPHUM primos Christianos pro *Essæis* habuisse, & sub eorum nomine laudasse.

§. XXIX.

Præter tres has Judæorum Sectas JOSEPHUS & quartæ meminit, quæ est *Judæ Galilæi*, vel GAULONITÆ, ex oppido Gamala oriundi, cum Pharisæo Sadoco, de quibus Ant. l. 18. c. 1. 2. Ast ea politica potius factio fuit *Zelotarum* male sanorum, in plerisque quidem cum Pharisæis sentientium, sed sub prætextu tuendæ libertatis patriæ, Romanorum jugum excutere molientium, (occasione scil. redactæ in formam provinciæ Judææ, censusque autoritate Augusti Cæsaris indicti, & à Cyrenio Syriæ Præside acti) sed jam ante Gamalielis tempora dissipatorum, de quibus & Gamaliel mentionem injicit Act. 5: 37. Noli vero existimes, uno ictu prostratam planeque extinctam esse infelicem sectam, ut sequaces non reliquerit. Potius nimis certum est, ad luctuosissimum Reipubl. Judaicæ excidium plus contulisse Zelotarum intemperiem, quam Romanorum arma. V. JOS. de B. J. l. 4. int.

§. XXX.

Quæ superius de *Pharisæis & Sadducæis* diximus, qui probe pensitaverit, non poterit non fateri, eos, (non exclusis tamen Cuthæis, eorumque pseudomanti, Simone Mago) omnium, quotquot sequentibus seculis Ecclesiam Christianam turbarunt, hæreticorum proavos esse atque Coryphæos; meritoque Christum monuisse: *Cavete vobis à fermento*, (h. e. perversa doctrina) *Pharisæorum & Sadducæorum.* Matth.

16:

16: 6. 12. *Vos igitur, dilecti, cum ista praenoveritis, cavete, ne errore nefariorum abrepti propria excidatis stabilitate; Crescite vero in gratia & agnitione Domini nostri J. C. cui gloria nunc & in diem seculi, Amen.* 2. Petr. 3: 17. 18.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

COROLLARIA.

I.

Judicium Cl. WITSII de ESSÆIS iniquum videtur, quando *Dissert. de Rechabitis* §. 1. *Alii*, inquit, *singularitatem aliquam affectarunt, ex ambitione, errore, superstitione, - - Ad illos Essaei, Pharisaei, Monachi, referri possunt.* Quin potius exoptandum est, Christianos nostros talibus esse moribus, qualibus Esseni fuisse traduntur, qui eos, quos communi mensae admovere volebant, hoc juramento obstringebant: (ap. JOSEPH. Bell. Jud. L. II. c. 12. al. c. 8.) *Se pietatem erga Deum culturos, erga homines justitiam observaturos, neminem laesuros, injustos se odio habituros, & pro justis decertaturos. Fidem se omnibus exhibituros, praecipue praepositis, - - se semper veritatem testaturos, & mendacium dicentes reprehensuros, se manus à furto arcere, mentemque à turpi lucro puram servare velle, - - se a latrocinio abstinere velle, sectaeque suae libros, καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα,* h. e. *& nomina eorum, à quibus eos acceperint*, (uti reddit Versio Gallica D. ANDILLII) nim. doctorum suorum. Conf. Mal. 2: 7. Apoc. 1: 20. *conservaturos*; non, se superstitiose nomina angelorum culturos. Nonne id ipsum est, quod de Christianis sui temporis scripsit PLINIUS l. 10. epist. 97. *Seque Sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appel-*

appellati abnegarent, &c. Et quod paulo ſuperius refert JOSEPHUS: πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον, οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δὲ τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι; in hunc ſenſum reddi debet: *antequam enim ſol oriatur, de rebus ſecularibus nil loquuntur, ſed patrias quasdam preces erga eum (vel facie ſoli obverſa) fundunt, ſupplicantes* (ſc. Deo) *ut oriatur;* (non ſolem adorantes, quod à Judæis alieniſſimum.) Utinam Chriſtiani noſtri talia vota (ſerio) conciperent, cum ſacram ſynaxin adeunt!

II.

HERODIANI Matth. 22: 16. Marc. 12: 13. ſunt Gnathones aulæ Herodis Agrippæ majoris, Ariſtobuli filii, inimici nominis Chriſtiani acerrimi, Actor. 12: 1. ſeq. qui dimicabant pro cenſu Cæſari dependendo, teſte HIERONYMO. *Fermentum* vero *Herodis*, à quo carere jubet Chriſtus, Marc. 8: 15. eſt 1. Politica perverſa & adulatoria, in legem Dei & privilegia Eccleſiæ iniqua. 2. Vulpina aſtutia, qua religio nonniſi palliandæ hypocriſi & tyrannidi ſervit.

FINIS.

* * * * * * * * *
* * * * * * * *
* * * * * * * * *
* * *

IV

IV.

EMANUELIS MULLERI,

Basileensis,

ILLUSTRATIO loci JUDÆ, v. 9.

DE

LITE MICHAELIS CUM DIABOLO,

Ex apparitione Mosis cum Elia coram Christo, Matth. XVII. 1-9.

SYNOPSIS.

§. I. Occasio hujus Scripti. §. II. Intentio. §. III. Argumentum. §. IV. Auctoris sententia. §. V. Objectio, quæ §. VI. refutatur. §. VII. Thematis Deductio. §. VIII. Novum argumentum à pari. §. IX. à Typo. §. X. à Prophetia. §. XI. ab Exemplo. §. XII. à Necessitate. §. XIII. ab Utili. §. XIV. à Simili. §. XV. ab Honesto. §. XVI. a Mysterio. §. XVII. Dilucidatio. §. XVIII. Confirmatio. §. XIX. XX. item à Typo. §. XXI. à Testimonio. §. XXII. Epilogus.

§. I.

§. I.

CUm anno superiori (1737.) more Academiæ patriæ solito, Lectiones duæ, dum Sirius ardebat, mihi essent habendæ, incidi, suadente sic Amico Rev. in pericopam Matth. 17:1-9. quam sumsi illustrandam. Dehinc cum Fautori & Amico pl. Rev. legendum communicarem manuscriptum, digna publico visa sunt ipsi, quæ *de MOSE resuscitato* dissserueram. Non autem illico cogitabam publici juris facere hasce meas Meditationes. Vicit tamen denique Viri pl. Reverendi instigatio hæsitationem meam, ut petitioni ipsius satisfacerem.

§. II.

Verum, ne Lectorem superflua disquisitione onerarem, cogitavi *de loco Judæ v. 9.* ex iis, quæ occasione lectionum modo memoratarum dicta fuerant, illustrando. Hinc omnino diversa facie formaque comparebunt hoc loco meditata mea. Lectorem Benevolum prius obsecro, ne conatum hunc meum vano novandi pruritui tribuat, sed argumenta ponderet absque affectu; nemini siquidem obtruduntur: ista Veritas suo se nitore commendat.

§. III.

Non multum morabimur aliorum Virorum sagacium, & de rebus sacris præclare meritorum, ἐξηγήσεις hujus Epistolici loci. Neque enim hoc instituti nobis erat, prolixe contraire cuiquam. Puerile nimis invidere, & gloriam aucupari ex aliorum hebete sensu. Tantum hoc dicam, nullam speciem apparere communi sensui, quod nempe *Diabolus tentaverit, Israelitis cadaver MOSIS in offendiculum ponere.* Ecqui potuisset? An populum in montem seduxisset? An Mosis corpus furatus, ad populum pertulisset? Minime vero. Sane nemo sanus hoc cogitaverit.

rit. Dux Josua, quem jussu Dei Moses, dum viveret, initiatus erat, tale quid prohibuisset, posito, quod Deus (absit vero!) Diabolo corpus Mosis concessisset, ita profanandum.

§. IV.

Quid autem? Dicamus potius, *litem Michaelis cum Diabolo* exinde natam, quod *Michael*, quem Daniel nobis, ceu Judæorum Genium tutelarem, describit Dan. 12:1. MOSEN, divina Virtute resuscitatum, in Montem, ubi transformandus erat Christus, traducere vellet, quemadmodum Lazarus ab Angelis in sinum Abrahami sublatus fuit, Luc. 16:22. Heic sine dubio improbus Veterator ingeminaverit, injustum Deum, qui propria culpa ab introitu in terram promissionis exclusum modo tam singulari, sine ope Christi jam carnem induti, & ante peractum sacrificium propitiatorium, è sepulcro redimeret, & ad communionem Sanctorum in cœlos, etiam corpore tenus admitteret. *Michael* honorem judicii Deo deferens, *increpet*, inquiebat, *te Dominus*.

§. V.

At leves hæ, dicent, conjecturæ quid probant? Profecto plurima. Enimvero ut ægre fidunt Astronomi duobus oculis, quod quatuor vel sex, tubis inquam, sint assueti: ita Theologi rationum seriem desiderant, & sæpius non sine causa. Sed agedum, stipemus argumentum argumento. Quare vero MOSES necesse habebat, *Corpore sibi restituto, in monte cum Christo comparere?* Quare, inquam, Christus ipse fuit transformandus? Hic Rhodus, hic saltus.

§. VI.

Nimirum, ut omnia fiant plana, ab ipsis primis principiis erunt eruenda. MOSES, divinus Legislator, populo Israelitico divinitus in Redemtorem

èSer-

è servitio Ægyptiorum erat concessus; utque simul illis beneficia gratiose Abrahamo pacta administraret. Ea beneficia non sola possessione terræ Canaan terminabantur, sed comprehendebatur promissio de Semine Mulieris. Ergo ut hoc commode fieret, dedit Deus Mosi, fractis Tabulis prioribus, alteras Tabulas, instituitque eum, ut Tabernaculum conderet, quod Domus παιδείας Præparationis ad cognoscendum & excipiendum Servatorem foret, quem illis tot figuris adumbravit, & coronidis loco Deut. 18: 15. 18. ex ore Dei promiserat. Jam cum tempus adventus promissi Prophetæ instaret, imo impletum esset; diversa divinabant, & studia in contraria rapiebantur. Illi *Eliam*, hi *Mosen*, ut non obscure colligere licet ex Joh. 5: 45. isti alium atque alium expectabant. Quia MOSI vero Jesum distincte adumbranti non credebant Judæi, incassum eum videre sperabant. Illis vero ex Discipulis Christi, qui testes ejus coram Judæis futuri erant, monstrandus fuit, ut comperirent, Jesum illum ipsum esse, in quo omnes Dei promissiones sunt Ita & Amen, 2. Cor. 1: 20. & per mortem Christi abrogatum iri jugum illud ferreum, quod nec Apostoli nec majores eorum ferre poterant.

§. VII.

Hinc ulterius rem prosequimur. Quemadmodum igitur JESUS non sine Consilio transformabatur, sed ut Pater auctoritatem suam interponeret, demonstraretque, Decreto Pacis tradendum esse Filium suum ad mortem, Actor. 2: 23. (sicut revera de Decreto hoc collocuti sunt Moses & Elias cum Christo, Luc. 9: 31.) ita MOSES resuscitatus est, ut testimonium perhiberet, Christum venisse, non ut antiquaret legem, sive spiritum legis *solveret* & separaret à litera legis (λῦσαι,) *sed ut impleret.* Hinc Moses, typus legis, animo & corpore integer apparuisse

fuisse credendus est; sicut omnino vaticinium illius, (Deut. 18: 15.18.) mirum! quantum splendorem nanciscitur. Etenim קים hoc modo non solum significabit *præstabit*, *existere faciet*, *stabiliet*, sed etiam *resuscitabit è pulvere sepulcri*. Unde si Discipuli capere seu potuissent, seu voluissent, toties repetitum sermonem Christi de suis passionibus, egregie quoque confirmati fuissent *exemplo Mosis*, quem corpore suo restitutum intuebantur. Eodem scilicet modo, cogitassent, eodemque imo majori merito & jure, resurget Doctor noster, quamvis dirissima patiatur.

§. VIII.

Quid? quod si ELIAS olim *Ascensui* Christi in Cœlum prælusit, cur non MOSES, quem mortuum fuisse certum est, ejus *Resurrectionem* præfigurasset? Cujus, omnium Theologorum consensu, ipsiusque ejusdem Vaticinii testimonio luculentissimo, TYPUS fuit. Quadraginta dies non minus quam Christus & Elias jejunio transegit; Ergo illud corpus, quod jejunio quondam macerabatur, æque ac Eliæ, volente scilicet & ita dirigente Deo, cum Christo primitias futuræ gloriæ debebat prælibare. Nam, cum lex sit spiritualis, Rom. 7: 14. etsi bona corporalia promittat servantibus eam, etiam ille, qui permittente Deo terram promissionis visibilem conspiciebat, invisibilem fidelium possessionem, quam fidelibus Veteris Testamenti, licet ænigmatice, monstraverat, anticipare debebat, tanquam sponsor eorum. Deut. 5: 5. Gal. 3: 19.

§. IX.

Præterea, cum Moses ceu Symbolum legis gloriose apparuerit sine velamine, manifestandum erat, Velamen illud, quod alias faciem Mosis opperuerat, recessisse, & corda populi Judaici obvolvisse. 2. Cor. 3; 5. Hinc videmus, quomodo intelligendus sit sermo

Chriſti ad Judæos, Joh. 5:45. *Ne exiſtimetis, me vos apud Patrem accuſaturum;* (ſicut Elias 1. Reg. 19: 10.) *Qui vos accuſat, eſt Moſes, in quo fiduciam ponitis*, ſpem collocaſtis. Nimirum vis argumenti hæc eſt: Fruſtra illos ſperare, Moſen reſuſcitatum iri & illis apparriturum; quin potius, cum litteris non credant, nec mortuo, etſi reſurgat, fidem habituros, ſive jam Chriſtum ſive Moſen intelligas, Luc. 16: 27-31. Atque hoc inſuper, non ſuum eſſe ſed potius Moſis, *accuſare* pertinaces. Seſe enim veniſſe, ut *ſervaret* homines.

§. X.

Deinde credendum eſt, transformationis hujus glorioſæ *finem* fuiſſe, ut oſtenderetur, Novum Fœdus ſanctum iri, quemadmodum ipſe Moſes Deut. 18: 15. 18. prædixerat. Quoniam vero *Teſtamentum non ratum habetur, niſi præceſſerit mors illius, qui teſtamento legat.* Hebr. 9: 16. 17. ideo Moſes & Elias, teſtes jurati & quaſi Protonotarii, cum Chriſto *de Exitu ejus* loquebantur. Juſtum eſt enim, ut, ubi melius priori teſtamento ſubſtituitur, ſponſor prioris teſtetur, cedere ſeſe hujusdem ſive melioris ſponſori. Id quod fecit Moſes, & Elias, qui zelo Dei ductus tanquam exſecutor & ex quadrante hæres ſeſe geſſit, dum viveret. Quare etiam exiſtimo, in cœlum raptum eſſe vivum, quod Teſtatoris voluntati, non ſine ſanguine ſancitæ, effuſione ſanguinis Baalitarum ſat fecerit, Hebr. 9: 19. 20.

§. XI.

Porro notamus, Moſen apparitione ſua ſat luculenter & ad oculum demonſtraſſe, ſublatum iri Maledictionem per eum, quicum hac de re loquebatur. Noſti enim, Benevole Lector, Moſen ab introitu in terram Canaanis vel propter verbulum, Pſ. 106: 33. Num. 20: 10. retractum fuiſſe. Sed ecce, quæſo, jam illum in medio terræ Canaanis! Per & propter eum,

eum, quem Pater Anathema fecit propter nos. Ecqui Moses, nudo animo, sine corpore heic comparuisset?

§. XII.

Imo vero, maximum monumentum abolitæ mortis potestatis nobis esto Moses, quem, utcunque in contrarium niteretur Diabolus, Deus de morte redemit. Cogita, Lector Benevole, quam expaverit, quam fremuerit hostis infensissimus. Omnino in antecessum Pater cœlestis sic suo Filio triumphum parabat. Mortem enim jamjam oppetiturum decebat, ut insigni spectaculo, quod vim & terrores mortis irritos redderet, erigeretur quodammodo. Sicut enim Christus exemplo *Eliæ* consolandus erat de cœlo post pugnam occupando, ita *Mosis* exemplo, tanquam chirographo, confirmandus de victoria mortis & Diaboli. Nemo vero talia contumeliæ Christi accedere putet: Non magis enim ista lædunt, quam Angelus in agone constitutum Christum corroborans. Luc. 22: 43.

§. XIII.

Pergimus ad ulteriora. Cum Matth. 17. dicitur *Christi facies fulsisse solis instar*, sol autem illustret omnia; sequitur hinc, Mosen & Eliam, fulgorem Christi participantes, indicare debuisse, Legem & Prophetas splendorem suum mutuare à Christo luce mundi, Joh. 8: 12. Sicuti revera Christus, Matth. 11: 13. *omnes*, ait, *Prophetæ & Lex prophetarunt usque ad Johannem*, quem expresse Matth. 17: 12. vocat *Eliam*; quibus confer, quæ Paulus disserit 2. Cor. 3: 7-15. Quomodo igitur consummationem legis præfigurasset Moses, nisi consummatus, corpore & anima inquam integer, cum Elia ad superos discessisset? Ergo Christus Mosi βραβεῖον τῆς αὐτῦ διακονίας solvens in monte Thabor, dimisit eum.

§. XIV.

Quemadmodum Moſes in monte Sinai typum accepit, Exod. 25: 40. cujus ad imitationem omne opus Tabernaculi conſtrueret: ita pariter Chriſtus a Moſe & Elia inſtruebatur, quo modo ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ, Apoc. 21: 3. perficienda eſſet. Nimirum hæc ſignificare debebant, Chriſtum τὸ κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι, Epheſ. 2: 22. perfecturum eo modo, quem Prophetæ divinitus prædefinierant, &, ut Petri verbis utar, *ſcrutati ſunt, in quem aut qualem temporis articulum prænuncius iſte, qui in ipſis erat, Spiritus Chriſti, declararet eventuras Chriſto* (addo, & Eccleſiæ ejus, Col. 1: 24.) *Paſſiones, & Gloriam illas conſequuturam.* 1. Petr. 1: 11. Judicet æquus Lector, an præſuppoſitis iis, quæ antea diximus, non liceat prona conſequentia concludere, Moſen huic actui ſolenni non ita nudum, ut vulgo credunt, interfuiſſe? Nam cum in Moſe, usque dum veniſſet Chriſtus, fuerit *Umbra rerum futurarum*, nonne juſtum erat, quo videretur Umbra abolita, Moſi corpus ſuum reddi? Confer quæſo Col. 2: 16, 17.

§. XV.

Quid? quod Glorificatio Chriſti neceſſario Moſis Reſurrectionem & Glorificationem, & vice verſa, inferat. Neque ulla ſupereſt difficultas, quæ Deum impedierit, quin ſervum ſuum dilectum, quem teſtem ſolennis initiationis Filii ſui in ſacerdotem ſummum & Aharone multis modis infinitisque paraſangis majorem eſſe volebat, a mortuis ſuſcitaret. Quænam obſtabant, quo minus Moſes reſurgeret æque ac mortuus ille, cui contactu oſſium Eliſæi vita eſt reddita, 2. Reg. 13: 21? Vel nonne in Hiſtoria Evangelica exemplum exſtat ægroti, qui morti proximus à Chriſto vel abſente ex inferis quaſi reductus fuit, Joh. 4: 47-53?

§. XVI.

§. XVI.

Profecto sola ratio de initiatione Christi in Sacerdotio sufficeret, ad convincendum aliquem de Resurrectione Mosis. Nam par ratio Sacerdotii Aharonis & Christi, personæ licet dispares. Quamquam Christus jam à momento lapsus Sacerdos a Patre suo nuncupatus fuerit, est tamen intervallum *dissimulationis peccatorum, Deo illa tolerante*, probe observandum Rom. 3: 25. Dico enim, quod ut Aharon a Mose ordinatus fuit in Sacerdotem, ita Christus ab eodem esset ordinandus. Id vero fieri nequaquam poterat, nisi Moses resuscitatus in monte visus fuisset. Etenim cum Christus, quamquam umbram ceremoniarum abrogaret, *legem stabiliret*, Rom. 8: 3. 4. Necesse fuit, ut, quod toties dixi, per Resurrectionem Mosis id indicaretur & manifestum fieret.

§. XVII.

Sed ut magis patefiat, quo sensu Ordinationem Christi a Mose in monte factam intelligam, vel intellectam velim, latius paulo diducam, quo præcedenti §. dictis lux affundatur. Cum Paulus in tota ad Ebræos epistola totus sit fere in eo, quo demonstret Sacerdotium Christi præclarius Aharonico, capite septimo Sacerdotes V. T. lege ordinatos esse disserit. Palam est cuilibet, respicere Paulum hic ad Mosen legislatorem, per quem placuit Deo Aharonem instituere; Cum ut indicaret, perditum esse seu periisse genus humanum vi legis, quam usque violaverit, nisi intercederet, qui misericordia ductus homines ad meliorem frugem & obedientiam Deo debitam revocaret. Matth. 4: 17. Hebr. 7: 25. Tum ut palam esset, quod, cum *sine sacramento* sive jurejurando Aharon posterique ejusdem sacerdotes sint facti, Hebr. 7: 20. non semper id muneris essent obituri, quandoquidem Typus Archetypo, umbra cor-

corpori cedere deberet. Hinc Christo jamjam Sacerdotium occupaturo Moses apparere debuit, & quidem resuscitatus, ut innueretur, excitatis primitiis (neque enim surrexit Propheta æqualis Mosi, Deut. 34: 10.) secuturum plenum numerum Sanctorum & fidelium Veteris Testamenti in Resurrectione justorum, Luc. 14: 14. & contigisse finem legis, Rom. 10. 4. Hic, inquam, modus est, quo Moses Christum sacerdotem constituit. Nam proprie Pater illum sacerdotio investivit, sicuti Paulus pulcre scribit: *Christus ipse sibi hunc honorem non tribuit, ut fieret Pontifex, sed is, qui dixit ei: Filius meus es tu, EGO HODIE GENUI TE*, (in sacerdotem elegi. Confer quæso, quæ Pater idem locutus est in monte: *Hic est*, inquit, *filius meus dilectus, IN QUO ACQUIEVI; IPSUM AUDITE!* Matth. 17: 5.) *Sicut & in alio Psalmo dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedeci*, Hebr. 5: 5 6. Nihilominus loco jam citato, versu quarto, Aharon, ut a Deo vocatus, describitur; quod convenit cum iis, quæ §. XVI. diximus, nempe, parem esse rationem sacerdotii Aharonis & Christi.

§. XVIII.

Proinde novo argumento, licet ex præcedentibus elicito, stabilimus Thesin nostram, & quidem pressis PAULI vestigiis ad Hebr. 8: 1. seqq. Heic enim Apostolus inducit Christum Pontificem, *qui consederit ad dexteram throni majestatis in Cœlis.* PETRUS Epistola sua secunda Cap. I: 16. 17. testatur, vidisse se cum cæteris Jacobo & Johanne τὴν μεγαλειότητα Christi, quod idem sonat ac Pauli μεγαλωσύνη. Jam evidens est, quod si Christus in monte manifestandus erat ut PONTIFEX, *& Sanctuarii Minister, ac veri illius Tabernaculi*, nempe Cœli, 2. Cor. 5: 1. Hebr. 11: 10. *quod fixit Dominus, & non homo;* pariter Moses, *famulus*

lus fidus in tota domo Dei, quæ figura fuit veræ & futuræ, *ad testificanda, quæ post erant dicenda*, Hebr. 3: 5. sc. in complemento temporis, Rom. 16: 25. 26. gloria donandus esset, ut & novi fœderis excellentia declararetur, & simul impleretur effatum Christi: *Ubi ego fuero, ibi & minister meus erit.* Licet enim singulis fidelibus hoc privilegii datum sit, tamen Mosi, per præcedentia, κατ' ἐξοχὴν & apprime convenit.

§. XIX.

Nec minus confirmat sententiam meam socius transformationis ELIAS, quem cum præcipue *Ascensioni* futuræ Christi prælusisse, dubitet nemo, exemplum quoque positus est omnibus, qui mandata Dei servaverint, Joh. 5: 24. Apoc. 22: 16. eos certo certius promissionem vitæ consecuturos esse. Elias enim, quod pro lege, zelo justo, armisque divinis pugnavisset, præmium immortalitatis accepit, vivus in cœlum raptus; ut, quemadmodum modo dictum est, qui justitiam operati fuerint, tesseram vitæ cœlestis haberent exemplum Eliæ, qui corpore & anima simul ablatus erat. Inde conficitur, quod, si ad declarandum magnifice Filium suum Deus Pater Eliam, propugnatorem & promachum legis divinæ & per omnia fere *Typum* excellentem Christi, voluit producere corpore glorioso; tanto magis *Mosen*, pariter charactere Christi insignitum, & quem Dei legem promulgasse constat, æquum erat secundum animam & corpus in gloria constitui; ad innuendum, rata esse & ita firma per Christum Dei consilia olim in ænigmate proposita, ut non dubitarit Deus, Mosen ad præsenter intuenda, imo quasi palpanda Mysteria Verbi æterni, 1. Joh. 1: 1. Joh. 1: 14. integrum restituere.

§. XX.

Imo vero quasi par erat, (*à posteriori*) Mosen, qui

olim efflagitarat, *ut Deus suam ipsi manifestaret Gloriam*, seu Filium suum, eundem hodie videre, siquidem Deus velit esse rata piorum vota. Quamvis enim illum quondam à tergo viderit Moses, non impedit, ut de facto apparet, quo minus eum jam conspicere potuerit. Sed quod plus est & mirandum utique, Moses, qui propter delictum impeditus fuit, ne terram Canaanis cominus videret & intraret, & morte multatus, etiam illum, de quo Pater tam magnifice testatus fuerat in Sinai, tanquam *Propitiatore*, per eundem resuscitatus in medio fere terræ Canaan compareret. Exod. 34:6.7. Quo pertinet, quod, cum Deus ad ostendendam suam severitatem, quoniam nondum per mortem Filii sui erat reconciliatus, Mosi responderet: *Faciem meam videre non poteris, nemo enim vivet, qui me viderit.* Exod. 33: 20. Moses, corpore destitutus, anima Deum videre potuerit. At per ea, quæ in præcedentibus dicta sunt, liquet, Mosen, quem aperta facie Dei nomen intueri desiderasse constat, non aliter potuisse voti sui compotem fieri, nisi mysterio, quod χρόνοις αἰωνίοις silentio tegebatur, revelato & illustrato, Rom. 16: 25. 26. cui, ut toties dictum, ille testimonium perhibere debuit.

§. XXI.

Verum, relictis hactenus dictis, video maximam difficultatem multis eo creari, quod dixerim, MICHAELEM Archangelum, divina virtute Mosen resuscitasse; (quæ superius addidi, de ejus translocatione per eundem Angelum facta, non multum oppono:) Novum ostentum! Nova hæc, ajunt, sententia! At quid si probarim? Nimirum, hic PAULUM ducem sequor. Is vero in Epistola ad Thessalonicenses prima, Cap. 4. v. 16. *Ipse enim*, infit, *Dominus* (Jesus Christus) ἐν κελεύσματι (quando sc. tanquam Leo de tribu Juda, Apoc. 5: 5. rugiet Jes. 30: 30. Jer. 25: 30. Joel. 3:21. Amos. 1: 2.) ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου, *cum voce Archangeli*

(MI-

(MICHAELIS, docet hoc enim locus parallelus, Dan. 12:1.) *& cum Dei tuba descendet è cœlo*, (& quid futurum est?) *& mortui in Christo primi resurgent*. Nemo non videt, vocem Archangeli & tubam Dei medium fore quo resuscitabuntur pii, de quibus Paulus loquitur; ut idem Apostolus alibi, 1. Cor 15:52. significat, alludens ad Apoc. 11:15. Quando igitur *Michael*, teste Paulo & scriptura, tuba Dei & voce sua congregabit & resuscitabit pios, quidni de individuo liceat hoc testari, & hoc modo locum JUDÆ toties totiesque discussum à variis interpretibus explanare?

§. XXII.

Usum insignem hujusce explanationis in Theologia Typica, Prophetica, Problematica, &c. hoc loco non attingam. Siquidem Lectori sagaci, cum vera esse hæc deprehenderit, facillimum fuerit, ulterius indagare, & in suos usus convertere. Repeto enim iterum, me modesto Examini hæc mea cogitata subjicere; & si quis forte animadverterit, ordinate parum me scripsisse, temporis id compendio tribuat velim.

V.

JOH. CONRADI HOTTINGERI, Tigurini,

DISSERTATIO PHILOLOGICA DE RITU DIMITTENDI REUM *in Festo Paschatis Judæorum,*

Ad illustranda loca Matth. 27:15. Marc. 15:6. Luc. 23:17. Johann. 18:39.

Argumentum.

§. I. Ex lege divina tres præcipue solennitates in Paschatis Festo observandæ, videlicet præparatio & comestio azymorum. §. II. Dein mactatio & assatio agni paschalis, ubi posterioris modum ad *formam crucis* factam esse, ex Justino Martyre probatur. §. III. Tandem fuit oblatio manipuli hordeacei, cujus ceremoniæ describuntur. §. IV. His tamen, recentioribus temporibus alii ritus accessere, veluti quo *reum quendam in hoc festo dimittere* solebant Judæi, cujus loca ex quatuor Evangelistis adducuntur. §. V. Primò disquiritur, *num hic ritus soli Paschatis festo proprius,*
an

an vero ceteris solennioribus communis fuerit? Qui posteriori sententiæ favent & versiones & auctores, allegantur. §. VI. Illa tamen rejicitur, & primo observatur, vocem ἑορτὴν cum emphasi *Pascha* denotare; etiam locus Joh. 5: 1. explicatur. §. VII. Solvitur objectio, quod à quibusdam Evangelistis articulus omittatur. §. VIII. Conceditur, consuevisse Judæos, præsertim solennibus Festis, reos suos punire, inde tamen sequi negatur, morem dimittendi quendam reorum, omnibus festis fuisse communem; inquiritur illa occasione in naturam & causas Festorum. §. IX. Tandem locus Joh. 18: 39. ut argumentum apodicticum pro nostra sententia adducitur. §. X. Altera quæstio proponitur, *an hic ritus à Gentilibus vel Judæis arcessendus* sit? Qui prius statuunt, producuntur auctores. §. XI. XII. XIII. XIV. Describitur gentium ritus supplicationum, præsertim *lectisterniorum*, cumprimis ex Livio. §. XV. Et quamvis in his lectisterniis vincti soluti sunt, §. XVI. Tamen non sequitur, Judæorum morem ab his petitum esse, §. XVII. Quum id neque natura lectisterniorum, §. XVIII. Neque præsertim locus Johannis credere permittat. §. XIX. Proferuntur variæ sententiæ, quibus *origo* hujus ritus panditur, §. XX. Quæ examinantur, & magis probabilis asseritur. §. XXI. Hunc ritum legi divinæ contrarium fuisse, probatur. §. XXII. Recensentur constitutiones Impp. Christianorum, quibus similis quidam ritus

ritus conceditur. §. XXIII. Sed tamen à Judæorum consuetudine diversum fuisse, paucis ostenditur.

§. I.

OMnes illi ritus, quibus olim PASCHATIS Festum, stante Tabernaculo & Templo, celebrari debuit, ad *tria* præsertim capita referri possunt, videlicet panes azymos, ipsum paschalem agnum, manipulum denique hordeaceum. Et quoad *azymos* quidem panes, (à quibus hoc Festum ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, etiam ἀζυμοφαγιῶν, & Hebræis חג המצות *Festum azymorum*, dicitur;) illis septem diebus vesci debebant, à die scilicet decimo quarto mensis Nisan, ad usque primum & vigesimum ejusdem mensis: veluti Exod. 12: 18. Num. 28: 17. legere est; sic ut dies decimus & quintus Nisan primus azymorum fuerit, hinc illius diei nox ליל יום טוב הראשון של פסח *Nox diei festi primi paschatis*, Judæis appellatur. Omne itaque fermentum ante decimum quintum diem Nisan summa cura removeri debuit; in cujus inquisitionis tempore, modo, & personarum ad hanc rem delectu, incredibiliter præcisi sunt Judaici juris consulti; nec à meridie diei 14. ex sapientum constitutione deinceps fermentatum comedere licuit; nocte autem diei 15. Nisan azymus panis necessario comedendus erat, etiamsi tantum quantitate olivæ. In hac insuper celebritate à patre-familias exitus ex Ægypto memorandus, atque ab unoquoque, etiamsi Israelitarum pauperrimus esset, quatuor vini pocula, & ea quidem aqua mixta, exhaurienda, (quorum tertium כסא דברכה *calix benedictionis* dicitur;) & tandem inter hæc omnia הלל sive *hymnus* à Ps. 113. usque ad 118. recitandus erat. Cum pane azymo etiam olim, ut nunc, חרסת *pulmentum*, ex amaris & dulci-

ılcibus compositum herbis, in memoriam luti Æ-
ɣptiaci, appositum fuisse, tradunt Judæorum Magi-
ri.

§. II.

Leges *Paschalem agnum* spectantes, plures erant
ɔbservandæ. Requirebatur ante omnia, ut ex dua-
ıs speciebus agnis aut hædis eligeretur, ut immacu-
tus sexusque masculini esset, & tandem, ut annum
atis implevisset. Talis agnus die decimo mensis
isan à reliquo grege separari & ab omni macula di-
ɉenter servari debuit. Porro agnus iste die 14. ejus-
:m mensis mactari, & nocte sequente, quæ partem
ciebat quinti & decimi diei, comedi debuit. Ma-
ıtionis tempus S. Codex Exod. 12: 6. בין הערבים
er duas vesperas definivit; per quæ verba Judæi ma-
nam, & tantum non omnem, postmeridiani tem-
ɔris partem plerumque intelligere solent, sic ut omne
ıd diei spatium, quod ab hora sexta, id est, meri-
:, protenditur usque ad occasum solis, innuatur;
amvis alii tempus hoc coarctent, & illud solis oc-
sui proximum tempus, quod *ἁπλῶς* ערב *vespera* ap-
llatur, intelligi velint. Ipsa agni mactatio in Tem-
atrio ab Israelitis peragebatur, qui in tres catervas
ɿisi per vices in atrium intromittebantur, & ita
idem, ut post unius catervæ ingressum atrii fores
ɔx clauderentur. Post hæc mactatum agnum &
i redditum dominus ad locum comestioni destina-
n portabat; debuit autem ille non coqui, sed ex
e assari, neque ossa ejus confringi oportuit. Me-
ɔratu dignum est, quod Celeberrimi Viri BO-
IARTUS, *Hieroz. Lib. II. cap. L.* VITRINGA, *Ob-
ı. Lib. II. cap. IX. pag. 415.* RELANDUS *Antiqq.
ɿr. p. 356.* aliique de modo agni paschalis assandi,
JUSTINI MARTYRIS *Dialogo cum Tryphone* Ju-
ɔ, observarunt; scilicet, eum talem fuisse, ut li-
agnum penetrantia formam CRUCIS Christi re-

præ-

præſentaverint. En ipſa JUSTINI verba: καὶ το κελευσθεν προβατον ἐκεῖνο ὅλον γίνεσθαι, τȣ παθȣς τȣ ϛαυρȣ, δί ȣ πασχειν εμελλεν ο χριϛος, συμβολον ην. Το γαρ οπτωμενον προβατον σχηματιζομενον ομοιως τȣ σχηματι τȣ ϛαυρȣ οπταται. εις γαρ ορτιος οβελισκος διαπερονατα απο των κατωτατω μηρων μεχρι της κεφαλης, καὶ εις παλιν κατα το μεταφρενον, ω προσαρτωνται καὶ αι χειρες τȣ προβατȣ. *Et agnus ille, de quo ut aſſus totus fieret præceptum eſt, ſupplicii crucis, quod ſubiturus erat Chriſtus, Symbolum fuit. Agnus namque aſſus in figuram cruci ſimilem conformatus ad ignem torretur: Nam veru unum ab infimis partibus adactum perfigitur; & aliud rurſum ſecundum ſcapulas, ad quod ſuſpenduntur manus agni.* Ex hiſce videmus, JUSTINUM hanc ſuam hypotheſin de agno paſchali, ut typo Chriſti crucifixi, illuſtrare ex ritu, qui apud Judæos in aſſando agno paſchali obtinebat. Num vero fides illi habenda ſit, neminem, ſpero, fore qui dubitaverit; quidni enim illi hac in parte credamus, ait BOCHARTUS, viro non ſolum ſancto, ſed & rerum Judaicarum peritiſſimo, cum Sichemis natus fuerit, patre Samaritano? Imo vero, quid ni credamus ritum memoranti religionis Judaicæ ipſos apud Judæos, quibus cum diſputabat? Fuiſſet enim ſummæ temeritatis & maximæ imprudentiæ, in diſputatione factum allegare falſum, quod tuto abſque præjudicio cauſæ omitti potuiſſet, eos apud homines, qui falſitatis ipſum potuiſſent convincere. Sed bene admodum res ſe habet, quod MAIMONIDES, *Tract. de Paſchat. cap. VIII. §. 10.* Juſtinum abſolvat, qui aſſandi agni paſchalis ritum hoc modo deſcribit: כיצר צולין אותו הותבו מתוך פיו עד בירת נקבותו בשפוד של עץ ותולהו – לתוך התנור והאש למטרה: *Quomodo aſſant eum? à medio ore usque ad pudenda transfigunt eum veru ligneo, & ſubjecto igne in medio furno ſuſpendunt.* Vid. Clar. VITRING. l. c. Comedendus autem erat paſchalis hic agnus cum pane azymo & ole-

oleribus amaris: Nihil denique ex eo usque ad mane superstes esse, sed eadem nocte comedi debuit; quod si tamen aliquid reliquum fuisset, id igne comburendum, nihil tamen quicquam ex domo foras educendum erat.

§. III.

Tertia cum Paschatis festo juncta solemnitas, *Manipulus hordeaceus*, Hebræis עומר dictus, erat. Ille sexto & decimo mensis Nisan metebatur, qui inde יום הנף *dies agitationis* manipuli, vel etiam יום קציר & העומר cluet. Hic manipulus ex proventu novo illius anni, & quidem ex terra Canaan, offerri debuit. Hæ erant ראשית קציר *primitiæ messis*, ante quarum solennem agitationem & oblationem falx in segetem immitti non debuit. Fiebat id maxima cum solemnitate, quam, quin ex MISNA *Menachot*. cap. X. §. 3. sqq. breviter & ad mentem *Cl.* RELANDI recenseam, mihi temperare non possum. Delegebantur scilicet circa finem diei XV. Nisan quidam à Synedrio magno, qui Hierosolymas cum corbe & falce egressi, trajecto torrente Kedron, in agro vicino, & Hierosolymis, quantum fieri poterat, proximo, partem hordei publico ære emtam demetterent. Ipsa nocte ingruente, à qua dies 16. initium capit, aliquis ex iis rogabat בא השמש *occiditne sol?* Cui aliqui respondebant: הין *ita est.* Atque ita ter rogabat מגל זו *an hac falce?* responderunt הין *ita*, quæ cum iterum ter rogata essent, et ad ea responsum: postea pergebat; קופה זו *un hoc orbe?* & dein אקצור *metamne?* Ad quæ singula quum הן *ita*, tertia vice respondissent ceteri, metebatur manipulus, & ad sacerdotes in atrium deferebatur; qui ... lum igne tostum, in vase undique perforato, אבוב ... icto, vento expositum in atrio, & mola contusum ... ibrarunt tredecim vicibus, donec decima pars Ephæ ... oris farinæ inde educeretur; quæ oleo & thure ad... to rite agitata & adducta, pugillo inde exemto &

com-

combusto in altari, comedebatur à Sacerdotibus; simul etiam agnus in holocaustum offerebatur, addito ferto & libamine suo.

§. IV.

Atque hisce præsertim ritibus solenne PASCHATIS Festum absolvebatur. Accessere autem successu temporis alii, quorum nec vola nec vestigium in sacris legibus invenias, à Judæorum magistris additi & excogitati. Quos inter & ille est, cujus Evangelica Historia mentionem injicit, in eo consistens, quod illo ipso Paschatis Festo *reum quendam dimittere* soliti fuerint; de quo more omnes Evangelistæ memorarunt. Et Matth. 27: 15. sic quidem legitur: Κατὰ δε ἑορτην εἰωθει ὁ ηγεμων απολυειν ενα τῳ οχλῳ δεσμιον, ον ηθελον, *Festo autem consueverat præses populo unum vinctum dimittere, quem vellet.* Marc. 15: 6. Κατα δε εορτην απελυεν αυτοις ενα δεσμιον, ονπερ ᾐτουντο, *Festo autem dimittebat illis* (Pilatus) *unum vinctum, quem quidem petiierunt.* Luc. 23: 17. Αναγκην δε ειχεν απολυειν αυτοις κατα εορτην ενα, *Necesse autem habebat, dimittere ipsis vinctum quendam.* Tandem Joh. 18:39. Εςι δε συνηθεια υμιν, ινα ενα υμιν απολυσω εν τω πασχα: *Est autem vobis consuetudo, ut quendam vobis dimittam in Paschate.* Quamvis autem hæc Evangelistarum verba, quibus Paschalem hunc ritum innuunt, clara satis videri possent, attamen in eorum explicatione eruditis non convenit, quin ipsi in diversa plane abeunt, adeo ut ex PERSIO diceres:

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Duæ autem præsertim circa hunc ritum palmariæ moveri solent quæstiones, scilicet: *utrum hæc captivi dimissio soli Paschatis Festo, an vero etiam ceteris solennioribus, propria fuerit?* Dein, *unde hujus ritus origo, an à Gentilibus vel Judæis arcessenda sit?* De utraque autem nos ordine agemus & distincte.

§. V.

§. V.

Igitur quoad *primam* Quæſtionem : *Utrum hæc aptivi dimiſſio ſoli Paſchatis feſto propria, an vero ceteris uoque ſolennioribus feſtis communis fuerit?* Sunt ex Interretibus, qui poſterius affirmant, atque non tantum n Paſchatis, ſed etiam Pentecoſtis & Tabernaculoum ſolennitatibus, captivorum quendam vinculis xutum fuiſſe ſtatuunt. Favet huic ſententiæ Syriaca c Arabica Novi Teſt. paraphraſis. SYRUS enim erba κατα εορτην, à Matthæo, Marco & Luca adhiita, per בכל עארא *in omni feſto*; & ARABS per בי כל עי *in unoquoque feſto*, tranſtulit. Hæc avide arpuit BEZA, & hos ſecutus, per κατα εορτην cetera uoque, ſed ſolenniora & jam memorata, feſta inlligit; Hunc enim in modum ad Marc. 15:6. comientatus eſt: „Syrus interpres addit particulam univerſalem בכל *omni die feſto*; nec additur articulus in Græco contextu; ideo plurali numero ſum uſus, & κατα, cujus vis hic eſt diſtributiva, verti *ſingulis*. Intelliguntur enim tres illi ſolennes dies feſti, nempe Paſcha, Pentecoſte & Tabernacula: Quod oſtendit non additus articulus, quamvis Paſchæ feſtum ſpeciatim nominet Johannes. Sic autem κατα cum ſingulari quoque nomine ſumitur diſtributive, ut Tit. : 5. κατα πολιν, *oppidatim*, & Act. 2: 46. κατ' οικιαν, *matim*. Hæc *Beza*. Cui ERASMUS SCHMIDIUS ffragatur, quum ad Matth. 27: 15. hunc in modum ibat: „Κατα δε εορτην. Non tantum intelligendum oc videtur de feſto Paſchatis, ſed & de reliquis feis Judæorum, Pentecoſte nimirum & Scenopegia. deo & articulus eſt omiſſus, ut fieri ſolet, quando κτα diſtributionem notat, ut κατ' ημεραν, *quotidie*, *ngulis diebus*. Matth. 26:55. Κατ' ετος vel κατ' ενιαυτον, *uotannis*, *ſingulis annis*. Plato κατα μηνας *ſingulis menbus*, κατ' ανδρα *viritim*. Act. 2: 46. κατ' οικον *domam*, Tit. 1: 5. κατα πολιν *oppidatim*. Quod Thucyd.

„Lib. I. κατα πολεις effert. Sic h. l. κατα εοϱτην, *ſingulis* „*feſtis*, ut Luc. 23: 17. & Marc. 15: 6. Ad quem lo- „cum Syrus Interpres univerſalem particulam addidit. „Quod ſi articulus additus fuiſſet, utique tantum „præſens, vel tum inſtans, feſtum Paſchatis notaret, ut „26: 5. μη εν τη εοϱτη. Ita nimirum voluerunt ſua fe- „ſta ſolenniora & ſplendidiora facere Judæi, ſi ſcele- „ratiſſimos quosque, quos tamen lex Dei è medio tol- „lere juſſit, impune dimitterent. Johannes vero 18: „39. in ſpecie ex re præſente de Paſchate loquitur. „Quod ſenſum tamen univerſalem apud tres reliquos „Evangeliſtas non tollit. Hucusque *Schmidius*. Hiſce concinit COCCEJUS, dum *Diſſert. ſel. 37. §. 10. Oper. T. VI.* ſcribit: „Κατα δε εοϱτην, ſine articulo; ſic etiam „Marc. 15: 6. & Luc. 23: 17. Sed Johannes 18: 39. di- „cit εν τω πασχα. Non quod tantum in Paſchate is mos „obtinuerit, ſed quod & in Paſchate. Nam quod re- „liqui Evangeliſtæ dicunt, de omnibus feſtis intelli- „gendum eſt, quia non additur articulus. Et ſic qui- dem *Coccejus*. Haud longe ab hac quoque ſententia abeſt ISAACUS CASAUBONUS, qui in *Exerc. 16. §. 19. ad Annal. Eccleſ. Baronii. p. 423.* hæc ſcripta re- liquit: *Melius igitur* εν τω πασχα, (Joh. 18: 39.) *in Paſcha, interpretabimur laxe & ſimpliciter, tempore feſti Paſchatis & azymorum. Quare Matthæus & Marcus dicunt, libera- tionem hanc fieri ſolitam* κατα εοϱτην, *tempore feſti hujus, quod plurium fuit dierum. Niſi malit aliquis extendere illa verba ad feſta etiam alia nobiliora: Non enim dixerunt Matthæus & Marcus* κατὰ δὲ τὴν ἑοϱτὴν, tempore hujus feſti, *ſed ambo ſine articulo* κατὰ δὲ ἑοϱτὴν, tempore fe- ſti, *quod Gallice diceremus: és fêtes, vel etiam à chaque fête.* Docti judicent. Mihi quidem articulus non temere videtur prætermiſſus. Evolve BYNÆUM *de Mort. Jeſ. Chr. L. III. p. 94.* ſeqq.

§. VI.

Verum enim vero nullam hactenus ſatis idoneam videre potui rationem, quæ mihi perſuadere poſſit, hunc

hunc ritum dimittendi reum, omnibus prænominatis festis fuisse communem. Non enim id verba Evangelistarum, Matthæi, Marci & Lucæ, *κατὰ ἑορτὴν* evincunt. Observari autem primo meretur, sub voce ἑορτή, PASCHATIS *seu azymorum festum κατ' ἐξοχὴν* passim venire. Sic Joh. 4: 45. legimus, Galilæos Christum, quum eorum terras ingressus est, excepisse, πάντα ἑωρακότες, ἃ ἐποίησεν ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν τῇ ἑορτῇ. καὶ αὐτοὶ γὰρ ἦλθον εἰς τὴν ἑορτήν, *utpote qui omnia vidissent, quæ fecerat Hierosolymis in festo, quandoquidem & ipsi ad festum venerant.* Fuisse autem hoc Paschatis festum, ex collocatione loci Joh. 2: 13. facile colligitur, ubi Jesum *Paschatis festum* frequentasse indicatur. Præterea hocce festum simpliciter ἑορτὴν dici, haud obscure ostendunt verba Joh 5: 1. *Post hæc,* inquit, *erat ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, festum Judæorum, & ascendit Jesus Hierosolymam.* Ut vero ita statuamus, ipsius Christi verba v. 35. præcedentis capitis suadent, ubi discipulos suos hunc in modum alloquitur: Οὐχ ὑμεῖς λέγετε: ὅτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται. Ἰδοὺ λέγω ὑμῖν: Ἐπάρατε τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν, καὶ θεάσασθε τὰς χώρας, ὅτι λευκαί εἰσι πρὸς θερισμὸν ἤδη. *Nonne vos dicitis: Adhuc quatuor menses sunt & messis veniet? Ecce dico vobis: Attollite oculos vestros & videte regiones, quoniam albæ sunt jam ad messem.* Ingeniosa quidem & observatu dignissima est HEINSII *in Aristarcho suo p. 186.* in hunc locum sententia, statuentis, τετράμηνον dici eam partem anni, in qua duo *legalim*, Pascha & Pentecoste, concurrerent, quorum altero initium, altero finem sumebat messis, ut sensus sit, τετράμηνός ἐστιν, ἐν ᾧ θερισμός, *quadrimestre spatium est, in quo messis*, adeo ut hoc quindecim aut circiter ante Pascha diebus dicatur; decimo quinto enim Nisan primus erat festi dies postridie, id est, decimo sexto, mittebatur falx in messem, ut apparet ex Deut. 16: 9. & novarum frugum manipulus offerebatur. Levit. 23: 11. Egregium sane hoc dici posset inventum, si modo constaret, solere Judæorum annos in ejusmo-

di quadrimestrium trientes dividi, aut primos quatuor anni menses, in quos duo illa festa incidebant, peculiari appellatione τετράμηνον fuisse nuncupatos. Quod si autem Judæorum monumenta consulamus, oppido inveniemus, eos quidem primo quadruplex anni initium statuisse, & primum quidem à mense Nisan, à quo festa disposita & Regum Hebræorum anni supputati; alterum à mense Tisri, quo in contractibus faciundis & numerandis Jubilæis & annis Sabbaticis utebantur; Tertium est à mense Elul, à quo annus pro pecorum decimatione incipiebat; Quartum tandem erat à XV. die mensis Schebhet, unde tempus decimandorum fructuum ex arboribus figebant. Hæc quoad diversa anni principia traduntur. Quemvis autem annum in sex tempestates dividebant Judæi, videlicet זרע *sementem*, חורף *hyemem*, קור *Frigus*, קציר *Messem*, קיץ *Æstatem*, חום *Calorem*; quarum quævis duos menses integros complectebatur. Qua de re, cui volupe est, ipsos adire fontes, *Misch. Rosch. Hasch. c. I. & Gem. Bab. Bava mezia. fol. 106. fac. 2.* vel etiam, si lubuerint, quæ ex his in *Commentario nostro de Decimis Judæorum Exercit. IV. §. 6. 11. & sqq.* fusius diximus, evolvat. Quum itaque ejusmodi anni Judaici in quadrimestria divisio, quam *Heinsii*, erudita quidem loci, quem præ manibus habemus, expositio exigit, vix aliquo testimonio probari possit, tutius ibimus, si Johannis locum simpliciter, veluti verba jacent, exponemus. Nam & hoc modo (licet etiam *Heinsii* explicatio nihil obstet) illa evincent, quod probandum nobis incumbit, videlicet, Joh. 5: 1. per vocem ἑορτή, simpliciter positam, festum Paschatis indigitari. Etenim Christus in allocutione sua ad discipulos Joh. 4. indicat, quatuor ante messem sive Pascha menses per Samariam in Galilæam profectum fuisse, unde ad festum illud, cujus Joh. 5: 1. meminit, reversus fuit; at quatuor mensibus ante messem & Pascha

Pascha & Pentecoste & Tabernaculorum festum superioris anni transacta erant. Jam autem manifestum est, Christum illa verba Joh. 4: 35. eo tempore elocutum fuisse, quo quatuor adhuc menses ad messem usque residui erant; atque ita illud Pascha, quod in sequentem annum incidebat, intellexisse dicendus est. Quum enim messis in Judæa, statim, nisi illam cœli inclementia inhibuisset, post Pascha in ipso mense Nisan contigerit, sequitur, Christi verba ad mensem Cislev, qui quartus retro Nisan est, referenda esse, quo Pentecostes & Tabernaculorum festa celebrata jam erant. Nihil itaque reliquum est, quam ut dicamus, per ἑορτὴν Joh. 5: 1. *Paschatis festum* intelligi. Sed probabiliora demonstrantibus lubentes cedemus. Cetera loca, quibus ἑορτὴ de Paschatis festo κατ᾽ ἐξοχὴν sumitur, prætermittimus.

§. VII.

Quum igitur PASCHA eminenter ἑορτὴ dicatur, quid impedit, quo minus hanc vocem eodem sensu in ll. cc. intelligamus, præsertim, quum pro substrata de passione Christi historia, nullum aliud, quam azymorum festum, locum habere possit. Neque hic quicquam impedit, quod à tribus Evangelistis Matthæo, Marco & Luca, articulus omissus sit. Sed inde, quod voces κατὰ ἑορτὴν *sine articulo* positæ, nondum sequitur, eas *singulis festis* interpretandas esse; etenim articulum apud Græcos omitti, adeo inusitatum non est. Vel ponamus, κατὰ ἑορτὴν significare, *singulis festis;* sed neque tum statim sequeretur, tria illa festa, Paschatis nempe, Pentecostes & Tabernaculorum, reliquis ob populi frequentiam solenniora notari, sed Paschatis tantum, quod singul s annis recurrebat, sic ut κατὰ ἑορτὴν idem esset, ac *singulis* Paschatis *festis.* Quem in modum ERASMUS *ad Luc. 23: 17.* exposuit, inquiens: Κατὰ ἑορτὴν, *singulis festis. Nam Pascha recurrebat quotannis.* Vel si quis malit, hæc ver-

ba sine ulla torsione ita paraphrastice reddere poterit: Κατὰ ἑορτὴν, *secundum* (quam significationem præpositio κατὰ non abnuit) *naturam aut qualitatem festi*; quod cum Luca græce exprimeres κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἑορτῆς, *juxta morem festi*. Luc. 2:42. Et tandem, si hic mos singulis obtinuisset festis, ἑορτῆς vocabulum absque dubio in plurali positum, aut adversæ parti probandum esset, eam in singulari sumtam, κατ' ἐξοχὴν tria illa festa majora significare, quod tamen difficulter procedet. Si forsitan hic authoritatibus dimicandum foret, ad ERASMUM, PISCATOREM, G. I. VOSSIUM, CLOPPENBURGIUM, L. CAPELLUM, H. GROTIUM, DE DIEU, LIGHTFOOTUM, haud obesæ naris viros, nobiscum sentientes, provocaremus, quorum scripta evolvat, cui vacat.

§. VIII.

Sed vellent forte quidam, inde, quod tribus semel atque iterum allegatis festis Judæi reos suos extremo supplicio afficere soliti fuerint, inferre, iisdem solennitatibus morem tales *dimittendi* obtinuisse. Id quidem diffitendum non est, apud Judæos, juxta eorum παράδοσιν insigniores reos festorum tempore morte plecti consuevisse. Quem morem ex Deut. 17: 12. 13. evincere conantur, quandoquidem ibi legitur: *Et vir, qui aget superbe, ut non auscultet sacerdoti, qui stat ad ministrandum ibi Domino Deo tuo, morietur is ipse vir, & auferes malum ex Israele;* וכל העם ישמעו ויראו ולא יזידון עוד *& omnis populus audient & timebunt, & non superbe agent amplius.* Hinc RASCHI, ABARBANEL, aliique ad h. l. commentatores, ideo quod dicatur, *& omnis populus audiet, &c.* contendunt, ejusmodi sontis supplicium ad festum anniversarium לרגל dictum, h. e. vel Pascha, vel Pentecosten, vel Scenopegiam, dilatum fuisse, quippe tum omnis undique populus Jerosolymam sacrorum causa confluebat. Petita hæc expositio,

ſitio, ſine dubio, eſt ex *Miſchna Sanhedrin, C. X. §. 4.* ubi de ſupplicio hominis מוסיף על דברי סופרים *addentis ad verba ſcribarum*, hæcce traduntur: אין ממיתין אותו לא בבית דין שבעירו ולא בבית דין שביבנה אלא מעלין אותו לבית דין הגדול שבירושלים ומשמרין אתו עד הרגל וממיתין אותו ברגל שנאמר וכל העם ישמעו ויראו ולא יזידון עוד: דברי רבי עקיבא רבי יהודה אומר אין מענין את דינו של זה אלא ממיתין אותו מיד וכותבין ושולחין בכל המקומות איש פלוני בן איש פלוני נתחייב מיתה בבית דין: *Non occiditur à judicibus civitatis ſuæ; non à Synedrio, quod Sabhne eſt. Sed ad ſummum Senatum Hieroſolymam deducitur, atque iſthic in cuſtodia aſſervatur usque ad feſtum, & in feſto interficitur. Q. D. E.* Et totus populus audiet & timebit, neque amplius præfracte agent. (Deut. 17: 13.) *Verba ſunt R. Akiba. Sed R. Judas ait: Non reddunt acerbum ejus judicium dilatione longa, ſed quam primum eum occidunt, literasque conſcribunt, & nuntios undiquaque dimittunt, hac formula: Vir ille N. N. filius illius N. N. ex ſententia Senatus ſupplicio affectus eſt.* Differunt hic quidem inter ſe *R. Akiba* & *R. Judas*, verum ex interpretum conſenſu הלכה כרבי עקיבא *Deciſio eſt juxta verba R. Akibæ*, aſſerentis, hominem ſapientum traditionibus refragantem, Hieroſolymis tempore feſti ſolennis, quo Iſrael univerſus ex lege divina congregatus erat, capitis ſupplicio plexum eſſe; quo Iſraelitæ omnes, triſti ſpectaculo moniti, diſcerent, non temnere Rabbinos, ſed eorum dictata ut totidem oracula revereri. Atque juxta deciſionem hanc totidem ferme verbis MAIMONID. *in Hilc. Memar. c. 3. §. 8.* ſententiam ſuam pronuntiavit. Elegantem interim conjecturam, quam ex hoc ritu circa Salvatoris noſtri condemnationem JOH. JAC. HULDRICUS deduxit, in ejus *Hiſt. Jeſch Nazareni, p. 89.* legere poteris. Quamvis vero hæc ita ſeſe habuerint, ut ſingulis tribus feſtis

majoribus supplicia in eximios fontes peracta fuerint, tamen inde nondum sequitur, morem dimittendi quendam reorum iisdem omnibus communem fuisse. Nam, præterquam quod credibile non sit, Romanos Judæorum subactæ genti frœna adeo laxasse, ut singulis festis captivum dimitterent, quem ipsa vellet; perpendi meretur, rationem festi vel Pentecostes vel Scenopegias ejusmodi ritum nullatenus admisisse. *Pentecostes* enim festum, quod Levit. 23: 15. חג השבועות *Festum septimanarum* dicitur, juxta quosdam in memoriam datæ legis institutum erat, unde illud יום מתן תורה *dies νομοθεσίας* appellatur; quod tamen ABARBANEL *in Leg. fol. 262. c. 3.* vehementer negat. Alii vero, quod & multo probabilius est, illud in gratiarum actionem pro integra messe præceptum esse, pertendunt, quam ob rem etiam חג הקציר *festum messis*, (scilicet triticeæ, quæ hordeacea serior erat) cluet. Quoad originem & causam *festi Tabernaculorum*, ejus instituti ipse Deus, Levit. 23: 13. hanc dat rationem, *ut secuturæ ætates scirent, Deum fecisse, ut Israelitæ habitarent in tentoriis, quum ex Ægypto educerentur*. Alii addunt, quod *Succoth* primus locus dictus fuerit, ad quem post fugam suam appulerunt & ubi tentoria struxerunt. Nec desunt tandem, qui putent, in memoriam quoque divini mandati de extruendo Tabernaculo conventus hoc Festum fuisse institutum, quod tempus utriusque conveniat. Jam vero quænam ex hisce rationibus, propter quas duo hæc festa præcepta, cum ritu dimittendi reum in illis convenire, quisque inter hunc & illas nexus excogitari potest? Sed è contra, alienum non est, *Paschatis* potius festo, quam alio, dimissum fuisse captivum, ut educti olim ex Ægyptiaca captivitate populi monumentum esset.

§. IX.

At jure quis mihi acclamaret: me hucusque pro

pro demonstranda & asserenda hac sententia inanem impendisse operam, &, uti dici solet, de lana caprina disputasse; Cui enim usui tantus argumentorum apparatus, quum ipse sacer Codex de rei veritate quemvis convincat, & ritum dimittendi reum *solo Paschatis festo* obtinuisse, totidem verbis adstruat? Equidem quid clarius verbis JOH. 18: 39? ubi Pilatus, animo Servatorem nostrum dimittendi, sævientem Judæorum turbam hocce modo alloquitur: Ἔϛι δὲ συνήθεια ὑμῖν, ἵνα ἕνα ὑμῖν ἀπολύσω ἐν τῷ πάσχα. *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis*, Ecquando? *in Paschate*, inquit. Apodicticum certe & omni exceptione majus argumentum, hanc consuetudinem nonnisi illo festo obtinuisse. Quo sensu etiam NONNUS *Panopolitanus* Johannis verba παραφράζει, dum canit:

- - - Ἀρχεγονὸν δὲ
ὑμῖν πάτριόν ἐϛὶν ἐτήσιον, ὄφρα κεν ὑμῖν
ἐκ φυλακῆς καλέσας ἕνα δέσμιον ἀνέρα λύσω,
ὁππότε εὐαγέος τοῦ Πάσχα ἐπῆλθεν ἑορτή.

Quæ ex *Francisci Nansii* emendata interpretatione, ita Latine sonant: *Priscum vero vobis patrium est anniversarium, ut vobis è carcere vocans unum vinctum virum solvam, quando sancti Paschæ advenit festum.* Neque quicquam contrariam sententiam juvabit objicere, Johannem ἐν τῷ πάσχα scripsisse, non, quod tantum in Paschate is mos obtinuerit, sed quod etiam, præter alia festa, in Paschate; nimis enim evidentia sunt S. Evangelistæ verba, quam ut ejusmodi ratiocinium patiantur, utpote quibus consuetudo illa, de qua disserimus, speciatim ad solam Paschatis solennitatem restringitur; sic ut non sine ratione quis mirari posset, quare tam eruditi cetera viri in adversam discesserint sententiam.

§. X.

Missa igitur & adstructa prima de hoc ritu quæ-

 stione,

ſtione, ad alteram, quæ circa illum inter eruditos moveri ſolet, pergimus; inquiſituri ſcil. *unde hujus ritus origo, à Gentilibus vel Judæis, arceſſenda ſit?* Prius aſſerunt plures, quorum proinde mentem ab illis ipſis experiemur. Atque primo ſtatim ſe nobis offert HUGO GROTIUS, à Romanis morem hunc profectum eſſe, aſſerens. Sic enim ille ad Matth. 27: 15. commentatus eſt: *Veterem hunc morem fuiſſe non credo. Nam Lex Moſis erat χωρὶς οἰκτιρμῶν, ut ait ſcriptor ad Heb. 10: 28. ὁ νόμος τὸ ἀσύγγνωστον ἔχει, inquit Scriptor reſponſionum ad Orthodoxos. Nec cuiquam homini data ignoſcendi poteſtas, non Regi, non Synedrio, non populo univerſo. Nam Jonathan, cujus pœnam populus deprecabatur, aut contra æquum ad pœnam poſcebatur à patre, aut certe non ex lege Moſis, ſed ex novo edicto regio; nam in legem nihil peccaverat. David Abſolomo veniam dare auſus non eſt, donec forte propoſitum paterno affectui, Joabo annitente, ſuccubuit. Joabo quoque homicidii pœna dilata, non donata eſt. Rex etiam Sedekias agnoſcit, ſe contra Synedrii ſententiam nihil poſſe. Ipſi autem Synedrio Sameas exitium vaticinatus eſt, quod Herodem accuſatum non condemnaſſet. Quare credibile eſt, a Romanis hoc eſſe. Nam in Livii Hiſtoria invenimus, lectiſternii indictis diebus, vinctis demta vincula; religioni deinde fuiſſe, quibus eam opem Dii tuliſſent, vinciri. Ad hoc exemplum putem, ab Auguſto hanc gratiam conceſſam populo Judaico; idque mandatis Procuratorum fuiſſe comprehenſum. Nam alioquin Præſides Romani nullam habebant ignoſcendi libertatem, ut leges nos docent.* Hanc *H. Grotii* ſententiam GER. JOH. VOSSIUS imitatur; ille enim *Harm. Evangel.* l. 2. c. 5. §. 4. & 5. ita ſcribit: *Hæc conſuetudo non erat a temporibus antiquis; quibus ſi quid contra legem Moſaicam peccatum foret, nulli erat ignoſcendi poteſtas; non Regi, non Synedrio, non toti populo. Omnino enim obtinebat, quod divinus ad Hebræos Epiſtolæ ſcriptor ait c. 10: 28. Qui aſpernatus fuerit Moſis legem, abſque miſericordia (χωρὶς οἰκτιρμῶν,) ſub duobus aut tribus teſtibus moritur.*

tur. At profectus is mos a Romanis, qui stante adhuc Rep. lectisternii tempore vincula captivis adimi jussere, ut ex Livio constat. Quomodo cum animati essent, nihil mirum, si Augustus Caesar, ut gratificaretur Judaeis, hoc Praesidibus, quibus nulla alioqui ignoscendi potestas, concesserit, ut in Festo praecipuo, h. e. Paschae, quod saepius ἁπλῶς *festi nomine intelligitur, permiserit iis, uni ex captivis vincula demere, atque eum carcere emittere.* Quibus quoque WILH. GOESIUS, in erudito ejus libro, cui *Pilatus Judex* titulum dedit, hisce verbis p. 49. subscripsit; *Quae* (dimittendi reum in Paschatis festo) *consuetudo, à moribus Senatus Romani originem traxisse videtur, qui* (L. 8. t. 9. ff. ad S. C. Turp.) *ob res prospere gestas, ob diem insignem, publicamve ob laetitiam censere solebat, reorum ut abolitio fieret. Quodque generatim Romae fuit receptum, Hierosolymis quadantenus est adumbratum, dum ageret urbs ea sub Romanis. Ut nimirum in Pascha, quod festum imprimis fuit insigne & celebratum à Judaeis cum multa solennitate, aliquis ob diei festivitatem reorum numero eximeretur.* His annumerare possumus HAMMONDUM, Anglum. Ille quidem locum Matth. 27: 15. ex nostra quidem sententia ita παραφράζει: *Cum autem Paschatis, solennis Judaeorum festi, tempus esset, solebant hoc tempore Praesides in gratiam gentis captivum Judaeum vinculis solvere; quod ut populo esset gratius, licebat ei suffragiis eligere quem vellet.* Verum, quae ad eundem locum de ritus hujus origine annotavit, ab iis, quae ex jam adductis authoribus protulimus, non dissentiunt: *Hic,* inquit, *non erat mos Judaeorum, donec penes eos fuit capitalium judiciorum potestas, sed ad faciendum populum,* (vel, ut CLERICUS correxit, ad faciendum sibi favorem apud populum,) *ejusque favorem Procuratori conciliandum, à Pilato inductus. Similiter Imperatores Valentinianus, Theodosius & Arcadius, jusserunt festo Paschali, omnes Judaeorum vinctos remitti, iis exceptis qui certorum criminum rei erant.* Sed, ut id ὡς ἐν παρόδῳ moneamus, in eo quod HAM-

MON-

MONDUS de Imperatorum Chriſtianorum conſuetudine tradit, omnino erravit. Verum equidem eſt, laudatos Imperatores (quod infra pluribus probabimus;) ob Paſchalem lætitiam carceres aperiri juſſiſſe, verum id non in honorem Judaici ſed Chriſtiani Paſchatis factum, ubi non magis ſolvebantur Judæi quam alii, quemadmodum ab *Hammondi* commentatore, JOH. CLERICO, recte annotatum eſt; qui tamen etiam Judaicæ conſuetudinis originem à Romanis derivat, quum ipſi religio ferme ſit à *Grotii* hypotheſibus diſcedere. Tandem ex Veteribus TITUM Boſtrorum Epiſcopum huic ſententiæ faventem adjungimus, cujus verba MERYLL. *Not. Philol. in Paſſ. Chriſti, ad Joh. 18: n. 9.* ita recenſuit: *Titus Boſtrorum Epiſcopus ad caput 23. Lucæ, Tom. 2. Biblioth. P.P. Græcorum, probabile eſſe exiſtimat, hanc conſuetudinem Romanos ſecundum leges patrias reliquiſſe; ut præſes unum vinctum populo per diem feſtum dimitteret, velut Saul Jonatham ad populi petitionem vita donaverat,* εἰκὸς ἄρσι ὑποσπόνδων γενομένων Ῥωμαίοις Ἰȣδαίων ὥσπερ πάτριον ἦν αὐτοῖς, παρέχειν τινὰ τῷ λαῷ, διετήρȣν Ῥωμαῖοι τȣ̃το.

§. XI.

Equidem & Græcorum & Romanorum olim fuiſſe morem, non tantum, ut diebus religioſis & ſacris à ſuppliciis abſtineretur, ſed etiam ſolenniorum feſtorum diebus vinctos ſolutos fuiſſe, veterum ſcriptorum monumenta paſſim clamant. Et hæc quidem conſuetudo apud Romanos, in LECTISTERNII, pro avertenda Deorum ira, inſtituta ſolennitate, præſertim obtinebat. Habebant quidem Gentiles Romani religionis ſpeciem quandam, qua ipſorum irata Numina mitigatum iri credebant, quæ ſub *ſupplicationum* nomine venit, ubi in placandis Diis *ſupplices* procumbebant, limina oſculabantur, poſti caput allidebant & per templum ad ſacram aram accedebant,

aut

ut ad ſedem ejus Dei, quem placare cupiebant, ſupplices repebant, in quibus etiam crinibus templorum ɔlum verrere matronæ ſolebant. De quo audiendus .IV. *Hiſt. l. 3: c. 7. Et per ignota capita,* inquit, *late evaata eſt vis morbi; inopsque ſenatus auxilii humani, ad Deos ɔpulum & vota vertit, juſſi cum conjugibus ac liberis ſuppliıtum ire, pacemque expoſcere Deum. Ad id, quod ſua uemque mala cogebant, auctoritate publica evocati, omnia elubra implent. Strata paſſim matres crinibus templa ver:ntes, veniam irarum cæleſtium finemque peſti expoſcunt.* imile quid fieri conſuevit, quum hoſtili aliquo nuno perculſa civitas ad Deos & vota confugiebat. .xemplum iterum exhibet LIV. l. 26. c. 9. inquiens: *'omam Fregellanus nuntius, diem noctemque itinere continua›, ingentem attulit terrorem, tumultuoſius quam allatum erat, ırſus hominum affingentium vana auditis, totam urbem con:verat; ploratus mulierum non ex privatis ſolum domibus ϲaudiebatur, ſed undique matronæ in publicum effuſæ circa ›eum delubra diſcurrunt, crinibus paſſis aras verrentes, nixa :nibus, ſupinas manus ad cælum ad Deos tendentes, orantesıe, ut urbem Romanam è manibus hoſtium eriperent, matresıe Romanas & liberos parvos inviolatos ſervarent.* Et unc Romanarum mulierum morem fuiſſe, C. SI:ONIUS ad hunc *Livii* locum, hiſce POLYBII veris confirmat: *αἱ δὲ γυναῖκες πορευόμεναι τὰς ναὰς, ἱκέτευον ὶς Θεὰς πλυνᾶσαι ταῖς κώμαις τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη, τᾶτο γὰρ ιταῖς ἔθος ἐςί ποιεῖν, ὅταν τις ὁλοσχερὴς τὴν πατρίδα καταλαμένει κίνδυνος.* Quæ vix melius, quam citatis jam jam *ivii* verbis, Latine reddes.. Pertinent huc quoque, ıæ de his ſupplicationibus LUCANUS, *Lib. II.* ce.nit:

Hæ lacrymis ſparſere Deos, hæ pectora duro
Affixere ſolo, lacerasque in limine ſacro
Attonitæ fudere comas, votisque vocari
Aſſuetis crebris feriunt ululatibus aures.

Nec

Nec cunctæ summi templo jacuere Tonantis,
Divisere Deos, & nullis defuit aris
Invidiam factura parens, &c.

SILIUS item, *Lib. XII.*

Funditur immistus gemitu precibusque per altos
Ad cœlum muros clangor, sparsæque solutis
Crinibus exululant matres atque ubera nudant.

CLAUDIANUS denique in *Encomio Serenæ uxoris Stiliconis, v. 224.*

Numinibus votisque vocas, & supplice crine
Verris humum. - -

Sed alios *Supplicationum* ritus in P. MERULÆ *Enar. Vet. Rom. Sacrific.* invenies. Nunc nobis redeundum, unde digressi sumus.

§. XII.

Et ad hosce *supplicationum* ritus, illæ quoque solennitates, quas Romani LECTISTERNIA appellitabant, pertinere videntur. Etenim apud eos moris erat, ut nonnunquam placandæ alicujus Dei iræ caussa, convivium in templo illius exhiberetur, Diisque tanquam epulaturis & cubituris, lecti sternerentur. Quam festivitatem, quum ab illa ritus dimittendi reum in Judaici Paschatis Festo, derivari soleat, paululum prolixius describemus; ut scilicet eo clarius patescat, num aliqua inter Judaicum ritum & Romanorum *Lectisternia* convenientia sese offerat. Dum autem hæc ex ipsis fontibus repetere animus sit, vetustiorum scriptorum monumenta adeunda erunt. Ex his vero vix alius erit, qui in hac materia facturus sit satis, quam TITUS LIVIUS *Patavinus*; Ille autem de *Lectisterniorum* origine & ratione *Hist. Lib. V. c. 13.* ita tradit: *Tristem hyemem, sive ex intemperie cœli, raptim mutatione in contrarium facta, sive alia qua de causa, gravis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit.*

Cujus

Cujus insanabili pernicie, quando nec causa nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex Senatus consulto aditi sunt. Duumviri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in urbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum, tribus, quam amplissime tum apparari poterat, stratis lectis placavere. Privatum quoque id sacrum celebratum est. Tota urbe patentibus januis promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt, & cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos, jurgiis ac litibus temperatum. Vinctis quoque demta in eos dies vincula; religioni deinde fuisse, quibus eam opem Dii tulissent, vinciri. En lectisterniorum Romanorum originem & causam. Ad quem vero annum hoc primum referendum sit, non unanimes observo eruditos. CASAUBONUS *ad Suet. Vit. Neron. c. 61.* illud ad A. U. C. 355. alii vero 354. referunt. Qua interim ratione LIVIUS, hoc primum Romæ lectisternium fuisse asserat, nonnulli ambigi posse arbitrantur, cum aliud prius à *Valerio Poplicola*, qui primus cum *Bruto* consul fuerit, celebratum sit, & VALERIUS MAXIMUS *Lib.2.c.4.* meminit. Verum illud ἐναντιοφανὲς tantum non esse, alii censuerunt; ut propterea *Valerius* cum *Livio* sit committendus. Illud enim lectisternium, quod *Livius* primum fuisse ait, ex oraculo Librorum Sibyllinorum institutum erat; Poplicola autem sequebatur exemplum Valesii, vitæ rusticæ, sed viri locupletis. Deinde Livianum illud in honorem Deorum superorum, hoc Valerianum Diti & Proserpinæ, Diis adeoque inferis, factum fuit. Sed non solo hoc citato LIVII loco, verum & alibi in ejusdem historia, hujus lectisternii religionis mentio occurrit, veluti Lib. VII. c. 2. *Et hoc,* inquit, *& sequenti anno, C. Sulpitio Pætico, C. Licinio Stolone, Consulibus, pestilentia fuit. Eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis Deum exposcendæ causa tertio tum post conditam*

urbem

urbem lectisternium fuit. Et quum vis morbi, nec humanis consiliis, nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo, (nam circi modo spectaculum fuerat;) inter alia cœlestis iræ placamina instituti dicuntur. Et iterum Lib. XXI. c. 62. *Romæ aut* (GRONOVIUS legendum putat *&*) *circa urbem multa ea hyeme prodigia facta; aut (quod evenire solet, motis semel in religionem animis,) multa nunciata & temere credita sunt. In queis, ingenuum infantem semestrem in foro olitorio triumphum clamasse; & foro boario bovem in tertiam contignationem sua sponte ascendisse, atque inde tumultu habitatorum territum sese dejecisse; & navium speciem de cælo affulsisse; & ædem Spei, quæ in foro olitorio est, fulmine ictam; & Lanuvii hastam se commisisse; & corvum in ædem Junonis devolasse, atque in ipso pulvinario consedisse; & in agro Amiternino, multis locis hominum specie procul candida veste visos, nec cum ullo congressos; & in Piceno lapidibus pluisse; & Cære sortes extenuatos; & in Gallia lupum vigili gladium è vagina raptum abstulisse. Ob cetera prodigia, libros adiere decemviri jussi. Quod autem lapidibus pluisset in Piceno, novendiale sacrum edictum, & subinde aliis procurandis prope tota civitas operata fuit. Jam primum omnium urbs lustrata est, hostiæque majores, quibus editum est, Diis cæsæ, & donum ex auri pondo quadraginta Lanuvium ad Junonis portatum est, & signum æneum matronæ Junoni in Aventino dedicaverunt, & lectisternium Cære, ubi sortes attenuatæ erant, imperatum; & supplicatio Fortunæ in Algido: Romæ quoque & lectisternium Juventuti, & supplicatio ad ædem Herculis, nominatim deinde universo populo, circa omnia pulvinaria indicta, & Genio majores hostiæ cæsæ quinque, &c. Attilius Serranus prætor vota suscipere jussus, si in decem annos respublica eodem stetisset statu. Hæc procurata votaque ex libris Sibyllinis, magna ex parte levaverant animos religione.* Et tandem L. XXII. c. 10. memorat: *His Senatusconsultis perfectis L. Cornel. Lentulus,* (hic, ex SIGONII sententia, est L. Corn. Lentulus

Cau-

Caudinus, qui Consul cum Q. Fulvio Flacco fuit, inter primum & secundum bellum Punicum;) *Pontifex Maximus, consulente collegium pratore, omnium primum populum consulendum de voto sacro censet; injussu populi voveri non posse. - - Ejusdem rei causa ludi magni voti æris trecentis triginta tribus millibus, trecentis triginta tribus, triente. Praterea bubus Jovi trecentis, multis aliis divis bubus albis atque ceteris hostiis. Votis rite nuncupatis, supplicatio edicta; supplicatumque iere, cum conjugibus ac liberis, non urbana multitudo tantum, sed agrestium etiam, quos in aliqua sua fortuna, publica quoque contingebat cura. Tum lectisternium per triduum habitum, decemviris sacrorum curantibus. Sex pulvinaria in conspectu fuere; Jovi & Junoni unum, alterum Neptuno ac Minervæ, tertium Marti & Veneri, quartum Apollini ac Dianæ, quintum Vulcano & Vestæ, sextum Mercurio & Cereri. Tum ædes votæ. Veneri Erycinæ ædem Q. Fabius Max. dictator vovit; quia ita ex fatalibus libris editum erat, ut is voveret, cujus maximum imperium in civitate esset. Marti ædem T. Otacilius prætor vovit.* Verum, ne quidquam, quod ad rem nostram pertinere videtur, ex LIVIO omittamus, unicum adhuc locum producemus, quo tradit, certa fana templaque fuisse, in quibus lectisternium majorem partem anni fieri solebat. Extat ille L. 36. Ep. c. 1. statim ab initio: *Publium Cornelium Cn. filium Scipionem & Manlium Acilium Glabrionem Consules, inito magistratu, Patres priusquam de provinciis agerent, res divinas facere majoribus hostiis jusserunt in omnibus fanis, quibus lectisternium majorem partem anni fieri solet; precarique, quod Senatus de novo bello in animo haberet, ut ea res senatui populoque Romano bene ac feliciter eveniret.*

§. XIII.

Ex hisce igitur, quæ hucusque LIVIUS nos edocuit, lectisterniorum faciundorum causa & ratio facili labore colligi potest; ea scilicet impendente vel urgente aliquo malo instituta fuisse, id quod prolata

exempla satis superque evincunt. Simile habet TACIT. *Annal. Lib. XV. c. 44.* Ubi, postquam retulisset, quæ humanis consiliis in terribili incendio Romano, quod Neronis tempore accidit, providebantur, ita pergit: *Mox petita à Diis piacula, aditique Sibyllæ libri, ex quibus supplicatum Vulcano & Cereri Proserpinæque, ac propitiata Juno per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare, unde hausta aqua, templum & simulacrum Deæ prosperſum, & lectisternia ac pervigilia celebravere fœminæ, quibus mariti erant.* Ingruentibus calamitosis temporibus, Deorum suorum iram placare conabantur Romani lectisterniorum hac festivitate, quando Diis suis, quorum simulacra pulvinaribus imponebantur, lectos sternebant, eosque ad epulas paratas quasi invitabant, quæ tamen à sacerdotibus consumebantur. Hinc SERVIUS *in Virg. Lib. XII. Æneid.* inquit: *Lectisternia dicuntur, ubi in templo homines sedere consueverant. Notamus, lectisternium in Capitolio sic celebrari solitum: Stratis tribus lectis, convivium tribus Deis apponebatur, Jovi, Junoni & Minervæ. Jovis simulacrum in lectulo reponebatur, Juno vero & Minerva in sellis; sic appositis epulis, non Dei sed septem ipsi epulones celebrabant.* Hæc insuper *lectisternia*, à lectis, qui Diis sternebantur, PULVINARIA quoque appellantur. Haud equidem ignoro, *pulvinar* quandoque apud veteres scriptores ipsum vocari templum, vel illam ejus partem, ubi lecti strati erant. Sed id verum est, *pulvinaria* quoque pro lectisterniis, uti etiam de templis poni. Ut alia loca prætermittamus, unicum proferimus ex TACIT. *Annal. Lib. XIV. c. 12. Miro tamen,* inquit, *certamine Procerum decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria, utque Quinquatrus, quibus apertæ essent insidiæ, ludis annuis celebrarentur.* Vide etiam *Lib. XV. c. 23.* Hinc etiam ARNOBIUS *Lib. VII.* hæc lectisternia ita ridet: *Habent Dii lectos, atque ut stratis possint melioribus incubare, pulvinorum tollitur atque excitatur*

im-

impressio. Qui vero & huc adduci solet HORAT. *Carm. Lib. I. Ode 37.* locus:

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus: Nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus sodales.

id alienum videtur, quum illa Ode HORATIUS sodales suos ob Actiacam Augusti victoriam bibendum & lætandum esse exhortatur, adeo ut illud non supplicationum sed lætitiæ festum fuerit. Præterea quod eos, qui lectisterniorum curam habebant, attinet, hos LIVIUS *Lib. V. c. 13.* *Duumviros* vocat; videntur hi III. viri epulones esse, qui numerus successu temporis ad septem auctus, hinc LUCANUS *Lib. I.*

Septemvirque epulis festus, Titiique sodales.

Et SERVIUS l. c. inquit: *Sic appositis epulis, non Dei, sed septem ipsi epulones celebrabant.* Numerum denique septenarium, tribus additis denuo auxerunt, & hinc *decemviri epulonum* constituti, quod etiam LIV. XXII. c. 10. hisce verbis innuit: *Tum lectisternium per triduum habitum, Decemviris sacrorum curantibus.* Hos si *lectisterniatores* vocare velis, per me licebit, nullibi tamen videre mihi contigit, illam vocem tali sensu, qui sacra lectisternia indicaret, usurpari. Occurrit quidem illa apud PLAUTUM *in Pseud. Act. I. Scen. 2.*

Tibi hoc præcipio, ut niteant ædes: babes quod facias: propera, abi intro.
Tu esto lectisterniator *Tu argentum eluito, idem exstruito.*
Hæc, cum ego à foro revortor, faciet ut offendam parata,
Vorsa, præsterga, strata, lauta coctaque uti sint.

Sed cuivis liquido apparet, PLAUTUM hic per *lectisterniatorem*, talem intelligere, qui mensis lectisque sternendis, non quidem in sacris, sed communibus epulis præest; adeo ut ad rem nostram nihil quidquam faciat.

§. XIV.

Id tamen, quod in re præsenti maxime præcipuum, & ex veteri lectisterniorum ritu cumprimis derivandum nobis est, in eo consistit, quod etiam in illorum festivitate captivi vinculis suis soluti fuerint. Quem morem LIVIUS l. V. c. 13. hisce exprimit verbis: *Vinctis quoque demta in eos dies vincula, religioni deinde fuisse, quibus eam opem Dii tulissent, vinciri.* Hanc consuetudinem, ut multas alias, Romani forsan à Græcis petierunt, utpote quibus, ut jam supra præmonuimus, in more positum fuit, solennioribus festis vinctos dimittere reos. Sic apud Athenienses fuit νόμος ἐν τοῖς δεσμοφορίοις, λύεσθαι τὰς δεσμότας, *lex, qua in Cereris festo vinctos dimittebant.* ULPIANUS (quem locum nobis CASAUBONUS *ad Suet. Vit. Ner. c. 61.* suppeditavit) ad DEMOSTHENIS illa verba: πολλὰς πενταετηρίδας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ διατρίψαντα, ex oratione κατὰ Τιμοκράτȣ, sic notat: Οὐχ ἁπλῶς τȣ̃το εἶπεν, ἀλλ᾽ ἐπειδὴ κατὰ πέντε ἔτη ἤγετο τὰ παναθήναια, τότε δὲ ἐξῆν ἀφεῖσθαι τȣ̃ δεσμȣ̃ τȣ̀ς δεσμότας διὰ τὴν πανήγυριν, ὡς ἔγνωμεν ἐν τῷ κατὰ Ἀνδροτίωνος. Certe hæc Romanorum lectisterniis conveniunt, quæ à Græcis celebrata esse, alii quoque testantur authores. SCHOLIASTES PINDARI, *Olympionicorum Oda prima*, de Atheniensibus refert: διὰ τιμῆς ἦγον οἱ Ἀθηναῖοι τὸν Αἴαντα, ὡς μὲν μόνον Ἀιαντίδα φυλὴν ἀποδεῖξαι, ἀλλὰ καὶ κλίνην αὐτῷ κατὰ πανοπλίας κατακοσμεῖν. *ÆMILIUS PROBUS in Timotheo* retulit: *Quæ victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tum aræ Paci publice sint factæ, eique Deæ pulvinar sit institutum.* PAUSANIAS in Arcadicis: Κλίνη τε ἱερὰ τῆς Ἀθηνᾶς καὶ αὐτῆς εἰκὼν γραφῆς μεμιμημένος ἀνάκειται. IDEM

ille

ille in *Phocicis* de templo quodam Æsculapii: Κλίνη δὲ ἐν δεξιᾷ κεῖται τῦ ἀγάλματος. *VALERIUS MAX. Lib. II. c. 10.* ubi de Harmodii & Aristogitonis imaginibus agit: *Rhodii quoque*, inquit, *eas urbi suæ appulsas; cum in hospitium invitassent, sacris etiam pulvinaribus receperunt.* Atque talem apud Græcos morem obtinuisse, jamjam laudatus CASAUBONUS *ad Suet. Vit. Jul. Cæs. cap. 76.* primum se observasse putat. Congessit interim, quæ huc pertinent, nonnulla *URSINUS in Analect. sacr. l. 1. c. 41.* Qui etiam observat, dictu non facile esse, num hæc talia ex antiqua traditione, de liberatione hominum ex damnationis ergastulo, an vero ratione inventa sint, quod Deum propitiaturos deceat, hominibus se placabiles exhibere, honoremque habere sacris locis & antistitibus, nostris ad Deum deprecatoribus, hunc conveniat? Suasit equidem ratio, *fundendum esse merum Genio, non hostiam faciundam,* ut ait CENSORINUS *de die natali, c. 2.* Quam VARRONIS sententia exponit: *Id moris institutique majores nostri tenuerunt, ut cum die natali Genio munus annale solverent, manum à cæde ac sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent.* In *Atticis.* Sic de Quinquatribus OVID. *Lib. III. Fast.*

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Causa, quod est illa nata Minerva die.

§. XV.

Jam vero, postquam satis diu lectisterniis inhæsimus, eo pervenimus, ut inquiramus, num mos dimittendi reum in Paschatis Judaici festo, ex Gentilium religione, vel in specie lectisternii Romani solennitate, quod H. GROTIO placuit, ortus sit. Quod si totam hanc rem æqua animi lance perpendamus, vix credi posse videtur, Judæos, tum temporis, idololatricos Gentium mores imitatos. Quamvis enim Hebræa gens à pluribus seculis idololatriæ deditissima

ma fuerit, omnesque ferme superstitiosos ritus, quibus diversæ gentes in idolorum suorum cultu usæ fuerunt, utcunque ridiculi, pudendi, spurci, abominandi, supra quod dici aut fingi potest, iis ipsis idolis famulantes usurparint. Equidem soli equos sacrificabant cum Chaldæis & Persis; vitulum eremiticum saltationibus coluerunt & comessationibus, prorsus ut Ægyptii Apim; Ammonitas & Tyrios in filiorum filiarumque immolatione imitati sunt; libationes Syriacas Astarthæ factas, vino & placentis, quas obtulerunt Reginæ Cœli, expresserunt: Verbo dicam, nil tam ineptum & ridiculum, nihil tam obscœnum aut stercoreum, ab ineptissimis idololatris usquam excogitatum erat, seu verius à tenebrarum principe eis suggestum, quin illud prætulerint cultui Dei vivi sanctissimo castissimoque. Quamvis, inquam, hæc omnia, veluti S. literæ passim testantur, ita sese habeant, vix tamen probabile est, Judæos, ex quo eorum terra in Romanæ provinciæ formam redacta erat, illique libertatis amantissimi gravissimum Romanorum jugum subire cogebantur, hujus adeo exosæ gentis ritus atque mores in sacra trahere voluisse; præsertim etiam, postquam infinitis ferme humanis traditionibus, divinam legem sepimento quasi circumdederunt; adeo facile concipi non potest, quomodo peregrini ritus, in favorem illius gentis, quam summo prosequebantur odio, invalescere potuerint.

§. XVI.

Neque insuper ex natura & conditione lectisterniorum Romanorum elici potest, ritum Judaicum in dimissione rei ab illis arcessendum esse, nulla enim hic convenientia inter lectisternia sive Romanorum sive Græcorum & Judæorum Pascha in genere. Quandoquidem lectisternia, solennitates extraordinariæ, & solum magnarum calamitatum tempore in-

indictæ fuerunt, eum quidem in finem, ut Dii ipſorum placarentur: Sed in ratione, cauſa & origine Judaici Paſchatis, nihil quicquam ſimile, quod cum illis comparari poſſit, quum feſtum illud ſtatum fuerit atque fixum, & quidem non tam in recordationem calamitatis alicujus, quam potius prægrandis alicujus & eximii beneficii, libertatis videlicet ex duriſſima ſervitute Ægyptiaca, inſtitutum. Neque etiam in ſpecie, quoad ritum reos vinculis ſolvendi, gentilium mos cum Judæorum conſuetudine convenit, quoniam non unum ſed omnes captivos dimittere ſolebant in lectiſterniis Romani. Hinc certe Pilatus, qui Chriſtum dimittere ſtudebat, Chriſtum cum Barraba ſimul dimiſiſſet; at juxta Judæorum morem nonniſi unus dimittendus erat. Ergo inſtituti Judaici alia, & alia Gentilium ratio erat. Ad hæc, ſi Pilatus animadvertiſſet, Judæos ritum ſuum ad Romanæ religionis imitationem inſtituiſſe, non quaſi coacte, ſed ſponte, illis eo uti conceſſiſſet; jam vero, juxta LUCAM, *oportebat* Pilatum, unum ex vinctis dimittere; fecit id ergo ex lege, quidquid hac in re Judæis Pilatus conceſſit. Hinc inſolens turba inſana vociferatione juris ſui & conſuetudinis executionem petebat. Vide MARC. XV. 8.

§. XVII.

Verum omnium argumentorum, quæ pro adſtruenda noſtra hypotheſi inſervire poſſunt, evidentiſſimum nobis exhibet ipſe Pilatus apud JOHANNEM XVIII. 39. Ἔςι δὲ συνήθεια ὑμῖν, ἵνα ἕνα ὑμῖν ἀπολύσω. *Vos habetis conſuetudinem*, non nos aut Romani, *ut unum* captivorum *vobis ſolvam*. Ex quibus Pilati verbis facili negotio cogitari poteſt, hunc morem à Judæis ipſis ortum, non à Romanis eſſe. Scilicet, fuit hic ritus ex ordine rituum Eccleſiaſticorum, quem adeo cum ceteris connexis exercendi plenam Judæi habuerunt poteſtatem. Equidem Romani Im-

peratores, qui pro magnanimitate & modestia sua subjectos suos & victos patria jura transcendere non volebant, ut JOSEPH. *L. II. c. Apion.* de iis loquitur: Sic quoque Judaicæ genti, subactæ licet, privilegium τοῖς πατρίοις ἔθεσι καὶ ἱεροῖς χρῆσθαι, *patriis moribus & sacris uti*, idem ille *JOSEPH. Antiq. L. XIV. c. 17*: commemoravit, salvum & incolume conservatum fuisse. Vide de hoc argumento egregie & prolixe disserentem WAGENSEILIUM, *in Tel. Ign. Sat. p. 303.* Quum igitur, ceu indicavimus, hic ritus dimittendi reum inter paschales, & consequenter Judæorum sacros ritus numerandus sit, nulla ratione Pilatus evitare potuit, quin ad ritus paschales explendos, juxta imperatorum privilegia, de Judæis in sacris suis non turbandis, unum ex vinctis, & quidem eum quem Judæi peterent, vinculis suis solveret.

§. XVIII.

Dum vero inquirendum nobis est, quænam hujus ritus causa fuerit atque ratio; observandum esse ante omnia putamus, nullam harum ex divina, quæ scripto Judæis tradita est, lege quærendam, quum hoc privilegium nullo divino jure nitatur. Verum fuisse consuetudinem, quam ipsi Judæi ex patrum suorum traditione in se receperunt, atque sic, Romanis Imperatoribus concedentibus, tenuerunt & observarunt. Hinc factum est, ut vix certi quicquam de illius vel origine vel causa afferi possit. Sunt autem qui putant, hanc consuetudinem *in memoriam liberationis Israëlitarum* ex Ægyptiaca durissima servitute institutam. In hujus quidem memoriam PASCHATIS festum celebrandum fuisse constat ex Exod. XII. 17. Sed hoc Judæi non videntur fuisse contenti; superstitio, cui divinæ leges nunquam satisfaciunt, ipsis hunc quoque ritum addere suggessit, quo liberationis à Pharaone recordarentur. Verum aliis placet, hunc morem ortum suum & causam *Jonathani*, ex Saulis

lis interficere ipsum molientis manu, *liberato* debere, qui tamen mediante populi intercessione evasit, ceu legere est 1. Sam. 14: 42. Sed iterum *alii* credunt, ritum hunc adhibitum fuisse in gratiam eorum, qui ex involuntario homicidio, quod nulla inimicitia præcedebat, patrato, Num. 35: 25. tamen in judicum manus inciderunt & mortis periculum subierunt; ne igitur innocens funderetur sanguis, idcirco apud Judæos obtinuisse, ut aliquando captivos solverent. Plane quemadmodum Judæis præceptum erat, flagellandis quadraginta verbera infligere, quum tamen, ne nempe divinam legem transgrederentur, nonnisi novem & triginta infligebant. Vide Deut. 25: 3. 2. Cor. 11:24. *Tandem* arbitrantur nonnulli, quandoquidem hic ritus demum nudius tertius ortus sit, hanc ejus fuisse occasionem: Judæos à Romanis victos, attamen, reos licet mortis, salvatos, impetrasse, ut in memoriam eorum salutis & impetratæ vitæ, quendam ex vinculis & morte liberandum petere potuisse.

§. XIX.

Et hæ quidem sunt diversæ sententiæ vel potius conjecturæ, quibus eruditi causam & rationem Judaici ritus Paschalis de reo dimittendo significare voluerunt. Verum sunt ex illis, quæ minus probabiles mihi videntur. Equidem quoad *ultimam* observandum, Judæos huncce ritum, occasione eorum subjectionis per Romanos institutum in opprobrium exercuisse, quod difficulter credi poterit. Licet facile concedamus, morem istum recentissimum esse, nondum tamen demonstratum est, eum non ante Romanam subjectionem obtinuisse inter Judæos, neque etiam Judæi Romanorum jussu captivum dimittebant, sed ex eorum liberali concessione, qua ritus suos sacros celebrare integrum ipsis erat. Neque *tertia* sententia aliquo nititur argumento; etenim pro

ejusmodi involuntariis homicidis aſyla erant deſtinata, quæ illos ſine vitæ periculo reciperent, & licet in judicum manus incidiſſent, de ultimo ſupplicio, quamdiu inſontes reperti ſunt, nihil quicquam timendum ipſis erat, modo in fuga ad aſylum, Goëlis ſeu vindicis ſanguinis manus evadere potuerint. Conſtituebantur tamen omnino tales homicidæ coram judicibus illius tractus, ubi cædes patratæ, qui illos ſollicite & exquiſite examinarunt, quosque involuntarium homicidium commiſiſſe deprehenderunt, illis extra omne vitæ diſcrimen aſyla repetere permiſerunt, ubi ad mortem usque Pontificis Maximi commorandum fuit. Adeoque cuivis perſpicuum eſt, Judæos nullam habuiſſe rationem, cautelam aliquam, ne innocens effunderetur ſanguis, excogitandi, quum de eo in divina lege de aſylis ſatis cautum ſit. Et quis inſuper imaginari ſibi poterit, ſingulis Paſchatis feſtis nonniſi unum inſontem, quem dimitterent, fuiſſe? Vel ſi plures fuerunt, & unicus tantum dimittendus, ceteri ſupplicio plectendi, certe hic ritus parum ad Judæorum ſcopum juvit. Verum non opus eſt plura dicere, quum res ipſa in propatulo ſit. *Secunda* ſententia, ac ſi hic ritus in memoriam liberati Jonathanis inſtitutus fuiſſet, vix cuiquam ſe probabit. Nam præterquam quod Iſraelitæ illius temporis legi divinæ, præſertim illi quæ ſacra ſpectat, aliquid, quod ei contrarium fuiſſet, ſuperaddidiſſe, vix credendi ſint; Concedi non poteſt, hunc Paſchalem ritum adeo antiquum eſſe, ut à Saulis temporibus repeti debeat, præſertim quum illius nullibi inveniantur veſtigia; ortus hujus moris procul dubio ad poſtremos, & quidem degeneres legisque divinæ contemtores, Judæos referendus. Neque etiam video, qua ratione Iſraelitæ memoriam ſalvati Jonathanis tali conſuetudine & quidem Paſchatis feſto recolere voluerint: Saul enim facile ab Jonathanis ſupplicio, populi precibus,

cibus, abstinere potuit, quum in legem divinam nihil peccaverit, nam solummodo ex novo edicto regio ad pœnam poscebatur. Quid ergo opus, in hujus facti memoriam solennem Paschalem ritum vel instituere vel fingere? *Prima* ergo nobis restat sententia, quæ hunc ritum *in memoriam exitus ex Ægyptiaca servitute* institutum statuit. Procul dubio hæc ceteris omnibus probabilior est, quum enim Israelitæ in Ægypto quasi in carcere inclusi & duri habiti fuerint, putasse videri possunt, liberationem suam ex illa servitute commodius ob oculos sibi ponere, & illius recordari melius vix posse, quam si quendam vinctum & captivum in Paschatis festo, in ejusdem liberationis recordationem celebrando, dimitterent liberum. Sane hic ratio ritus ejusque tempus conveniunt. Sed ad quam ætatem hujus ritus origo referenda sit, vix quicquam certi definiri poterit, adeo de illo silent Judaicarum rerum scriptores, quamvis illum inter recentiores & Patrum παραδόσεις numeremus. Id ex antea dictis colligi poterit, eum Romanam subjugationem præcessisse, quum Procuratoris Pilati verba supponant, morem hunc Judæos ut suum exercuisse, quem etiam nunc exercendi & observandi libertatem habeant. Cogitavi aliquoties, num à Maccabæorum temporibus derivandus sit, sed ejus nullum invenire potui vestigium. Tutius igitur erit, nihil determinare, licet ejus ortum ad illa tempora, quibus lex Judæorum oralis augmentari & scriptæ præferri cœpit, referamus.

§. XX.

Quod si nunc ipsam hujus consuetudinis *dimittendi reum in festo Paschatis* naturam penitius inspicimus, quivis illam, ut *impiam*, irreligiosam, divinæque legi contrariam animadvertet. Erat siquidem divina per Mosen lata lex χωρὶς οἰκτιρμῶν, *sine omni misericordia*, Hebr. 10: 28. Nec cuiquam homini data ignos-

noſcendi poteſtas, non Regi, non Synedrio, non populo. Vide, quæ ſupra §. X. ex GROTIO protulimus. Differtur quidem aliquando necis pœna ob graviſſimas cauſas, nunquam tamen ſine piaculo auferturs; præſertim in homicidii cauſa, quod omnes & divinæ & naturales & civiles quarumcunque gentium leges, morte plectendum eſſe jubent; & tamen ſceleratiſſimi Judæi peſtilentiſſimum introduxerunt morem, quo atrociſſima ſcelera patrantibus venia dari poterat. Nec juvat verpos, conſuetudinem ab antiquo ſervatam & uſitatam prætexere. Quoties enim conſuetudo cum Lege & expreſſo Dei Verbo pugnat, quantumvis longa fuerit apud quosvis, mala, vitioſa & damnanda eſt. Quod enim in ſe malum & injuſtum eſt, nunquam diuturnitate temporis, aut approbatione multitudinis, bonum vel juſtum fieri poteſt. Lex Dei apud Judæos jubebat, ut ſcelerati è medio tollantur & innocentibus parcatur, qua lege ſine dubio incolumitati Reipublicæ conſultum erat. Traditio autem Phariſaica, conſuetudine confirmata, volebat uni alicui ſceleratorum in ſingulis Paſchatis ſolennitatibus contra legem Dei parci, quæ ſane conſuetudo mala, vitioſa & damnanda erat. CYPRIANUS igitur recte, cum ait: *Non hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem. Veritati enim Dei,* ut *TERTULLIANUS* ait, *nemo præſcribere poteſt, non ſpatium annorum, non patrocinia perſonarum, non privilegia regionum; quia Chriſtus, qui in æternum manet, veritatem ſe, non conſuetudinem cognominat.* Equidem in rebus politicis, id de conſuetudine pro lege quaſi obſervari poterit: Ubi lex deficit, tenenda eſt conſuetudo, ſi non eſt iniqua, hoc eſt, ſi non pugnet cum divina lege. Atque hoc vult dictum illud: *Valere debet conſuetudo longo tempore confirmata, ſi præter jus & non contra jus aliquid approbat; tunc enim legis vim habere videtur.* De parcendis autem ſceleratis hæc *re-*

gula

gula traditur: Quando legis extrema voluntas mitigationem admittit, reusque sine graviori pœna emendari potest, neque etiam hominum societas exemplo offenditur, omnino magistratus Christianus Dei exemplo pœnam mitigare & supplici parcere potest. Sed alia ratio Judaicæ consuetudinis fuerat; certum enim atque perspicuum cuivis esse potest, in reo aliquo solvendo delictorum rationem habitam omnino nullam, sed dimissum eum, quemcunque peterent Judæi, ita ut hominibus scelestissimis & quam maximè facinorosis facta fuerit gratia. Ipsius CHRISTI exemplum præsto est, quem, quia Pharisæorum traditiones, utpote divinæ legi contrarias, sæpius perstrinxit, ipsosque Pharisæos haud una vice vivis depinxit coloribus, ut blasphemantem reum mortis judicarunt; profligatissimum autem & nequissimum latronem BARRABAM vinculis solvi petierunt. Habebant enim consuetudinem, cujus tenore Procurator Romanus ipsis Paschatis solennibus, illum, quem Judæi expetebant captivum, vinculis suis solvere coactus fuerat.

§. XXI.

Sed dixerit forte quis, nos nimis in Judæos invehi, quum & ipsi Imperatores Christiani primorum seculorum, Valentinianus, Theodosius & Arcadius, similiter festo Paschali vinctos remitti jusserint, veluti apud H. GROT. *ad Matth. 27: 15. de Jure B. & P. L. I. c. 2. §. 10. BRISSONIUM de spectacul. & feriis. p. 54. seqq. PETAV. in not. ad Epiphan. T. II. p. 365. CAVEUM de primo Christianism. p. 202*, & alios, legere est. Videamus igitur, quas hac de re Constitutiones prænominati Imperatores reliquerint; experiemur autem statim, eas esse tales, quibus, ut primo die Paschali, omnium in carcere clausorum, nisi ob certa crimina, quæ lex enumerat, vincula dissolverentur, præcipiatur. Ac primum Imperatoris VALENTINIA-

NIANI, VALENTIS & GRATIANI Constitutio 3. Non. Maji, Lupicino & Joviano, (quem alii quidem vel Jovinum, vel Jovinianum, sed BRISSONIO judice, male nuncupant) COSS. id est, anno à Christo nato 366. data in Cod. Theodos. refertur sub tit. de indulgentiis crimin. in hæc verba: *Ob diem Paschæ, quem intimo corde celebramus, omnibus, quos reatus adstringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus. Attamen sacrilegus, in majestate reus, in mortuos veneficus, sive maleficus, adulter, raptor, homicida, communione istius muneris separentur.* Iidemque Principes anno sequenti, secundo priorum duorum consulatu, aliam constitutionem ediderunt, quæ in eodem Cod. Theod. Tit. legitur. Ea sic habet: *Paschæ celebritas postulat, ut quoscunque nunc ægra exspectatio quæstionis, pœnæque formido sollicitat, absolvamus. Decretis tamen Veterum mos gerendus est: nec temere homicidii crimen, adulterii fœditatem, majestatis injuriam, maleficiorum scelus, insidias venenorum, raptusque violentiam sinamus evadere.* Propter quas ea constitutione comprehensas exceptiones Imperator Gratianus, Valentinianus & Theodosius in l. Paschalis eod. tit. ajunt: *Paschalis lætitiæ diem, ne illa quidem temere sinere ingenia, quæ flagitia fecerunt.* Aliam deinde Impetatores GRATIANUS, VALENTINIANUS & THEODOSIUS, Richomere & Clearcho Coss. qui anno salutis reparatæ 383. consulatum gessere, constitutionem ad Martianum vicarium emisererunt, quæ in eodem tit. indulgent. crimin. exstat his verbis: *Religio anniversariæ observationis hortatur, ut omnes omnino periculo carceris metuque pœnarum eximi jubeamus, qui leviore crimine rei sunt postulati. Unde apparet, eos excipi, quos atrox cupiditas in scelera compulit sæviora, in quibus est primum crimen & maximum majestatis, deinde homicidii, veneficiique ac maleficiorum, stupri atque adulterii, parique immanitate sacrilegii, sepulchrique violati, raptus, monetæque adulteratæ figuratio.* At anno post, id est,

Ar-

Arcadio & Bautone (vel, ut CASSIODORUS, *Baudone*, ut SOCRAT. lib. 5. Hist. Eccles. cap. 12. cum MARIANO SCOTO, *Budone*;) Coss. deinceps non exspectanda indulgentiæ suæ rescripta ad laxandas vinctis ob Paschalem festivitatem carcerum fores, constituerunt. Sed ubi primum Paschalis dies extitisset, omnium confestim vincula solvi, nullumque carcere teneri inclusum: quemadmodum ex l. Nemo de Episcop. audient. in Cod. Justinian. & l. Nemo de indulgent. crim. in Cod. Theodos. apparet. Non tamen id beneficii omnibus generaliter & indistincte reis indulgent. Ab iis enim secernunt omnes, quibus dimissis, lætitia communis contaminaretur. *Quis enim*, inquiunt, *sacrilego diebus sanctis indulgeat? Quis adultero vel incesti reo tempore castitatis ignoscat? Quis non raptorem in summa quiete & gaudio communi persequatur instantius? Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quiescere sepultos, quadam sceleris immanitate, non sinit: patiatur tormenta veneficus, maleficus, adulteratorque*, (sic enim melius in Codice Theodosiano, quam in Justiniano legitur *monetæ*, ut BRISSONIUS judicat; attamen in postremo adducta constitutione, etiam *monetæ adulteratæ figurationis* mentio fit;) *homicida, quod fecit semper exspectet: reus etiam majestatis de Domino, adversus quem talia molitus est, veniam sperare non debet.*

§. XXII.

Postmodum Timasio & Promoto Coss. id est, anno salutis instauratæ 389. edita ab Imperatore *Valentiniano, Theodosio & Arcadio* constitutio est, qua sanctos Paschæ dies, qui septeno numero vel præcedunt vel sequuntur, feriatos manere constituerunt. Et eo amplius, in quindecim Paschalibus diebus compulsionem & annonariæ functionis, omniumque publicorum ac privatorum debitorum differri exactionem: ut plenius in l. omnes dies, Cod. de feriis continetur. Secuta est tribus post annis Arcadio A. II. & Ruffino

no Coss. alia constitutio, quæ in l. actus, Cod. de feriis refertur, qua actus omnes sive publicos sive privatos diebus quindecim Paschalibus conquiescere iidem Imperatores sanxerunt: ita tamen ut mancipandi & manumittendi libera cuique eo tempore esset potestas. His vero constitutionibus apte GREGORII NYSSENI verba adjungentur, ex oratione tertia de resurrectione Christi, quæ ex *Brissonio* hoc Latine sonant: *Nullus à Deo ægritudine pressus & obnoxius est, quin per hujus festi* (de Paschate loquitur) *magnificentiam, mali sui remissionem sentiat atque levamen. Hoc die nexi solvuntur, debitor dimittitur, servus bono & humano præconio atque edicto ecclesiæ manumittitur.* Quoad autem superiora decreta, quæ judiciarias quæstiones omnes à Paschalibus diebus, submoverunt, Honorio & Theodosio visum est aliqua exceptione temperare atque moderari, uti BRISSONIUS l. c. indicat. Porro Monachi Eutychis Hæretici in libello supplici ad Pseudo-Synodum Ephesinam, in Actis Chalcedon. Concilii, de die Paschatis loquentes, inquiunt: Καθ' ἣν λύεται μὲν τοῖς πλείςοις τῶν ἡμαρτηκότων ἀπὸ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν τὰ ἐπιτίμια. λύεται δὲ παρὰ τῶν βασιλευόντων ἐπὶ τῶν ἐγκλημάτων τὰ δεσμὰ τοῖς ὑπευθύνοις. Quem locum nobis PETAVIUS, loco quem supra citavimus, suppeditavit, unde etiam ex *CHRYSOSTOMI Homil. XX. ad populum Antiochenum*, themati nostro, quod præ manibus habemus, inservientem, repetemus; verba autem sic habent: Καὶ τί χρὴ λέγειν Κωνςαντῖνον, καὶ τὰ ἀλλότρια παραδείγματα, δέον οἴκοθεν σε, καὶ ἐκ τῶν σῶν παρακαλεῖν κατορθωμάτων; μέμνησαι πρώην, ὅτε τῶν ἑορτῶν ταύτης καταλαβούσης ἐπιςολὴν ἔπεμψας πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης, κελεύουσαν τοὺς τὸ δεσμωτήριον οἰκοῦντας ἀφεῖναι καὶ συγχωρεῖν αὐτοῖς τὰ ἐγκλήματα, καὶ ὡς οὐκ ἀρκούντων ἐκείνων δεῖξαι σου τὴν φιλανθρωπίαν, ἔλεγες διὰ τῶν γραμμάτων, ὅτι εἴθε μοι δυνατὸν ἦν καὶ τοὺς ἀπελθόντας καλέσαι καὶ ἀναςῆσαι καὶ πρὸς τὴν προτέραν ἀναγαγεῖν ζωήν. *Quanquam quid attinet*

Con-

Constantinum aut aliorum exempla memorare, cum te domesticis tuis rebus ac factis incitare oportcat? Meministi nuper, cum eodem illo appetente festo literas toto terrarum orbe misisti, quibus eos omnes, qui in carcere erant, dimitti, eisque condonari crimina jussisti. Tum perinde ac si nondum hæc testificandæ humanitati tuæ sufficerent, in hæc verba scripseras: Utinam ego mortuos ad vitam revocare atque excitare possem! Quibus verbis CHRYSOSTOMUS ex THEMISTII orat. 5. Theodosii senioris clementiam humanitatemque prædicare voluit, quemadmodum PETAVIUS indicat, qui ingenue fatetur, se *Themistii* locum demum ex hac citatione Chrysostomi intellexisse. Quum quidem orationem illam, vulgo persuasum erat omnibus, ad Antiochensem illam procellam calamitatemque referri: quando ob dejectas populari seditione Placillæ statuas exulceratus Imperatoris animus & ad vindicandam majestatem inflammatus, Flaviani Præsulis legatione mitigatus est. Verum PETAVIUS necessariis quibusdam rationibus in *Themistianis notis* ostendit, alio quam ad Theodosianum illud factum spectare Themistium, neque tamen, cujusmodi facinus illud esset, tum extricare potuit; quare ita disputationem suam clausit: *Habent igitur eruditi viri atque historiæ studiosi, in quo quærendo atque enucleando ingenium suum exerceant.* Postea vero, dum Chrysostomi Homil. XX. ad populum Antiochenum percurrebat, in qua de Flaviani legatione & impetrata ab Imperatore venia gratulatur, veram Themistianæ illius orationis historiam & argumenti summam, non sine ingenti animi fructu ac voluptate didicit. Hæc ad illustrationem hujus loci ex ipso *Petavio* addere lubuit, quæ non sine omni usu fore confidimus.

§. XXIII.

Interim quivis ex hisce facile colliget, hunc veterum Christianorum morem in Paschatis festo cele-

bratum alium plane habuisse scopum, quam illam Judæorum divinæ legi contrariam consuetudinem, qua promiscue, quemcunque modo peterent, solvebant reum; sic quoque latrones & homicidas dimittebant, quales tamen, ex Imperatorum Christianorum Constitutionibus, carceribus inclusi manere & ultimum supplicium, prout meruerunt, exspectare debebant. Quum enim prænominatis Constitutionibus, *sacrilegi, in majestatem rei, in mortuos venefici, adulteri, raptores, homicidæ*, totidem verbis ab omni gratia excipiantur, omnino patet, Christianorum morem à Principum misericordia ortum, parum commune cum irreligiosa Judæorum consuetudine habere. Sed in re tam evidenti multam operam impendere, est illam perdere velle.

* * * * *
* * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *
* *

VI.

VI.
PHILALETHI ALMANGAVI
DE
Voluntario
LUDOVICI IV. Bavari
Et
FRIDERICI Pulchri Auſtriaci
Imperii Conſortio,
Aut imaginario aut invalido,

Modeſta Epicriſis,

Virorum Clarisſimorum

JO. FRIDER. BAUMANNI & RAYM. DUELLII

Argumentis oppoſita.

LUCANUS, I, 92.

Nulla fides Regni Sociis, omnisque Poteſtas
Impatiens conſortis erit.

FR. BALDUINUS

De Inſtit. Hiſtor. univ. & ejus cum Jurisprud. conjunct. L. II. p. 176.

Certe ſi in Legum Lectione & Interpretatione dicere ſolemus, Artem æqui & boni eſſe neceſſariam, ut

& Jure ſcripto recte utamur; multo magis, quod ex Hiſtoria profertur Exemplum, ex Lege æſtimandum atque judicandum eſt; Nam & videndum eſt, ne nobis imponat, quæ multis ſæpe impoſuit, κακοζηλία: neve aut Privilegium pro Lege, aut Factum pro Jure temere accipiamus, aut denique cum Facto Jus confuſe miſceamus.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

Veritati Sacrum!

§. I.

QUod de Univerſi olim Imperio ALEXANDER, Regum maximus, ſatis arroganter dixiſſe fertur, *neque Mundum duobus poſſe ſolibus regi, neque Orbem ſumma duo Regna ſalvo Terrarum ſtatu habere*, (a) id majori certe jure ad Regna individua applicari poteſt, quippe *nulla bene geritur Reſpublica multorum Imperiis* (b), ſed *unius Imperii corpus unius etiam animo regendum eſt*. (c) Neque male priſcos ſapientes ita ſenſiſſe, Experientia, optima certe vitæ Magiſtra, teſtatur, cum *Principatum multorum omnis Imperii & diſciplinæ contemtus ſequatur*; (d) Maxime vero ejusmodi æqualem mutuamque ſupremæ Poteſtatis Societatem abhorret Status Monarchicus, in quo quippe Majeſtas Imperantis neque æqualem fert, neque Superiorem; unde etiam veteres noſtri Germani recte aliquando pronunciarunt, *Regii Nominis pluralitatem & quodammodo Regni, hanc autem Populi quoque* Di-

(a) Juſtin. *Hiſt. L. XI. c. 12.*
(b) Dio *p. 87.*
(c) Tacit. *Annal. L. I. c. 12.*
(d) Nicet. *in vit. Alex. M. F. c. 1.*

Diviſionem & ſtudia Partium ſubſequi. (*e*) Prudenti ergo à maioribus noſtris conſilio cautum fuit, ne auguſtale Diadema plurium ſimul Capiti imponeretur, nullumque adeo Imperialis Majeſtatis niſi inter Caput & Membra admitteretur conſortium. Non equidem hic improbo laudabilem iſtam, & Imperii tranquillitati, & Cæſareæ dignitati maxime proficuam; Gentis noſtræ conſuetudinem, vi cujus Rei publicæ, vivente adhuc Imperatore, de idoneo Regni ſucceſſore providet; ſed de actuali & ſimultaneo ipſius Regiminis inter duos pluresve loquor conſortio, quale ex. c. olim inter M. AUREL. ANTONINUM *Philoſophum* ejusque generum L. AUREL. ANTON. VERUM, ſeculo poſt nativitatem Salvatoris noſtri ſecundo interceſſit; cujus certe in Annalibus Teutonum vix unicum adæquatum exemplum reperies. Licet enim LUDOVICI, LOTHARII, LUDOLPHI, OTTONES & HENRICI, à Genitoribus ſuis adhucdum vivis paſſim *Regni & Imperialis nominis conſortes* deſignati fuiſſe legantur, eorum tamen autoritas nunquam eo usque ſe extendit, ut ipſorum Parentibus, absque eorum conſenſu, aliquid in negotiis Regni ſtatuere, vel ſe Filiis in titulis præponere nefas fuerit, in quibus duobus tamen capitibus ex propria Adverſariorum Hypotheſi, maxima ejusmodi Societatis vis atque virtus conſtituitur. Socii ergo, quousque Auguſti eorum Genitores vixerunt, fuerunt Nominis, Vicarii Majeſtatis, deſignati denique Imperii Succeſſores, vivis præſentibusque Imperatoribus vix umbra quadam Poteſtatis propriæ inſtructi, & proinde haud raro, vel exemplo HENRICI, ex arbitrio Parentum corona iterum privati, (*f*) vel exemplo OTTONIS II. poſt obitum Parentum *ab ordi-*

U 3

(*e*) *Bruno* in Hiſt. Bell. Sax. *ap. Freber.* T. Script. Rer. Germ. f. 218.

(*f*) *Godofredus Colon.* ad a. 1235. *ap. Freber.* p. 299.

dinibus denuo in Reges electi, (g) quorum neutrum in vero Imperii Socio procedit. Solus igitur Titulus consortis rem non absolvit, quippe & Fœminæ quædam à Maritis suis glorioso hocce Encomio subinde fuerunt insignitæ, quas tamen frustra quis proinde in seriem Augustorum referret. Ita LUDOVICUS *Pius* JUDITHAM Conjugem *in Consortium Palatii & Regni assumsit,* (h) HENRICUS *Auceps* MECHTILDIN uxorem *Con-regnantem & Regni Consortem* (i) dixit, OTTO *Magnus* ADELHEIDIN suam *Consortem & Participem Imperii Regnorumque suorum* (k) nominavit, OTTO II. THEOPHANIAM matrimonio sibi junctam *consortem Imperii* (l) appellavit, HENRICUS denique *Sanctus* castissimam Thori sociam KUNIGUNDAM *Regnorum* quoque *Consortem* (m) laudavit.

§. II.

Maximi certe hoc ipsum argumentum ponderis est in decidenda illustri & præcipue hisce nostris temporibus magno conatu agitata controversia, *de voluntario isto inter FRIDERICUM Pulchrum Austriacum & LUDOVICUM Bavarum Imperii Consortio,* quod post Autores *Historiæ Ducatus Styriæ,* anno 1728. studio Societatis Jesu Graici editæ, duo nuper viri clarissimi, *JOANNES FRIDERICUS de BAUMANN* (a) S. C. M. Consiliarius amplissimus, hostili in infausto quodam Duello gladio Musis ereptus, & *RAYMUNDUS DUEL-*

(g) *Ditmarus* L. II. Chron.
(h) *Agobard.* ap. Goldast. T. II. Mon. p. 42. §. 25.
(i) *Luitprand.* L. IV. Hist. c. 7.
(k) *Meibom.* p. 747. & 752.
(l) *Schatenius* L. IV. Annal. Paderborn. p. 325.
(m) *Lindebrog.* p. 135.
(a) in Diss. de Vol. inter Frid. Pulchr. & Ludov. Bav. Imper. consort. Alt. 1733. Præf. Dav. Kœlero defensa & postea Lips. & Francof. 1735. recusa.

DUELLIUS, (*b*) Canonicus & Bibliothecarius Sanct-Hippolytensis florentissimus, certatim adstruere moliti sunt. Miratus sane sum, tam eruditos, tamque egregios viros, dum super facto dimicarunt, insimul non etiam ad Juris trutinam sua revocasse Principia, quod quidem postea tecto modo egisse videtur *MANSUETUS* quidam *PETROPOLITANUS.* (*c*) At multa certe monenda supersunt, quæ curatius Examen & ulteriorem dilucidationem desiderant. Minime equidem, ut paucis rem comprehendam, inficior, FRIDERICUM, optimum cæteroquin Principem & meliori certe fortuna dignissimum, etiam post factam ex triennali Custodia Liberationem, qua verbis qua factis Majestatem subinde ostendisse, ab ipso proinde Pontifice Maximo JOANNE XXII. quin immo Successore Imperii CAROLO IV. Imperatoris titulo insignitus. At quis nescit, idem & de reliquis Anti-Cæsaribus, desperatis etiam rebus nomine insignibusque regalibus usis, Historicos referre? Papæ sane, LUDOVICO infensissimi, testimonium FRIDERICUM non magis Imperatorem probat ac ejusdem Antecessoris GREGORII RUDOLPHUM Suevum; neque enim à sede Apostolica Imperatores creantur, sed ab Electoribus, id quod inprimis his ipsis LUDOVICI Bavari temporibus, & calamis & armis strenue propugnatum, quin immo solenni Lege comprobatum fuit. Rectissime ergo observavit *JO. CLUVERUS*, (*d*) *JOANNEM Papam, neutrius Cæsaris amicum, utrumque Regem appellando, ex illis dissidiis autoritatis venatum fuisse & potentiæ incrementa.* Neque major hic est CAROLI IV. Autoritas, quippe etiam RUDOLPHUS I. RICHARDUM Anglum *Romanorum* *Re-*

U 4

(*b*) in Friderico Pulchro Austriaco inter Impp. R. G. adhuc stante, Norimb. 4. 1733.
(*c*) in Diss. Ep. *ad Duellium*, Aurel. 1737. 4.
(*d*) in Epist. Histor. L. X. pag. 565.

Regem suumque Prædecessorem appellavit; (*e*) at quis proinde eum legitimum Imperatorem dixerit? scilicet solus titulus non tribuit jus, nisi insimul demonstretur, quo pacto aliquis titulum usurpaverit? Neque consequens est, Principem justo quamvis titulo usum propterea etiam annexam Majestatem ipso facto nemineque contradicente exercuisse; Cujus contrarium vel ex solo STANISLAI & AUGUSTI Poloniæ Regum exemplo manifestum est.

§. III.

Summa igitur controversiæ huc redit, an 1.) *FRIDERICUS Austriacus ab anno inde 1325. usque ad tempus obitus sui* (nam de anterioribus annis hic non est sermo) *titulo & insignibus Cæsareis licite, &, quod in voluntario consortio necessarium est, consentiente æmulo usus fuerit?* & deinceps 2.) *an ex hoc ipso regii nominis usu voluntarium aliquod inferri possit inter utrumque gloriosissimum Principem Imperii Consortium?*

§. IV.

Agamus igitur & dispiciamus primo de *Titulo*, qui aut *Nativitate*, aut *Electione*, aut *Armis*, aut *Pacto* acquiritur. Quodsi jam ad FRIDERICUM fieri debet applicatio, equidem filius fuit ALBERTI I. & Nepos RUDOLPHI Habspurgici, quorum uterque regio Diademate claruit; at cum Regnum Germanicum dudum tum desierit esse hæreditarium, *per nativitatem* Rex fieri non potuit, quemadmodum etiam mortuo patre ALBERTO, non FRIDERICUS, sed HENRICUS VII. *Lucemburgensis* Rex electus est.

§. V.

Transimus ergo ad *Electionem*, quæ vel unanimibus

(*e*) *Lambecius* L. II. Comment. Bibliothec. Aug. C. VIII. p. 828.

bus vel majoribus Electorum votis perficitur, & aperte LUDOVICO favet, quicquid etiam hic obmoveat *DUELLIUS*, cujus quippe ſententia omni prorſus fundamento deſtituitur, & eo minus calculum meretur, cum ipſi Electores in Epiſtola, anno 1336. ad Pontificem JOHANNEM XXII. miſſa & apud *HENRICUM Rebdorffenſem* extante, publice declaraverint, *LUDOVICUM à majori parte Principum Electorum rite & rationabiliter in Regem Romanorum electum fuiſſe.* (*)

§. VI.

Neque etiam *armorum* FRIDERICO *ſors* amica fuit, ſæpe ambiguo Marte certanti, & tandem à LUDOVICO in aperto prælio devicto atque capto. (*a*) Non enim tanta LUDOVICI ſoluto Burgoviæ obſidio clades fuit, ut à captivo, quem teſte *HENRICO Rebdorffenſi* paulo ante capitali ſupplicio plectere conſtituerat, ſalutem poſcere neceſſe habuerit. Ipſi proinde illius defenſores ad *Pactum* confugiunt, quod ex nativitate, Electione vel Armis, ſuſtinere non poſſunt, exinde derivantes. Sed nec dum confecta res eſt, ſcriptoribus in contraria quævis hic abeuntibus; ſibique quoad Pacti conditiones ipſis non ſatis conſtantibus. Quam obrem etiam ſuperioribus temporibus magna inter *CUSPINIANUM*, *LAZIUM*, *ROO*, *FUGGERUM* & *LAMBECIUM* ex una, nec non *ADELZREITERUM*, *AVENTINUM* & *HERWARTUM* ex altera parte, altercatio orta eſt, quæ doctiſſimis etiam viris crucem hactenus fixit & huic ipſi controverſiæ anſam dedit. Ponamus autem, LUDOVICUM FRIDERICO aliquam regalis dignitatis umbram

(*) *Leibnit.* P. 1. Cod. Dipl. p. 66. §. 36. *Burgund.* Hiſt. Lud. Bav. L. I. p. 15. *Henneberg.* de Ludov. Bav. non per Literas adulter. Lig. Woldemari electo, in Miſc. Berol. Cont. 1.

(*a*) *Struv.* S. H. G. Cap. 26. *Budd.* Parerg. Hiſt. p. 199. ſq.

bram & inanem regalis Tituli usum indulsisse, immo & Vicarium Imperii in Germania eum constituisse, qua ratione postea anno 1331. OTTONEM *Austriacum* & anno 1338. EDUARDUM *Anglum* Vicarios suos generales per Teutoniam creavit; (*b*) anne exinde insimul etiam fluit mutuum Imperialis Majestatis consortium? Urgent equidem FRIDERICI assertores ipsas transactiones, conditiones interveniente Sacramento confirmatas; Provocant ad Testimonium Scriptorum coævorum vel supparium cum iis sentientium; Allegant denique actus quosdam regales à FRIDERICO vi hujus Pacti celebratos. Verum enim vero hæc omnia vix persuadebunt hominem ab affectuum studio liberum soliusque veritatis studiosum. Ubi enim, ut de ultimis primò loco dispiciamus, comitia à Sociis hisce celebrata. Ubi Leges universales latæ? Ubi dignitates simul concessæ? Ubi alia reservata Imperatoris ab iis conjunctim exercita? Possessiones equidem confirmare, Privilegia dare, feuda conferre, jura civitatum concedere, utique haud obscure Jura Majestatis arguunt. Sed ad demonstrandum consortium actus ab utroque conregnante simul celebrati producendi sunt, dum solitarii ac incerto jure peracti ad illud stabiliendum non sufficiunt. Similiter allegati Scriptores aut domestici sunt, aut sane alias incertæ fidei, prætereaque sibi haud raro contrarii, neque adeo necessario concludentes.

§. VII.

Pactum denique quod attinet, tria illius allegantur exempla, tempore distincta, solennitatibus diversa, sensu contraria. Primum conditum fuit anno 1325. *in arce Trausnicht die Mercurii ante Dominicam Lætare*, vi cujus FRIDERICUS prævia abjuratione Regni è custodia dimissus; alterum initum fuit eodem anno

(*b*) *Struv.* S. J. P. C. 13. p. 653.

no *Monachii die Jovis ante Dominæ nostræ diem, cum nascere-tur*, mediante quo LUDOVICUS æmulum FRIDERICUM in Consortium Imperii assumsit; Tertium denique celebratum dicitur *Ulmæ anno a Dei nativitate 1326. die Martis post duodecimum diem*, & in hoc LUDOVICUS ob Pacem communis Christianitatis FRIDERICO Imperium Romanum plane resignavit. Quæritur jam: *1. quodnam ex allatis Pactis sit genuinum? 2. utrum effectui datum? 3. an secundum Leges & Observantiam Imperii fuerit validum?*

§. VIII.

Quod igitur ad primam quæstionem spectat, Traufnicense Pactum vel ipsi Austriaci pro authentico agnoscunt, sed ei per secundum tanquam posterius derogatum fuisse statuunt, quod tamen Boioarii gravissime impugnant, eatenus hac in re nimii, quatenus Austriacam Probitatem fraudis ac doli insimulant, quatenus autem ejusdem & subsecuti tertii implementum negant, à vero certe neutiquam aberrant. LUDOVICUM etenim æmulum suum ad intercessionem Sociorum, Galliæ atque Hungariæ Regum, non nisi sub allegatis durioribus conditionibus è custodia dimisisse, omnes illius & sequentis Seculi Historici uno ore testantur. At quod FRIDERICI fratres istas tanquam justo iniquiores recusaverint, haud obscure indigitant literæ Pontificis JOANNIS *d. IV. nonis Maji & VII. Kal. August.* ad FRIDERICUM & LEOPOLDUM exaratæ. Ut ergo tam gratiam summi Pontificis, quam favorem LEOPOLDI assequeretur, tempori inserviit Princeps, qui jam olim FRIDERICI spem in negotio Electionis callide eluserat, persuasus, Electores in ejusmodi consortium nunquam fore consensuros, quare etiam in Conventu anno 1326. Ulmæ habito Regni forsan abdicationem ab initio simulavit, mox autem exploratis Principum animis, FRIDERICUM denuo regali dignitate privavit, & his fere condi-

ditionibus in Provincias suas dimisit, *oblivione omnium ante actorum inducta, FRIDERICUM nunquam ulturum ea, quæ passus erat, nec Austriacos imposterum Bavaris ad imperatoriam dignitatem aspirantibus competitores fore*. (*a*) Quamvis hic nihilominus ab isto inde tempore *in domo & dominio regali nomine usus fuerit* (*b*), vel potius, quæ *F. FABRI* est conjectura, *LUDOVICO à JOANNE excommunicato titulum, quem antea in carcere resignaverat, reassumserit*. Atque exinde orta est ista Pontificis Maximi in Literis *d. 9. Kal. Dec.* anno 1326. ad CAROLUM Galliarum Regem datis, de Imperio inter utrumque æmulo diviso, & Italiæ quidem Regno cum summa Potestate LUDOVICO assignato, Germanico autem clientelari nexu FRIDERICO tradito conjectura, & facti veritati & veri similitudini oppido contraria.

§. IX.

Quicquid autem hujus rei sit, certum tamen est, nullum ex allatis Pactis, sive genuinis, sive suppositititiis, executioni fuisse datum. Licet enim primum sacramentali conjuratione firmatum, ac FRIDERICUS vi ejus ex captivitate liberatus fuerit, idem tamen LUDOVICO tunc cum FRIDERICO, quod postea CAROLO V. cum FRANCISCO I. accidit, quippe FRIDERICUS postea neque actum Electionis LUDOVICO tradidit, neque titulo insignibusque Regis abstinuit, proinde etiam teste *ALBERTO Argentinensi* & *HENRICO Rebdorffensi* à Rege Bohemiæ JOANNE armis petitus. Et quamvis hanc ipsam FRIDERICI in adimplendis promissis negligentiam LUDOVICUS primo quidem dissimulaverit, postea vero per Pactum secundum tacite approbaverit, istud ipsum

(*a*) *Henric.* Rebdorff. ad annum 1322. Chron. Elvvang. ad annum 1320. *Burgund.* L. II. p. 91. *Hervvart.* ad annum 1325. *Roo* L. III.

(*b*) *Anonym.* Leobiens. *apud Pezium* T. I. p. 926.

ipſum tamen nunquam ad effectum deductum fuit; Utut enim in transactione Monachiali expreſſe cautum fuerit, *quod illam velint renovare vel ſigillare ſuis novis ſigillis, quamprimum illa ſculpta fuerint*, ejusmodi tamen Sigilla utriusque Principis nomine inſignita nunquam hactenus fuerunt viſa, neque ulla alia iſtius Pacti conditio ex præſcripto modo impleta. Id quod etiam de Ulmenſi LUDOVICI abdicatione tenendum, cum conſtet, LUDOVICUM poſtea nihilominus, cum in Germania, tum in Italia ſolum imperaſſe, quin immo anno 1328. vivo adhuc FRIDERICO, Romæ ſolenniter fuiſſe coronatum. (c) Unde etiam *WOLFGANGUS HUNGERUS in notis ad CUSPINIANUM* recte concludit, *Literas iſtas Ulmenſes utriusque partis rato adſenſu haud unquam ita conſcriptas atque editas fuiſſe, ut ad effectum pervenirent.* Atque hinc eſt, quod LEOPOLDUS Glorioſus, acerrimus certe fratris defenſor, A. 1326. mœrore ob iniquam fratris ſortem confectus obierit, (d) quod certe ſalva veritate dici non poſſet, ſi LUDOVICUS eum ſibi in Regno aſſociaſſet. Idem ergo prætenſæ hujus Reſignationis effectus fuit, qualem paulo ante ad annum 1320. & haud diu poſt ad annum 1333. Hiſtorici de alteris LUDOVICI in favorem FRIDERICI *Auſtriaci* & HENRICI *Bavari* meditatis abdicationibus referunt, indignatos ſcilicet fuiſſe amicos, quod conſtantiam, quam tot Bella non fregerant, quod pulcherrimum victoriæ præmium, qua Æmulum devicerat, poſt tot denique labores & diſcrimina, vanæ conſcientiæ ſtimulo ictus, &, quod utique non omittendum, blandis Confeſſionarii perſuaſionibus ſeductus, ad inimicorum ludibrium dejiceret; *Non enim*, inquiebant, *Tui Juris eſt, quem velis, ſucceſſorem eligere, accipiendus eſt à Sep-tem-*

(c) *Burgundus* l. c. L. II. p. 105. *Albertus* Argentinenſis p. 124.

(d) *Duell.* l. c. §. 6. p. 38.

temviris, ubi vacuum solium Tuo descensu effeceris. (*e*)

§. X.

Atque ex hoc ipso fonte tertia nobis quæstio decidenda venit; Cum enim Imperium, id quod cum ex ipsius LUDOVICI constitutione anno 1338. sancita, (*a*) tum ex unanimi Historicorum testimonio patet, non amplius hæreditarium fuerit, opus erat ad ejusmodi societatem stabiliendam aut communi statuum aut ad minimum Principum Electorum consensu, quem ipse LUDOVICUS postea in divisione paternæ Hæreditatis anno 1333. Ticini facta solicite adhibuit, (*b*) & quem nec ipse CAROLUS M. LUDOVICUS *Pius* & FRIDERICUS I. in designandis sociis Regni neglexerant. Idem etiam de Resignatione dicendum, quæ nempe non ex solo Imperatoris arbitrio pendet, quia Imperium per pactum ipsi delatum nonnisi mutuo paciscentium consensu potest resolvi. Detulerunt autem LUDOVICO Imperium Electores, ergo etiam illorum consensus in abdicatione fuisset necessarius, quem insequi deinde debuisset publica intimatio, ut scilicet singuli Status cognoscerent, se Juramento resignanti Imperatori præstito esse solutos. Et quamvis hic forsan quis objiceret, Heptarchas consensum suum tacite fuisse impertitos, constat tamen inter omnes, quod tacitus consensus non sufficiat, ubi expressa voluntatis declaratio necessaria est; (*c*) & quod unum quodque negotium eodem modo

(*e*) *Adelzreiter.* Annal. p. II. L. I. p. m. 14. & 15. *Rebdorff.* ad annum 1333. *Aventin.* L. VIII. C. 18. §. 6. *Burgund.* L. III. pag. 141.

(*a*) *Pfeffinger.* Vitr. ill. L. I. T. V. p. 667.

(*b*) *Burgund. & Rebdorff.* ad annum 1333.

(*c*) *Barbos.* Axiom. voc. Expressum ax. 10. *Pfeffinger.* Vitr. ill. L. I. T. 9. §. 1.

modo debeat diſſolvi, quo fuit initum. (*d*) Jam vero in ejusmodi magni momenti negotiis utique expreſſa Electorum declaratione opus eſt, & nihilominus nullum illius apud illorum temporum Scriptores proſtat veſtigium, ergo etiam argumentum de expreſſo vel tacito illorum Conſenſu deſumtum nullum eſt. Id quod etiam ipſe *BAUMANNUS* haud diffitetur, Electores hoc pactum plane ignoraſſe, diſerte aſſerens.

§. XI.

Quibus præſuppoſitis ſequens necto ratiocinium: *Aut conſortium Imperii inter LUDOVICUM & FRIDERICUM initum, fuit ſolenne vel minus ſolenne; Si prius, unde quæſo 1. altum iſtud apud coævos ſilentium? Unde 2. executionis defectus? Unde 3. ipſorum Electorum ignorantia? Si poſterius, unde mutua eaque valida Majeſtatis Societas? Vi cujus nulli absque altero aliquid in Imperio agere & nullum alteri præponere fas fuerit.* Atqui *ſolenne ex ipſorum Defenſorum conceſſis non fuit, minus ſolenne per hactenus demonſtrata non valuit.* Ergo *aut imaginarium fuit, aut invalidum, adeoque nullum.*

Hic Rhodus, hic ſalta!

§. XII.

Si igitur FRIDERICUS inter Imperatores Romano-Germanicos vi hujus conſortii adhucdum ſtare debet, reſpondendum prius eſt ad dubia hactenus allata, & Conſortium inter utrumque Glorioſiſſimum Principem fortioribus argumentis eſt confirmandum, ſimulque docendum, ipſum LUDOVICUM FRIDERICUM Regem ſociumque regni nominaſſe. Quo facto lubens victas concedam manus, quippe cui poſt veritatis amorem veneratione Auſtriacæ Domus nihil prius eſt, nihil antiquius. Interea ſive FRIDERICUS inter Imperatores ſtet, ſive non ſtet, ſtat tamen ſemper immota Habsburgicæ Gentis Gloria, cujus ſane tanta eſt in toga & ſago commendatio tantusque ubique

(*d*) *L. 35. ff. de R. J.*

ubique ſplendor, ut, qui illum ejusmodi argumento amplificare ſtuduerit, idem faceret, ac ſi cœlo ſidera addere præſumeret.

Auſtria Enim *Imperat Orbi* V*niverſo*,
Auſtriacique Erunt *Imperatores Orbis* U*ltimi*. *

* Vulgarem in explicandis quinque vocalibus, quas celebre ænigma nemo non novit, ſequitur auctor rationem. Elegantem autem & doctam diſſertationem de his dedit Cl. *Schvvarzius*. Mihi autem hæc, quam Doctiſſ. auctor exhibet explicationem, talis videtur, ut illo quo vivimus tempore non facile communem conſenſum eruditorum & Politicorum ſecum ferre poſſit; futura autem ſecula talem nobis forſan dabunt dilucidationem, ut vel ſimile vel commune nihil habitura ſit cum illis, quas incertas hactenus orbi erudito expoſuerunt divinatores. *J. G. A.*

* * * * * * * * *

VII.

VII.

JAC. CHRISTOPHORI ISELII,
dum viveret, in Acad. Basil. S. Theol. Doct. & Prof. Publ.

ÆTERNITAS MUNDI,
Argumentis Historicis
ex Novitate Artium &c.
confutata.

Argumentum.

§. I. Maxime firmum argumentum, quod Deus sit hujus Universi Conditor, desumitur ex ipsa ejus Constitutione. §. II. Cl. Author indicat argumentum, quo pugnaturus *contra æternitatem muudi*, deductum ex *novitate artium &c.* §. III. Quare lis de dissidio Chronologico, quod est inter codicem Hebraicum & LXX. Interpr. non tangatur, indicatur. §. IV. Dicitur, res utilissimas & maxime necessarias ignoratas fuisse longe post hoc principium mundi, quod ipsi tribuimus, quod se ita non haberet, si mundus esset æternus. §. V. Eodem argumento jam Veteres usi sunt. Lucretius & Macrobius in testimonium citantur. §. VI. Cl. Author incipit argumentari a *novitate litterarum alphabeticarum.* §. VII. Quædam testimonia Veterum de vetustate littera-

 rum

rum apud Ægyptios adducuntur, & quomodo sumi debeant ostenditur. §. VIII. Ob varias rationes rejicitur ea vetustas litterarum apud Ægyptios. §. IX. C. Plinii sententia de Antiquitate litterarum proponitur, & multum ex ipso argumentantibus conceditur; attamen refellitur. §. X. Tzetzis argumenta refelluntur. §. XI. Certissimum est, quod Cadmus litteras in Græciam intulerit. Alii Phœnices litterarum Authores faciunt. §. XII. Argumenti vis ex eo augetur, quod nec Cadmo omnes notæ fuere litteræ. §. XIII. Omnium dissentientium consensu in eo, quod tamen litteræ serius inventæ fuerint, mirum quantum accrescit argumento roboris. §. XIV. Ex dictis concluditur, literarum inventionem non superare tempora Mosis. §. XV. Quod de Cecrope narratur, quod ipsi litteras Græci debeant, adducitur. Verum etsi ut verum assumatur, tamen sententiæ de novitate litterarum nil decrescit. §. XVI. Cl. Author justificat ordinem, quo rem suam defendit. §. XVII. Italorum litteris non multo litteris Cadmæis inferior tribuitur vetustas. §. XVIII. Argumento est *novitas architecturæ*, qua tamen mortalium gens destituta minime subsistere potest. §. XIX. Hujus novitatis plura proferuntur testimonia. §. XX. Pluribus rationibus, architecturæ novitatem spectantibus, æternitas mundi destruitur. §. XXI. His additur *Novitas rerum ad commodam ædium habitationem*

tionem spectantium. Cætera hujus argumenti alii occasioni reservantur.

§. I.

DEum esse hujus Universi Opificem & Auctorem, cunctaque summa ratione & sapientia creasse & tueri, multis equidem argumentis probari potest. Ceterum eorum, quæ maxime firma sunt, à *causa prima* deducuntur, quæ quasi via regia est, quam omnes boni Philosophi insistunt, ut nimirum ex præclaro Opere totius hujus Universi, ex ejus magnitudine, distinctione, varietate, pulchritudine, & constantia, esse aliquod Ens infinita sapientia præditum, omnium harum rerum causam primam, id quod *Deum* appellamus, colligant. Cum autem haud pauci sint, qui hoc nobis argumentum eripere conentur, magnaque tam inter Philosophos quam Historicos *de Origine Mundi* agitetur contentio, nascitur nobis necessitas, eorum opiniones confutandi, quæ illud convellere atque infirmare aliquo modo possent. Etenim si, quemadmodum ARISTOTELES (quanquam & hic dubitanter, atque ita, ut cujusdam contrariæ, ac tum vulgo creditæ absurdæque, opinionis odio ac fuga huc videatur veluti ad scopulum adhæsisse) tradidit, *Mundus AB ÆTERNO* atque à seipso exstitit, neque unquam cœpit humanum genus; corruat necesse est id, quod à creatione rerum derivamus, argumentum. Rursus, si non quidem ab æterno fuit Mundus, sed alia potius omni ratione, quam divina ope ac nutu coaluit, quod stultum & secum ipso pugnans EPICURI fuit dogma, non poterit ullo modo huic argumentationi constare ratio.

§. II.

Ceterum in utrosque & in omnes plane, cui

 istam

istam Mundi conditi gloriam ei, qui solus eam sibi parare, id est, rem tantam perficere infinita sapientia & virtute potuit, Deo conati sunt eripere, atque etiamdum proh dolor! conantur, multa sunt hactenus à Philosophis docte, solide, arguteque disputata. Quibus nos hoc quidem tempore relictis, uti certe nostra defensione haudquaquam indigent, aliud in animum induximus tractare urgereque argumentum, quod neque tritum plane ac vulgare arbitramur, & vi tamen ac momento ad probandum singulari videmus esse præditum. De *Artium, Opificiorum, Doctrinarum, Legum, Rerumpublicarum, tum Populorum etiam atque Urbium,ORIGINIBUS* loquor. Quæ si fere omnia suos non ita à nostris temporibus remotos, certe multum plerunque infra Noachi ævum depressos habuerunt natales, eosque certa & evidenti historiarum fide declaratos, ut sæpe illud quoque tempus, atque id etiam non breve aut exiguum, demonstrari possit, quo aut homines illis artibus ac scitis, aut regiones incolis atque urbibus caruerint, iisdem vel certe admodum exilibus atque imperfectis usi sint; fieri profecto non potest, ut non aut paulo ante conditum sit genus humanum, aut certe universali quadam clade, paucissimis exceptis, ita deletum, ut superiorum temporum inventa pleraque necessario obliterarentur. At horum, præsertim si in secundo, præter hominem, illa tot diversissima animalium genera è media ista & tamen universali clade servata cogitemus, neutrum sine Deo potuisse fieri, probant manifestissime Philosophi; &, ne quis rem ad docendum cognoscendumque difficilem sibi fingat, vel leviter attendenti demonstrat sana ratio. Verum, uti jam dictum est, manebimus nos in instituto, & Philosophicis ratiociniis non tam neglectis, quam in præsentiarum omissis, illud quod præfinivimus ex Historiis depromemus telum, rationem eam, qua exinde

ad

ad convellendam abjiciendamque Æternitatem Mundi progressus fiat, atque adeo misera Atheorum effugia disturbentur, postremis Thesibus reservantes.

§. III.

Unum modo superest, priusquam aggrediar rem ipsam, ut moneam Lectorem meum, me, qui remotissimas quasvis paganorum antiquitates cum sacra Mosis Chronologia comparandas susceperim, illam interim gravissimam litem nolle dirimere, quæ de dissidio Chronologico, quod est inter Hebraicum Codicem & Versionem LXX. quos vocamus, Interpretum, jampridem inter viros eruditos agitatur. Fitque hoc à me, non quod desint, quæ cum aliis summis Viris statuam, aut quod minus libenter tanti ponderis argumentum tractem; verum ideo duntaxat, quia has latissime patentes ac plerunque satis obscuras atque intricatas rerum Origines disputatione complexus, plus satis in præsentiarum quod agam habeo, neque salva modestia obiter, &, ut ita loquar, propter viam de illo debeo pronuntiare, quod Doctissimi Viri vix pro rei gravitate sibi videntur tractasse, cum multis illud grandibusque Voluminibus sunt persecuti. Quanquam igitur Hebraicus Codex non Mundum tantum, verum & Diluvii cladem, quæ potissimum epocha est Disputationis nostræ, pluribus sæculis juniorem faciat, ac LXX. Interpr. ego tamen neutro alteri prælato calculo, id, quod unum est necessarium, conabor probare, *veras atque certas Gentium quarumcunque Historias, ne supra hanc quidem recentiorem Diluvii Chronologiam adscendere.* Quo evicto, multo postea facilius apud eos obtinebitur causa nostra, qui orbem hunc pariter atque eluvionem aquarum, multo etiam antiquiores cum LXX. statuunt.

§. IV.

Quod si ergo, inquam, animo perpendatur Hi-

ſtoria Mundi, & cognitio hauſta ex variis Veterum monumentis; ſi præterea conſiderentur tot præclara ſingularum ætatum nova inventa, tot artes ad vitam utiliſſimæ, imo neceſſariæ, cum diu ignoratæ fuiſſent, certo tempore demum excogitatæ, & ejusmodi alia; vix concipi poteſt, quomodo crediderint aliqui, Mundum fuiſſe ab omni æternitate. Quippe ſi Mundus ita ab Æterno fuiſſet, ſine dubio tempore infinito jam omnia eſſent excogitata, nec res tam præclaræ & ad vitæ uſum neceſſariæ tam recenter invenirentur, uti factum eſſe fierique etiamdum, mox probabimus.

§. V.

Ergo quantivis roboris argumentum nobis præbet mirus ille omnium Populorum, auctorumque omnium, conſenſus in quærendis primis rerum quarumvis Inventoribus; plane ut nihil uſpiam uſurpatum videamus, cujus non rudia plane, ac prorſus inculta narrarentur initia, neque ea etiam valde antiqua; cujusque item non ſerio quæreretur Auctor. Imo quod in hac varietate ingeniorum, atque acerrimo nova proferendi deſiderio, neceſſario accidit, quando plurimi rem eandem inveſtigare conantur, cujus non Auctores Inventoresque complures fama & rumoribus ferrentur. Vixque eſt hoc loco diſcrimen inter eos, qui Æternum eſſe hunc Orbem Terrarum, atque eos qui eidem non ita à ſuis temporibus remotum principium tribuerunt. Quot rerum inventores paſſim nobis narrat ARISTOTELES? Quam multos *Capite* illo ſuo 56. *L. VII.* concluſit; quot numero etiam alibi infarſit C. PLINIUS? Certe tanti jam olim hoc argumentum fuit, atque adeo in confeſſo erant quarumvis artium principia, ut DEMOCRITUS atque EPICURUS, & utriusque poſtea ſectatores, cum Mundum negarent ab ullo Deorum creatum eſſe, tamen ex hoc uno, mundum non eſſe ve-

vetustissimum, constanter probarent, quod tam parum supra suam ætatem artium plerarumque adscenderent initia. Et hoc sane argumento ita triumpharunt de adversariis, doctis certe hominibus & historiarum peritis, ut eos ad ridicula nescio quæ incendia ac Diluvia Mundi cogerent confugere, quorum neque ex Historiis probare veritatem, neque rationem causasque ex Philosophia poterant demonstrare. Sed hoc ipsum in fine paucis à me attingetur. Nunc, quoniam quidem Democriti atque Epicuri scripta, tum & Discipulorum fere cuncta, interciderunt, LUCRETIUM saltem videamus hoc telum in adversarios torquentem, trito quidem apud eruditos loco, sed iis tamen, quibus hæc potissimum scribuntur, forte non notissimo, *Libr. VI. v. 325.*

Præterea, si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & Cœli, semperque æterna fuere,
Cur supra bellum Thebanum & funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere Poetæ?
Quo tot facta virum toties cecidere? Neque usquam
Æternis famæ monumentis insita florent?
Verum, ut opinor, habet novitatem summa, recensque
Natura est Mundi, neque pridem exordia cœpit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam augescunt: Nunc addita navigiis sunt
Multa: modo organici melicos peperere sonores.
Denique natura hæc rerum ratioque reperta est
Nuper, & hanc primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possum vertere voces.

Utitur eodem & MACROBIUS, *L. II. in Somn. Scipionis, cap. 10.* ubi argumenta Mundi Æternitatem evertentia proponit; nempe post asperam incultamque hominum primorum vitam, & ad sylvas glandesque damna-

damnatam, quam tamen aliquo modo pro fabulosa traducit, istud præcipue pro gravissimo argumento venditat, quod *à suo tempore ultra duo retro annorum millia veluti supra Ninum, à quo secundum quosdam Semiramis creditur procreata, de excellenti rerum gestarum memoria, ne Græca quidem extet historia.* Quanquam postea, ut *Ciceroni* suo quocunque modo patrocinetur, hoc ipsum frequentibus illis ac certis temporibus succedentibus *eluvionibus atque exustionibus terrarum* tribuat, easque ex nescio quibus humidi per calorem, calorisque per humidum incrementis, præclare scilicet, demonstret.

§. VI.

Incipiamus à *litteris Alphabeticis.* Has ingentem utilitatem voluptatemque afferre hominibus nemo negabit, suntque eæ plane ita comparatæ, ut nullo pacto fiat verisimile, tot homines, quot statuere coguntur Athei, & ab illis, quos pariter ab iisdem inferri necesse est, infinitis retro temporum spatiis, nullas sibi excogitasse vel invenisse litteras, etiamsi millesimæ tantum eorum parti minus obtusa atque hebetia tribuantur ingenia. Hic jam non disputabitur à me, ecquis eas primum invenerit, quod & obscurum est in tam remota antiquitate, & in summa varietate sententiarum contradictioni obnoxium. Sufficiet istud probasse, quod abunde abjicit Atheorum commentum, omnes vel leviter certas historias tam recentes illas evincere, ut ne cum mediocri quidem antiquitate mundi possint conciliari.

§. VII.

Equidem DIODORUS SICULUS Lib. I. p. m. 10. sub regno Osiridis una, vel uti alii narrent, plus duabus annorum myriadibus, Alexandri M. temporibus antiquiore, à Mercurio inventas statuit ex Ægyptiorum traditione litteras: ὑπὸ τούτου λέγουσιν (οἱ Αἰγύπτιοι)

γύπτ ι) τὴν εὕρεσιν τῶν γραμμάτων γενέσθαι: *ab hoc* (loquitur autem de Mercurio) *litteras ajunt inventas.* Idemque etiam *Cn. Gellium* existimare tradit *C. PLINIUS, H. N. L VII. C. 56.* cui tamen Gellio potius de nomine inventoris, quam de inventionis tempore, cum Ægyptiis illis putem convenire. Quin & vetustissimum Phoenicium scriptorem SANCHUNIATHONEM, ejusque interpretem *Philonem Byblium,* trahere huc possumus, quos EUSEBIUS auctor est, *L. I. de Præp. Evang. litteras à Teutate inventas credidisse, qui Ægyptiis Mercurius;* item CICERONEM, qui, *quinos Mercurios* distinguens, *postremum Ægyptiis leges ac litteras tradidisse & Toth appellari,* refert *L. III. de Nat. Deor. c. 22.* Neque alium profecto intellexit *PLATO in Phædro & Philebo,* cum *Theut, quendam vetustorum DEORUM, Ægyptios, præter alia, etiam litterarum usum docuisse confirmat.* Quos tamen haud arbitror ætatem eandem, quam illi apud Diodorum Ægyptii, Mercurio tribuisse, sed circa hominem tantum consensisse, cum ipsis forte satis gnaros, illas tot myriadas annorum & Deorum regna aliter atque prima fronte apparet, debere intelligi. HYGINUS vero *fab. 177.* præter Mercurium & alios, de quibus infra, etiam tres ponit Parcas. At rursus *in init. L. III.* aliam de litterarum origine sententiam profert DIODORUS, quasi *Æthiopes, primi* scilicet *omnium hominum, quorum etiam Ægyptii sint colonia, & invenerint litteras, & in colonos suos Ægyptios propagarint.* Tum idem etiam DIODOR. L. VI, ubi alteram ab universis prope creditam de litteris à Cadmo inventis opinionem recenset, *Actinum* nobis narrat *Solis filium, qui Astrologicas rationes multis ante Gadmum seculis comprehenderit monumentis litterarum; verum ea monumenta simul cum litterarum usu apud Graecos quidem Diluvio quodam periisse, cumque inde Cadmus ex intervallo iterum Græciæ intulisset litteras, errore hominum atque ignorantia temporum priscorum*

 habi-

habitum esse primum litterarum in Græcia auctorem.

§. VIII.

Sed ne jam nunc ea, quæ totam illam remotissimam rerum Ægyptiacarum vetustatem cunctaque Deorum & Semi-Deorum regna elidunt, producamus; ne Mercurium eundem cum Mose contendamus, in quo valde sibi placent viri Doctissimi; si tam antiquæ, &, quod pariter adstrui ex Diodoro potest, tritæ & in vulgari usu positæ apud Æthiopes atque Ægyptios fuerunt litteræ, quid causæ est, cur ceteræ omnes Nationes, & hæ maxime vicinæ, ab Ægyptiis sese eas tam sero accepisse clamitent? Cum præsertim Dii isti atque Semi-Dei, eodem teste Diod. nimium frequenter, magna hominum comitante multitudine, per multas passim regiones circumcursitare gestirent, & tum cum maxime earum incolis suas præclaras artes traderent? Cur ipsi Ægyptii totis post inventas apud se litteras myriadibus annorum operosis illis signorum, quæ vocabant hieroglyphica, monumentis, etiam ubi nihil opus erat mysterio, fuerunt usi; vereque, quod est proverbio, in inventis frugibus comederunt glandes? At vero in postrema illa de *Actino* narratione, istud primo concipi non potest, quomodo peculiare aliquod Diluvium soli Græciæ incubuerit, atque ita incubuerit, ut in regione montibus plena, ne vestigium quidem monumentorum litteris inscriptorum relinqueret, quum præsertim ipsa cacumina montium aquis obtecta haud statuerit DIODORUS, quippe qui plurimos tantum, non Universos, in eo narrat periisse. Tum etiam, si complures, uti certe ex illa apud Diod. narratione necessario colligitur, ex ea clade sunt servati, sique ii literas antea calluerunt, nulla est ratio, cur non earum usum quam celerrime fuissent revocaturi, quando ad instauranda ea, quæ vis aquarum corruperat, multo magis quam ante illam calamitatem opus ha-

habebant commerciis, quæ ab iis, qui litteras ſciunt, ſine litteris peragi nemo hominum unquam ſibi perſuadebit.

§. IX.

Poſt Diodorum etiam C. PLINIUS cum maxime ſuam ſe deſtinatam mentis ſententiam ponere oſtendit, *Litteras* ait, *ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe*, L.VII. C. 56. Quocum etiam ſine dubio *ſequens caput* componendum eſt, cum ait: *Gentium conſenſus tacitus primus omnium conſpiravit, ut litteris Jonum uterentur.* Nam certe iſtæ veteres Jonicæ paullum tantum differunt à Samaritanis, quas ille harum notarum non peritiſſimus ſine dubio Aſſyriarum nomine intellexit. Inde relatis aliorum de recentiori litterarum inventione opinionibus addit: *Epigenem tradere, apud Babylonios 720. annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis eſſe inſcriptas, qui minimum, uti Beroſum & Charidemum, 480. annorum: Ex quo apparere æternum litterarum uſum.* Quid dicimus? Cur ergo vicini Babyloniorum atque iis per commercia notiſſimi tam tarde uſum ſcripturæ acceperunt? Cur ceteri omnes hanc ſummam antiquitatem tacent? Quam firma vero illa eſt ratio, æternas eſſe litteras, quia ſeptingentis ante Epigenem annis fuerint: quaſi aut Epigenes homo non antiquiſſimus, aut ullus omnino mortalium poſſit quadringentis, aut etiam ſeptingentis annis ab æternitate diſtare. Sed do tamen ultro, mihimet ipſi corruptos apud *Plinium* numeros videri, ac poſt CCCCLXXX. & DCCXX. numerum millenarium excidiſſe. Neque enim tam puerile ratiocinium ei poſſum tribuere, & CICERONEM video binis in locis hoc ipſum Babyloniorum mendacium exſibilare, quod *CCCCLXXM annorum monumentis comprehenſa contineant, L. I. de Divin. c. 19. & II. c. 46.* Cur enim is, in cujus rem erat hoc figmentum, illud nullus recenſuiſſet, cum ille, cui officere poterat, *Cicero* id commemora-

morarit? Lubens itaque HARDUINO adſentior, vel cunctis reclamantibus MS. codicibus, ita in Plinii textu reponenti. Sed quid tandem hoc modo proficitur ad æternitatem litterarum conſtabiliendam? Nempe ea Chaldæorum, vaniſſimæ Gentis, jactantia nitetur, ceterorum Populorum etiam proverbiis trita atque infamata, id eſt, ut latine loquamur, nullum plane apud ſanos homines pondus & momentum habebit. Sed ſi quis tamen à nobis poſtulat, ut has nugas ſerio refutemus, ille paucis ita habeat: Primum ipſos ſibi hac in re turpiter contradixiſſe Babylonios, quando *DIOD. SIC.* teſte *L. II. p. edit. H. Steph. 83.* majori adhuc hiatu quadraginta ſeptem myriadas & tria millia annorum ſuis obſervationibus arrogant, id eſt, ſi quis hunc immanem numerum latine expreſſum cupit, annorum quater millies & ſeptingenties millena triaque item millia. Deinde nullo pacto fieri veriſimile, eos tam immenſis temporum ſpatiis ſidera obſervaſſe, qui, quod pariter de ipſis prædicat DIOD. Solis Eclipſes prædicere neſciverint, ac terram item σκαφοειδῆ καὶ κοιλὴν, cavam & ſcaphæ figura, ſint imaginati. Porro hæ prope innumerabiles obſervationes adeo nunquam in lucem ſunt prolatæ, ut cum Ariſtotelis rogatu Caliſthenes, univerſa Alexandri M. potentia ſubnixus, apud ipſam Babylonem in eas inquiſiviſſet, nonniſi mille nongentorum & trium annorum deprehenſæ ſint. Denique & hoc quibusdam Veteribus affirmantibus libenter credimus, Chaldæos illos obſervationibus ſuis ſecundum Lunæ curſum digeſtis inſita vanitate peregrinis obiter inſpicientibus fucum feciſſe, annos ipſis, vel alios etiam majores temporum Periodos impingendo, ubi menſes debebant intelligi. Sed de his forte in ſequentibus fuſius, cum de veris rerum Chaldaicarum initiis diſputabimus.

§. X.

Eadem vis eſt ſcilicet in duobus argumentis

TZETZIS

TZETZIS Grammatici, qui litteras in Græcia ſaltem ante Cadmi tempora fuiſſe ex eo argutatur, quod & ipſi Cadmo aliquod reſponſum Oraculi legatur redditum, & fallaces illæ Bellerophontis Cadmo haud paullo antiquioris litteræ notis iſtis, de quibus quærimus, carere haud potuerint. Quaſi vero aut ſors ab Oraculo aliter niſi ſcripto edi nequiverit; aut ex fabulis Poetarum veluti ex vera juſtaque hiſtoria liceat argumentari.

§. XI.

Merito itaque iſtud pro certiſſima, quæ quidem ex paganorum Veterum ſcriptis hauriri poſſit, fama habebitur, quod litteras in Græciam primum intuliſſe CADMUM, ſive eos, qui cum Cadmo in Græciam venerunt, PHOENICES, magno conſenſu à Veteribus non tantum Auctoribus, ſed & populis totis eſt traditum. Quid hac fama inter Græcos tritius? Ipſe ſtatim Hiſtoriæ Parens *HERODOTUS*, *Terpſichores cap. 58. Jones ſuas à Phœnicibus* tradit *accepiſſe litteras, & quanquam eas uſu nonnihil immutarint, tamen invaluiſſe, ut* φοινικήϊα γράμματα *Phœniciæ litteræ* appellarentur, ipſeque etiam alias Καδμήϊα *Cadmæas* vocat, & *Joniis ſimiles* dicit, *quas ex eo genere in templo Apollinis apud Thebas ipſe inſpexerit*. Teſtatur idem EPHORUS apud CLEM. ALEX. *Stromat.* qui hunc ipſum Herod. locum in eandem rem citat. Conſentit *ZENODOTI Epigramma in Zenonem Cittieum*, quod in hujus vita producit *DIOGENES LAERT. Lib. VII. ſegm. 30.* Ubi cum cetera Zenonis laudaſſet, Patriam ipſius Phœniciam hoc modo excuſat:

Εἰ δὲ πάτρα Φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος, ἦν καὶ ὁ Κάδμος,
Κεῖνος, ἀφ' οὗ γραπτὰν Ἑλλὰς ἔχει σελίδα.

Si patria es Phœnix, quid tum, nam Cadmus & ipſe
Phœnix, cui debet Græcia docta libros.

Profert

Profert idem SUIDAS in Κάδμος, levibus tamen aspersis mendis, & Cadmum graviore etiam errore cum *Cadmo Milesio historiarum Auctore* confundens; nisi hæc ipsa oscitanti librario, vocemque *Milesii* ex sequentibus huc invehenti, velimus imputare, quam in rem præiverunt nobis Viri Cel. *TANAQUILUS FABER Not. ad Anacr. Od. I. & ÆG. MENAGIUS Observ. in Laert.* At multo certius in hoc disticho memoria sua fefellit Virum summum HUG. GROTIUM, cum *Lib. I. §. 15 de V. R. C.* pentametrum ejus, quem solum profert, *Callimacho* tribuit, apud quem eum nuspiam legi, pro certo possum confirmare. Rectius citat istud TIMONIS φοινίκια σήματα Κάδμου, *Cadmi Phœnicia signa*, quomodo etiam passim à Græcis vocari litteras testatur DIOD. *Lib. V. p. 235.* itemque PLUTARCHUS *Sympos. L. IX. Probl. 3.* Alii plane primos omnium mortalium litteras invenisse Phœnices tradunt, veluti LUCANUS, *Lib. III. v. 220.*

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere byblos
Noverat; & saxis tantum volucresque feræque
Sculptaque servabant magicas animalia formas.

Quibus post hieroglyphicas quidem figuras, sed ante alias ullas litteras Phœnicios hos caracteres inventos statuit. Facit idem MELA *Lib. I. c. 12. Litteras & litterarum operas commenti Phœnices.* Item TACITUS L. XI. Annal. Cadmum & Phœnices memorans & CURTIUS *L. IV. c. 4.* Ipsi etiam illi, qui obscurum ac falsum rumorem de majori litterarum vetustate sequi maluerunt, DIOD. SIC. & *C. PLIN.* hanc de Cadmo famam à pluribus traditam haud infitiantur, imo quod ad litteras Græciæ illatas, ultro adstruunt. Neque certe ab istis plurimum abludit illud quod idem DIOD. SIC. *Lib. V. p. 235.* enarrat, in refellenda

lenda Cretensium traditione, (qui Jovem referant; quum cuique liberorum suorum, aliquarum à se inventarum vel perpolitarum artium peritiam traderet, Musis litteras atque Poeticam facultatem attribuisse) nempe esse qui earum inventionem ad Syros trahant, sparsione earundem per alias complures regiones Phœnicibus relicta. Nam non vicini tantum inter se utrique Populi, sed & sæpe Populus idem fuerunt, atque ab auctoribus certe frequenter confunduntur. Jam porro etiam gravis argumenti loco est, quod nomina litterarum græcarum, quæ à Cadmo dicuntur illatæ, sint Phœnicia, quod de ἄλφα ipse fassus est, & fabula etiam, sive fortassis vera narratione, illustravit in *Sympos.* PLUTARCHUS. De ceteris sua quemque docere potest Phœnicii, vel qui non valde ab hoc discrepat, Hebraici sermonis peritia. Quin ne quid hujus argumenti robori deesset, etiam ipsas notas litterarum Jonicarum, quæ vetustissimæ sunt Græciæ, & Phœniciarum sibi invicem quam simillimas esse oportuit. Quod cum jam olim testis omni exceptione major *Herodotus* asseruisset, postmodum ex vetustissimis monumentis, auctoritate Veterum Scriptorum, aliisque rationibus adstruxit clarissime magnus *SCALIGER*, *notis ad Eus. Chr. p. 110. & s.*

§. XII.

Auget vim istius argumenti, quod ne sub Cadmo quidem plenum Alphabetum habuisse Græcos, constanter tenent Veteres. Itaque PLINIUS *l. c. sedecim tantum à Cadmo primum Græcis* ait *traditas*, *quibus quatuor adjecerit Trojano bello Palamedes*, Θ, Ξ, Φ, Χ, *quatuorque* item *postea Simonides*, Ζ, Η, Ψ, Ω, de quo cum similia refert *JOH. TZETZES in Chiliad.* ambigit, utrum Samius an Ceus fuerit *Simonides*. Ambos & SUIDAS nominat in παλαμήδης & Σιμωνίδης, priori dans ζ, π, (pro quo SALM. reponit θ.) φ, χ, alteri

ri litteras longas & duplices. Eosdem nominat, sed non expressis, quas singuli invenerint, litteris, & Cadmo etiam Cecropem ac Linum opponens, CORN. TACIT. *Lib. XI. Ann. C. 14.* Quin &, eodem teste PLINIO, illi, cui maxime expediebat, semper ac ubique Gentium viguisse credi litteras, ARISTOTELI placuit, *decem & octo fuisse priscas litteras, & duas* Φ, Χ, *ab Epicharmo potius quam à Palamede additas;* ex quo conjicitur, illum ceteras quatuor omnino à Simonide in medium prolatas falsum esse. Et certe satis multorum testimoniis firmatur, alphabetum Cadmi ab aliis postea esse suppletum, veluti quod PHILOSTRATUS *in Heroicis*, Υ, Φ, Χ, *Palamedis ingenio* adscribit *inventa;* de quarum priore littera adsentitur MARTIALIS *L. XIII. ep. 75.*

Turbabis versus, nec littera tota volabit,
Unam sustuleris si Palamedis avem.

Ubi hanc avem *Palamedis* vocat, ob hoc ipsum, quod turmatim volando, & in tale se fere schema componendo hanc litteræ Y figuram exprimere Palamedem docuerit. Quin & eadem ave sed sola, ut Viri docti censent, & unico pedi insistente etiam Φ à Palamede expressum arguit *in Monosyllabis litteris AUSONIUS:*

Hæc gruis effigies Palamedica porrigitur Φ.

Talia etiam in bonis libris jam olim legisse HYGINUM, *fab.* ejus, ut vocantur, 277. indicat; Sed ut id, quod res est, eloquar, indicat quoque, eundem ea misere miscuisse atque perturbasse. Apparet igitur, hos quidem diversarum litterarum diversos quoque Auctores facere, & in eo nonnunquam inter se dissentire certum est, uti certe in hoc falli, atque unam pro alia litteram arripere facillimum est, & hodie frequens. Sed dum omnes alia atque alia litterarum incrementa nobis narrant, fieri non potest, ut non Al-

Alphabetum paullatim, atque eo tempore, quod certo definiri possit, apud Græcos auctum perfectumque sit.

§. XIII.

Ac sane, si aciem mentis paullo diligentius intendamus, hic ipse dissentientium in rei summa consensus certius etiam id, quod volumus, probat, quam si à cunctis eodem modo recenseretur. Tum enim, vel conspirasse ad fingendum mendacium, vel unum mentientem ceteri temere secuti, credi possent. Sed qui sibi invicem in minutiis contradicentes, tamen in eo quod est præcipuum concordant, argumentum præbent haud paulo firmius, & quo omnes passim tam in veteribus historiis quam novis quoque rumoribus judicandis utimur. Veluti si fama hodie allata de prælio commisso, vel prolatis etiam de Veterum quadam pugna testimoniis, aliqui *tria millia*, alii *quina*, nonnulli & *myriadem totam cecidisse* nuntiarent, si pars utraque *victoriam in se* traheret, si alteri *hostium Ducem* ex. gr. *Paullum cecidisse*, *Fabium captum*; alteri pro *Paullo Scipionem cæde*, pro *Fabio Marcellum captivitate sese amisisse*, contenderent, vicissimque, hostibus suis licet abnuentibus, *nonneminem*, qui cum imperio fuerit, *captum atque trucidatum* imputarent, idque sine ulla conspirationis suspicione; de personis quidem cæsorumque numero, quæ in tanta rerum perturbatione contrariisque hominum studiis facile fallunt variantque, nihil certi nobiscum constitueremus; sed prælio utique certatum, multo firmiùs nobis persuaderemus, quam si tam multis narratoribus etiam circa levissima conveniret. Hoc enim, ut solent alias homines pro varietate ingeniorum atque affectuum res easdem diversis modis imaginari narrareque, compositam fraudem haud obscure demonstraret. Ceterum & in nostro negotio nullam esse compositam fraudem, cum hoc dissidium sententiarum, tum etiam

varia eorum qui ista tradunt ætas, argumento est, quæ profecto facit, ut neque conspirasse in fraudem dici possint, cum ætate sint diversi, neque mentientem unum ceteri secuti temere, cum à se discrepent, nec denique hoc ipsum dissidium, ad celandam fraudem simulasse, invexisseque, cum varii variis in locis, neque eodem etiam ævo degentes, & scripta item priorum, ut tum res erat, non omnia legentes, tamen in hac re mire consenserint. Itaque non dubitabunt veteris in hac re ritus gnari, quin singuli aut certe plerique, qui ista tradiderunt, è certi cujusdam Populi, vel etiam plurium, monumentis & traditione suas narrationes hauserint. Quæ ipsæ, ut jam nunc istud addam, fortassis ideo in nominibus eorum, qui litteras vel intulerint, vel auxerint, inter se pugnant, quod quilibet Populi eos notarint celebrarintque, à quibus primum usum litterarum acceperant, quos in variis, ejusdem licet regionis, Populis tamen varios fuisse necesse est.

§. XIV.

At his jam expositis pleneque confirmatis, nemo non videt, litterarum usum atque inventionem adeo temporibus à MOSE descriptis non esse vetustiorem, ut etiam haud paullo sit recentior. Nam CADMUM quidem certe non sinunt rationes Chronologicæ multo vetustiorem nos credere *anno Periodi Jul. 3387*, qui *in annum ante natum Christum 1327.* incidit. Bellum vero Trojanum, sub quo literas aliquas adjecit PALAMEDES, plus 130. etiam annis Cadmo est recentius, & 600. item annis Palamedem consecutus est SIMONIDES. Quod si cui pro Palamede substituere lubeat EPICHARMUM, atque eum statuere Alphabeti ampliatorem, uti *Aristoteli* diximus placuisse, etiam is multum infra bellum Trojanum subsidet.

§. XV.

Equidem non nego, etiam alteram quandam, verum haud paullo obſcuriorem, ſerpſiſſe jam olim famam, memoratam TACITO Annal. XI, quaſi litteras in Græciam importaſſet CECROPS, quem non injuria plus duobus ſæculis Cadmo vetuſtiorem faciunt Chronologi. Verum ſic quoque apparet, quam parum Moſaicæ de diluvio atque Orbe condito hiſtoriæ officere hoc inventum litterarum poſſit. Addit idem TACIT. etiam *Linum Thebanum*, de quo etiam SUIDAS: λέγεται δὲ πρῶτος οὗτος ἀπὸ Φοινίκης γράμματα εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν. Sed nec hoc litterarum apud Græcos vetuſtatem valde auget. Nam quod hic *Linus* in tempora maxime fabuloſa rejicitur, & ab aliis Apollinem, ab aliis Amphimarum Neptuni filium, ab aliis denique Mercurium parentem accipit, id vel cunctam hanc de ipſo narrationem pro commento traducendi nobis præbet facultatem, vel certe non aliam ætatem litteris tribuere cogit, quam qua hi ipſi Dii, ſcilicet, inter homines vixerunt, quam ſatis eſſe recentem, dictum alibi. Cum itaque Græcia, quæ inter Aſiam, Ægyptum atque Africam, fuit quaſi media, & faciles undique habuit aditus, tum & exteros ex variis oris accepit, ipſaque alios non infrequenter adiit, denique ingenia ſemper aluit acuta & novitatis doctrinæque avida, cum iſta, inquam, Græcia nihilominus tam ſero hanc jucundam, commodam, utilem, immo in magno & numeroſo Populo prope neceſſariam artem didicerit, nullo modo fit veriſimile, vel ipſam multo ante incolis frequentatam eſſe, vel eos qui de litterarum invento inter ſeſe alioqui certarunt, Ægyptios, Aſiaticos Græciæ viciniores, aut Africanos, pluribus ante ſæculis eodem inſtituto uſos fuiſſe.

§. XVI.

Hic erit fortaſſe non nemo, qui nos nequaquam recte atque ordine dicat feciſſe, quod de eo tam prolixe diſputemus, qui litteras alibi inventas in unam regionem transtulit, neque potius de ipſis, qui ferantur, inventoribus agere perrexerimus. Sed hi veniam dabunt nobis, ſi cogitaverint, amiſſis temporum injuria ceterarum Nationum monumentis plerisque, neceſſitatem nobis afferri, hac, qua uſi ſumus, ratione à Græcis ad cæteros Populos argumentandi, atque uti non obſcurum indicium litterarum extra Græciam inventarum præbeat pertinaciſſimus iſte Græcorum in iis aliunde accerſendis conſenſus; ita contra non eſſe eas infinitæ cujusdam ac plane reconditæ vetuſtatis, ſatis manifeſte probari ex hoc, quod iſtis ipſis Græcis tam ſero innotuerint. Ceterum neque primus litterarum inventor à paganis Auctoribus, præter populos totos velut Phœnices, Æthiopes ac Syros, & fabuloſos iſtos, de quibus diximus, fertur alius præter MENONEM, quem PLINIUS *Anticlidis fide litteras in Ægypto* refert *excogitaſſe, quindecim annis ante Phoroneum antiquiſſimum Regem Græciæ.* Sed, præterquam quod nulla eſt ratio, cur temere hanc fidem Anticlidæ ſoli, ac tam conſtanti antiquitatis fama confutato habeamus, ipſum *Phoroneum* Græcorum calculi non ſupra annum ante N. C. 1807. qui in Per. Jul. eſt 2907, ſubmovent, neque adeo Abrahamo Patriarcha ullo pacto vetuſtiorem faciunt. Quoniam autem illa altera de litteris à Phœnicibus primum prolatis opinio multo latius ſparſa eſt, & vero Iſraelitæ in Phœnice ſedes habuerunt, Tyriisque & Sidoniis, qui maxime Phœnicum exteros adierunt, & ab iis viciſſim frequentiſſime viſitati ſunt, fuere notiſſimi, tum &, ſi vel à MOSE tantum litteras primum ſtatuamus eſſe uſurpatas, pluribus ante Cadmum ſæculis Scriptura uſi ſint; non abſurda profecto cuiquam

quam videri debet Virorum doctissimorum sententia, quando ceteras Gentes illas à Populo Israelis demum didicisse contendunt. Quod de Mose ipso asseruere Eupolemus, *JOSEPHO contra Appionem*, & *EUSEB. L. IX. de Præp.* & *CLEMENTI ALEX. Strom. L. I.* citatus; item *THEODORET. in Gen. Interr. 61.* & *ISIDOR. Orig. L. I. C. 3.*

§. XVII.

Supersunt nunc porro nobis ex antiquissimis hominibus, qui litteris usi sunt, ITALI. Sed nos, quum præsertim iis alibi peculiarem & suum locum destinaverimus, non erimus in iis prolixi. Verbo tantum monemus, sive Pelasgi, sive Arcades, sive Nicostrata Evandri mater, alio nomine dicta Carmenta, sive denique hic ipse Evander, eas in illam regionem intulerit, certe eas ex Græcia manasse, & paullum etiam infra Cadmæarum litterarum vetustatem subsistere, id quod rursus Characterum similitudo plenius etiam confirmat. De *Iberis* piget prope aliquid addere, quos est qui jam olim sex mille annos litteris ac scriptura uti referat STRABO *L. III.* Quis enim ullum ejus Populi scriptum aut monumentum mediocris vetustatis sibi visum esse confirmat? Quæ alia litterarum & studiorum ibi vestigia? quæ doctrina? quæ artes? Sane fit his rebus, ut me pigeat cum Viris doctis ad id confugere, ut annos hujus nationis nonnisi quadrimestres fuisse respondeam. De *Sinensium* litteris, quarum tamen ætatem non tantam illi contendunt, ut si maxime iis crederemus, diluvio priores esse necessum sit, tum agemus, quando in altera V. D. disputatione omnem earum historiarum excutiemus antiquitatem.

§ XVIII.

Nunc porro afferamus aliud, etiam præ litterarum notis, mortalium generi necessarium. ARCHI-

TECTURA est, atque illa ars quæ tecta & latibula nobis parat, quibus adversus vim frigoris ac tempestatum, & item contra ferarum hominumque impetum defendamur. His sane malis ita infestatur homo, quod solum animal nudum atque inops non tantum nascitur, verum etiam, nisi sibi ipsum aliunde adversus ea præsidium comparet, perpetuo manet, ut si ea non possit propellere, nullis incendiis, nullis diluviis ad extinguendum ejus genus opus sit, sola una acrior hyems, aut uno mense sine intermissione ingruentes tempestates, aut ferarum bestiarum ex uno genere incursus stirpem ejus omnem exscindere delereque possit. Sane talia hæc sunt, ut homines si vel uno anno plurimi tota terra, uti ajunt Athei, fuisse fingantur, sine quibusdam ædium quasi rudimentis, imaginari nequeamus. Ergo æternas, si Diis ipsorum placet! ædes procudent Athei. Et tamen, ô bona veritas! adeo non fuerunt æternæ, ut quater mille tantum annos retro regressi, passim homines in specubus atque antris, in tuguriolis ramis ac vimine textis, aut

inter densas, umbrosa cacumina, fagos

delitescentes inveniamus.

§. XIX.

Quid ait præclarus Auctor æternitatis PLINIUS? etiam *lateritias domos* (hæc enim ex variis istius loci lectionibus videtur verisimillima) *constituisse primum Euryalum & Hyperbium fratres Athenis, antea specus fuisse pro domibus. Gellio autem Doxium Cæli filium lutei ædificii placere inventorem.* Ac ne quis hanc hominis ab ea quam adserimus sententia alienissimi confessionem eripere nobis audeat, firmamus eam etiam DEMOSTHENIS auctoritate, cujus elegans jocus in *Chalcum* obtrectatorem à *PLUT. in Vita Demost.* profertu.: Neminem furtorum frequentiam debere mirari

rari Athenis, ὅταν τὰς μὲν κλέπτας χαλκᾶς, τὰς δὲ τοίχας πηλίνας ἔχωσι, *quum fures quidem æneos* (Chalcos,) *domos autem luteas habeant.* Hic enim arguit jocus, etiam illo politiſſimo, prope dixerim, noviſſimo Athenarum tempore luteas pleraſque domos fuiſſe, neque proinde magna jam tum incrementa iſtam artem cepiſſe. Ideo, inquam, hoc addo, ne qui *THOMÆ REINESIO Viro Cl.* credunt, ſtatim omni robore caſſam hanc *Plinii* auctoritatem ſibi perſuadeant. Is autem *Var. Lect. L. II. C. 7.* propter locum *PAUSANIÆ in Atticis*, in quo *Agrotas & Hyperbius, natione Pelasgi, arcem Athenarum muris primum cinxiſſe* dicuntur, & alterum *HERODOTI, Eratus cap. 137*, qui, Agrota quidem & Hyperbio non commemoratis, *Pelasgis ob excitatos muros arcis ſedem ſub Hymetto attributam* teſtatur, *oblivione lapſum eſſe Plinium* contendit, *ac murorum Athenienſium auctores pro Auctoribus ædium condendarum arripuiſſe*, eamque etiam ob cauſam *Euryalum* in *PLINII Textu* mutat in *Agrotam.* At certe, quum PLINIUS *Pauſania* vetuſtior, neque vel hilum indoctior, ſeſe de domibus loqui ſciverit, atque ideo etiam ante illud tempus ſpecus fuiſſe pro domibus addiderit, tum & paullo poſt de mœniorum inventione agat ſeparatim, eamque Thraſoni tribuat; non video, quare non illi æque ac *Pauſaniæ* debeamus credere; imo quare propter locum Pauſaniæ, alio aperte ſpectantem, Plinii textum interpolare cogamur. Nam ſi cuncta expendamus, omne robur cardoque argumenti ejus vertitur in ſolo nomine *Hyperbii*, quod utrobique ſimile eſt. Quaſi vero non infinita nomina apud Græcos pluribus ſimul perſonis fuerint indita, aut non à PLINIO ſtatim poſt hunc Hyperbium Pelasgum, alter *Hyperbius Corinthius* recenſeatur, *qui orbem figulinum invenerit*, (de quo quidem etiam SCHOLIASTES PINDARI teſtatur, *Theophraſtum auctorem* laudans ἐν τῷ περὶ εὑρημάτων, in Olymp. od. 13.)

& item alter in fine *capitis*, *Martis filius*, *qui animal primus occiderit*. Tum certe etiam alia accedunt C. PLINII loca, quæ hominibus priscis specus pro domibus attribuant, veluti *Proœmium L. XII. Diu fuere occulta naturæ beneficia, summumque bonum homini datum arbores sylvæque intelligebantur. Hinc primum alimentum, harum fronde mollior specus, libro vestis*. Affertque in eam rem argumentum: *Etiamnum gentes sic degunt*. Neque aliter præclarus Architecturæ Veterum Auctor M. VITRUVIUS POLLIO, quem omnis ævi rationem ædificiorum summa cura atque industria investigasse apparet. Ille enim homines non ita multis ante se sæculis in *nemoribus atque antris* collocat, *atque igne demum ex mutuo arborum vento agitatarum illisu excitato in societates coivisse, & rudissima quædam*, quæ describit, *sibi confecisse tuguria, tum id sui quoque temporis Gallorum, Hispanorum, Lusitanorum, Aquitanorum, Ponticorum, Phrygumque exemplis comprobat*. Jam SICUL. DIOD. cum in *Primo Bibl. Libro* pluribus locis cuncta cumulat, quæ de primævo hominum statu in scriptis Veterum repererat, istud veluti rem inter omnes constantem ponit, homines primum *in speluncis* vixisse, immo ne eas quidem subiisse, nisi postquam frigoris asperitas plurimos peremerat. At Poëticorum testimoniorum, eorumque qui rudem & incultam veterum vitam descripserunt, magna quoque nobis suppetit copia. Ac ut eos solum, qui speluncas istas & nemora nobis narrant, recenseam, ceterosque alii, quem rectius tuebuntur, loco servem, scribit LUCRETIUS *L. V.*

- *nemora atque cavos montes sylvasque colebant,*
Verbera ventorum vitare imbresque coacti.

HORATIUS vero *L. I. Serm. Sat. 3. v. 106 cubilia* memorat fortuito oblata, de quibus nempe *fustibus & pugnis* contenderetur; *JUVENALIS speluncas, Sat. VI. v. 3.*

Cum

- - *Cum frigida parvas*
Præberet ſpelunca domos. - -

Ex hiſtoriis ſingularum Gentium non depromo ego jam quidem argumenta in hanc rem, quæ poſtea proferentur. Sed illud certe in univerſum confirmo, cujuscunque Populi Hiſtoriarum initia inſpiciamus, parva tuguria, vicos tenues, oppida rara & exigua inventuros; immo antra quoque & illa in ſylvis cubilia in multis Populis usque ad TACITUM, PLINIUM, STRABONEM, MELAM, perduraſſe.

§. XX.

Nunc velim mihi aliquis conſideret, num quo pacto fiat veriſimile, ab infinitis retro ſæculis in ſylvis illis & ſpecubus egiſſe humanum genus, nec niſi milleſimo ante Auguſtum Imperatorem anno, vel ſi forte unius atque alterius Gentis Architectonice paucis ætatibus hoc tempus ſuperat, ædificia ſolido lapide cœpiſſe ſtruere. Quod ſi qui ad hoc incommodum, quod maximum eſt, evitandum ab æterno quoque vel ſaltem ante plurimas ſæculorum myriadas ex antris iſtis in tuguria ab hominibus conceſſum ſtatuant, quæ ſcilicet ad exemplum vel archetypum nidorum, quos hirundines ſolent conficere, eſſent compoſita, (nam PLINIUS ita & VITRUVIUS aſſerunt;) tum illos ab æterno homines caſas ſuas luto illinere firmareque hirundines docuerunt, fuerintque adeo harum avicularum nidi hominum domibus, ſi Diis placet, *æterniores*. Nam & hæc vox *Pliniana* eſt & ex Lib. XIV. C. 2. promta, ne quis forte eam veluti monſtrum aliquod latinitatis pariter ſanæque rationis refugiat. Hem! tanti eſt ſapere, tanti per decem & amplius luſtra in Academia vel Peripato ambulaſſe. Sed ſi hæ qualescunque caſulæ tam ſunt vetuſtæ, cur tam tarde ſucceſſit politior ædificandi ratio? Cur ii, qui ſatis habuerunt

ſollertiæ ad imitandas in tuguriorum conſtructione hirundines, non etiam apes & formicas in earum diſtinctione ac inſtituendis contignationibus, quæ ſaltem hominum cubilia à pecudum ſtabulis ſegregarent, fuere imitati? Cur eos quotidiana incendia caſarum, quæ omnes ipſorum fortunas momento temporis abſumebant, ſolidiorem materiam ædificiorum non coëgerunt circumſpicere? Ubi vero fuerunt illa ingenia novandi cupida, quæ à primo ſtatim, quod per hiſtorias nobis innoteſcit, tempore nunquam neque ædificandi neque cæteras res tractandi modum & rationem vel uno ſæculo aut ætate hominum una eandem ſervarunt? Cur ea infinito ante tempore nihil in illa inculta ac temeraria tuguriorum extructione mutarunt? At ſi, quod ipſum etiam adſerit *VITRUVIUS*, *ignis fortuita vi ventorum atque attritu mutuo arborum eliſus primum, ut inter ſe homines conglobarentur, & ſermonem, caſas, ceteraque conderent, effecit;* ſic quoque profecto neceſſe eſt, in æterno mundo æternas quoque linguas & caſas fuiſſe; quum dici non poſſit, ventos poſt æternum ſilentium ſubito perruptis clauſtris flare cœpiſſe. Si vero in illa ipſa æternitate adfuit hæc ignis materia cauſaque, venti ac ſylvæ, quomodo id, quod infinitis ante ſæculis nunquam ex his cauſis profluxerat, ante quatuor demum millia annorum inde ſubito exiliit? Sin habuerunt jam tum tales, quid eſt cur tot ſæculis immo ab ultima æternitate rudes & impolitæ manſerint, atque à tot, quot dixi, duntaxat annis ornari perficique cœperint?

§. XXI.

Huc jam porro addi poteſt ceterarum rerum juſtis atque commodis ædibus neceſſariarum inventio. Veluti quod *tegulas ac metalla æris*, tum & *fabrorum inſtrumenta* primum invenerit *Cinyra Agriopæ filius in Cypro*, teſte PLINIO, *L. VII. C. 56.* cum antea ac multis in locis etiam poſt id tempus, *culmo ac ſcandulis* paſſim tectas

tectas fuisse domos clament Veteres, idemque PLINIUS distincte referat, *Romam ad Pyrrhi usque bellum scandulis tectam fuisse, L. XVI. C. 10.* item, quod *puteos in Græcia primum foderit Danaus ex Ægypto advectus, quod lapicidinas invenerit Cadmus, Thrason muros,* & quæ sunt alia ex eodem *PLINII, in L. VII. Capite.* Quorum illud de Danao confirmat, certe ad filias ejus trahit STRABO L. VIII. versum vetustum proferens: Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν, Δαναὰι θέσαν Ἄργος ἔνυδρον; alterum de Cadmo CLEMENS ALEX. L. I. Strom. Κάδμος ὁ Φοίνιξ λιθοτομίαν πρῶτος ἐξεῦρε. At horum certum est neminem esse, quin quadringentis minimum annis vero diluvio sit junior, etiamsi annos ex Hebraico Codice putemus. Cetera, quæ ad ædificiorum pariter atque aliarum artium novitatem demonstrandam pertinent, proxima oblata opportunitate disputabuntur. (*)

(*) Horum, quæ promittuntur heic, nihil potuit ὁ πάνυ præstare, negotiis aliis impeditus. Neque etiam adhuc in ejus MStis quidquam huc magnopere pertinens est inventum. Itaque istis Schedis nos oportet esse contentos.

* * * * *

VIII.

VIII.

JOH. HENRICI LEDERLINI,

d. v. in Acad. Argentor. Prof. P.

MELETEMA PHILOLOGICUM DE TEMPLIS ARGENTEIS DIANÆ EPHESIÆ,

Ad Locum Actor. XIX, 24.

Argumentum.

§. I. Scopus & ordo tractationis indicatur. §. II. Dictum explicandum proponitur. §. III. Variæ Interpretum ſententiæ circa illos ναȢς ἀργυρȢς Αρτεμιδος, quæ tres ſunt, enarrantur. §. IV. Earum prima ſtatuit, fuiſſe nummos ab impreſſa imagine ſic dictos. Exempla & teſtimonia hujus conſuetudinis adducuntur Pollucis, Horatii. Caſp. Waſerus & Beza citantur. §. V. Poſſidet tales nummos Galliæ Rex. §. VI. Sententia altera vult, fuiſſe ædiculas ad imaginem templi extructas; plura teſtimonia eam probantia adducuntur, & ob hæc plurimis doctis placet, Caſaubono, Salmaſio, &c. §. VII. Quidam utrumque admittunt, ex quibus eſt Eraſmus Schmidius. §.

§. VIII. Cl. Author primam ob defectum testimoniorum, quod nummi templa vocati fuerint, rejicit, & alteram amplectitur, eamque pluribus testimoniis probat. §. IX. Ad Bezæ argumentum, ex vi vocis Αργυροκοπος desumtum, respondetur. §. X. Ostenditur, quomodo vox *argentea* sit sumenda. §. XI. docetur, quod Xenophon in honorem Dianæ parvum extruxerit Templum in Scilunte simile illi Ephesino.

§. I.

IN Actis Apostolicis, quæ nuper brevi commentatione Auditoribus nostris exponebamus, cum alia notatu digna, tum vero etiam Demetrii illius ἀργυροκόπȣ templa Dianæ argentea, quæ fecisse eum Lucas narrat, non inter postrema occurrebant. De quibus σὺν Θεῷ pauca quædam, quæ Academico conflictui sufficere queant, conscripturis, textum primum ipsum ponere ob oculos, varias dein interpretum afferre sententias, denique nostram aperire mentem, placet.

§. II.

Textus in Actibus Apostolicis *capite XIX. commate 24.* in fontibus ita habet: Δημήτριος γάρ τις ὀνόματι, ἀργυροκόπος, ποιῶν ΝΑΟΥΣ ΑΡΓΥΡΟΥΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ, παρείχετο τοῖς τεχνίταις ἐργασίαν ȣκ ὀλίγην; id est, si verbum verbo latine reddas: *Demetrius enim quidam nomine, faber argentarius, faciens TEMPLA ARGENTEA DIANÆ, præbebat artificibus quæstum non exiguum.* Aliorum interpretationes hic cumulare citra necessitatem nolo, cum præsertim infra in ipsa tractatione nonnullorum fiet mentio.

§.

§. III.

In his verbis quærunt imprimis interpretes, quid ΝΑΟΙ ΑΡΓΥΡΟΙ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ; TEMPLA ARGENTEA DIANÆ ſint? Quorum *tres* potiſſimum deprehendo claſſes. *Prima* eſt eorum, qui illa templa argentea Nummos argenteos fuiſſe volunt, ita dictos ab imaguncula celeberrimi illius templi Epheſini, quod repræſentabant: *Altera* eorum, qui templi Epheſini εἰκονισμοὺς, parvulas effigies argenteas ad inſtar templi Epheſini factas fuiſſe contendunt: *Tertia* denique illorum, qui utrumque fuiſſe aſſerunt.

§. IV.

Qui priorem tuentur ſententiam, hoc fere nituntur fundamento: quod hi nummi a Demetrio cuſi templa argentea Dianæ, a figura ſibi impreſſa ſint dicti, ea ratione qua Corinthiorum quidam nummi πῶλοι *pulli*, Peloponneſiorum χελῶναι *teſtudines*, Athenienſium κόραι *puellæ*, Deliorum ſeu eorundem Athenienſium βοῦς *boves*, appellabantur; ab effigie ſcilicet pullorum, teſtudinum, boum, puellarum, &c. qua erant ſignati. Et ſane ſic nummos ab effigie ſua vocatos, veterum ſcriptorum non pauci annotarunt; quorum teſtimoniis paginam implere ſupervacuum judico. Unius POLLUCIS noſtri teſtimonium jam ſufficiat. Is *libro IX. ſegm. 73. Onomaſtici ſui* ita ſcribit: Οἱ μέν τοι τὸν βοῦν ἐκ τοῦ τυπώματος οὕτω κληθὲν νόμισμα καὶ Ομηρον εἰδέναι νομίζοντες, κ. τ. λ. *qui Bovem nummum ab impreſſa figura ita vocatum, Homero quoque notum fuiſſe exiſtimantes, &c.* & mox *ſegm. 74.* καὶ μὴν τὸ Πελοποννησίων νόμισμα, χελώνην τινὲς ἠξίουν καλεῖν ἀπὸ τοῦ τυπώματος, ὅθεν καὶ παροιμία:

Τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικῶντι χελῶναι.

Quin & Peloponneſiorum numiſma, teſtudinem quidam vocatum ab impreſſa figura volunt; unde & proverbium:

Vir-

Virtutem & sapientiam vincunt testudines.

Proverbii mentem HORATIUS FLACCUS expressit notissimis versiculis:

Vilius est auro argentum, virtutibus aurum.
O cives, cives, quaerenda pecunia primum est,
Virtus post nummos: haec Janus summus ab imo
Perdocet, haec recinunt juvenes dictata senesque,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.

Et sententiam quidem hanc de nummis templa argentea Dianae vocatis, inter alios fovet atque defendit CASPARUS WASERUS, Tigurinus, *de antiquis nummis Hebraeorum, Chaldaeorum & Syrorum, lib. 2. cap. 15. p. 89. seq.* ubi simul figuram ejusmodi nummi exhibet. Nec ab ea alienus est THEOD. BEZA, qui praeter *Waseri* fundamentum, ex eo quaerit praesidium, quod Demetrius, cujus hic fit mentio, ἀργυροκόπος vocetur; ἀργυροκόπον autem *a percutiendis seu feriendis argenteis nummis* dictum existimat.

§. V.

Neque neglecti fuere ejusmodi nummi a Collectoribus nummorum. Ita *JO. VAILLANT in Numismatibus graecis p. 34.* diversorum meminit nummorum sub Hadriano cusorum cum templo octo columnarum, in quo Diana Ephesia conspicitur. Idem aliorum adhuc meminit sub Vero sex columnarum, p. 62. & 63. quatuor columnarum; item sub Caracalla meminit nummi, in cujus postica visitur Diana in templo duarum columnarum, in alio quatuor columnarum; iterum in alio comparent tria templa, quorum id quod medium est, habet Dianam Ephesiam, & asservatur in REGIS CHRISTIANISSIMI thesauro incomparabili. FRANCISCUS porro MEDIOBARBUS, *Biragus*, in auctiore editione *numismatum Occonis* p. 183. mentionem facit nummi sub Hadriano

driano cusi, in cujus postica Dianam Ephesiam refert in templo quatuor columnarum, cum inscriptione: *Diana Ephesia.* Idem p. 81. meminit nummi sub Claudio cusi, qui exhibet in postica templum quatuor columnarum, in quo Diana Polymammia.

§. VI.

Altera eorum est sententia, qui TEMPLA hæc ARGENTEA DIANÆ, ædiculas argenteas, Ephesini templi imaginem referentes, fuisse existimant. Robur huic sententiæ ex antiquo accersunt ritu, quo parvis ejusmodi ædiculis Deos portabiles habuere veteres, quorum tutelæ & fidei vitam & fortunam credebant: cujusmodi ædiculas & ναῶν, & ναιδίων item ναΐσκων nomine vocitatas fuisse, Auctores non rejiculi fidem faciunt. Ita *HERODOTUS Euterpe, pag. m. 71.* meminit νηῦ μικρῦ ξυλίνυ καταχεχρυσωμένυ, *sacelli parvi lignei deaurati*, cui impositum erat ἄγαλμα, quod trahebatur τετρακύκλῳ ἁμάξῃ, *curru quatuor rotarum. EUSTATH. ad Hom. Il.* mentionem facit ναῶν ζευγηφορυμένων. Ita Dei cujusdam Phœnicum, qui Ἀγρότηρος & Ἀγρότης dicebatur, ξόανον μάλα σεβάσμιον, καὶ ναὸς ζυγοφορύμενος ἐν Φοινίκῃ, *simulacrum erat valde venerandum & templum in Phœnicia tractum a jugalibus.* vid. *EUSEBIUS Præpar. X, 1.* Apud DIONEM *libro XL. pag. m. 142.* inter signa Romanorum militaria habes νεὼν μικρὸν, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸν χρυσῦν ἐνεδρυμένον, *parvulam templi effigiem ligneam, inque eo impositam aquilam.* Cum quo loco conferunt quæ apud HERODIANUM, IV, 4, 12. leguntur: νεῷ ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τῦ στρατοπέδυ προσκυνεῖται, *ædicula, ubi signa ac simulacra exercitus adorantur.* Verum ex eodem hoc *Herodiani* loco de prioris loci expositione dubitat eruditus *LIPSIUS de Militia Romana libro IV. Dial. 5. pag. m. 166.* quamvis *SALMASIUS Exercit. ad Solinum, pag. 802. col. 2.* Dionis locum non aliter licere interpretari, quam de parvo

parvo templo, cui aquila signorum imposita, vel de parvo templo aquilæ imposi o, scribat; probationisque loco ex columna Trajani effigiem subjiciat. Sed his non immorabimur, nec litem faciemus nostram; quisque libero suo utatur per nos judicio licet. Dabimus clariorem DIONIS locum ex *libro XXXIX. p. 111.* ubi sacellum Junonis exiguum, mensæ cuidam impositum, memoratur hunc in modum: ἐν τῷ Αλβανῷ νεὼς Ἡρας βραχὺς ἐπὶ τραπέζης τινὸς πρὸς ἀνατολῶν ἱδρυμένος. *In Albano templum Junonis parvum in mensa orientem versus positum.* Egregius præterea in hanc rem locus est, qui occurrit apud veterem *SCHOLIASTEN græcum ad ARISTOTELIS Rhetor. I, 14, 2. fol. 26.* ubi, quinam Aristoteli ναοποιοὶ dicantur, his explicat verbis: ναοποιοὶ λέγονται, οἵτινες ποιοῦσι ΝΑΟΥΣ, ἤτοι ὡς εἰκονοστάσια μικρὰ ξύλινα, καὶ πωλοῦσι ταῦτα, id est, Ναοποιοὶ *dicuntur illi, qui TEMPLA, seu parvulas effigies templorum ligneas efficiunt, easque divendunt.* addere potuisset, *argenteas. DIODORUS SICULUS lib. XX. pag. 739.* scribit, Carthaginienses Herculi Tyrio misisse τοὺς ἐκ τῶν ἱερῶν χρυσοῦς ναοὺς τοῖς ἀφιδρύμασι πρὸς τὴν ἱκεσίαν. Ναϊδίων mentionem occurrere apud *Polybium*, testes sunt BEZA, GROTIUS, SALMASIUS, aliique. Ναΐσκους vero appellat *STRABO libr. XIV. pag. 637.* ubi Junonis templum Heræum appellatum in Samo describens, ait, præter plurimas ibi positas tabulas & πινακοθήκας etiam in eo templo fuisse ναΐσκους τινάς, *ædiculas quasdam.* Hancque alteram sententiam plures eruditorum fovent atque tuentur, exque allegatis a nobis locis propugnant. Suntque ii præcipue *CASAUBONUS, SALMASIUS in Solinum p. 803. PRICÆUS*, &, qui ante reliquos nominandus erat, ERASMUS, qui hos ΝΑΟΥΣ per DELUBRA vertit, inque suis annotationibus observat, hoc vocabulo significari *ædiculas seu thecas templi effigie, in quibus reponebantur statuæ.* VULGATUS quoque *ædes* reddit. Sed numerum ita sententium inire, non fert animus.

§. VII.

Pergimus ad illos, qui utramque ſententiam admittunt, & utramque amico conjungere vinculo ſtudent. Ex eorum parte ſtat ERASMUS SCHMIDIUS, unde ejus quoque malo verbis, quam meis, rem proponere. Ita autem is in annotationibus ad hunc locum ſcribit: *Hic* (per ναὺς ſcil. ἀργυρᾶς Ἀρτέμιδος, *templa argentea Dianæ*) *intelliguntur effigies argenteæ, vel alterius etiam metalli, Templi Dianæ Epheſini, una cum ſimulachro ſtatuæ Dianæ, ſive in forma ſolida, ſive pertuſa, ſive plana inſtar monetæ, prout diverſis diverſa placuit. Ex quibus Beza typum exhibet nobis nummi ejusmodi, tali effigie inſigniti, ut in ipſius notis videri poteſt.*

§. VIII.

Quod denique noſtram attinet ſententiam, nummus ſub Claudio cuſus, cujus ſupra §. 5. ex *Franciſco Mediobarbo Birago* mentionem feci, quique in tempora, de quibus in noſtro loco ſermo, incidit, BEZÆ & aſſeclarum ſententiam, præter alia jam allata, valde probabilem reddere poſſe videtur. Et ſane eam ambabus, quod ajunt, amplecterer, modo aliquis ex veterum ſcriptis locus occurreret, aut ab eruditis monſtraretur, ubi illi Dianæ nummi cum ejus & templo & imagine ΝΑΟΙ, TEMPLA, vocantur, quemadmodum ſc. de Corinthiorum pullis, Athenienſium bobus, Peloponneſiorum teſtudinibus, &c. ex auctorum teſtimoniis abunde conſtat; vide §. 4. Sed & præter hæc, jus monetam cudendi Demetrio erit ex antiquitate aſſerendum, quod tamen τεχνῖται *artifices* in textu noſtro additi valde improbabile reddunt. Quamdiu itaque hic mihi hærebit ſcrupulus, eos, qui TEMPLA HÆC ARGENTEA DIANÆ per εἰκονισμοὺς magni illius & celeberrimi Dianæ templi, ſeu *ædiculas* ejus templi artificium referentes, cum impoſito Dianæ parvo ſimulachro, interpretantur, minime a

vero

vero aberrare arbitrabor. Præterquam enim, quod vox quælibet tamdiu in nativa sua & prima significatione, donec urgeat gravis aliter exponendi necessitas, accipienda sit, vox autem ναὸς proprie *templum*, non vero *nummum templi effigie signatum* notet; usus varii generis templa parva extruendi accedit, id quod § 6. pluribus comprobatum est. Isque ritus conficiendi ejusmodi ναΐσκυς, ναΐδια seu ναὺς, non χθὲς καὶ πρώην demum natus, sed perantiquus est, præsertim si fidem habeamus nonnullis Interpretum, qui verba Stephani in *Actis* VII. 42. ex *Amoso* Propheta allegata, καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τῦ Μολὸχ, *& humeris vel manibus sublatum portastis tabernaculum Molochi*, de eo tempore, quo Israelitæ in deserto adhuc errabant, exponunt. Neque vero obstare potest, quod testimonia Auctorum supra §. 6. allegata de templis majoris formæ, quam nostra forte fuere, loquantur; saltem enim id ex iis tuto concluditur, portabilia ea fuisse. Libenter enim hoc doctissimo GISB. CUPERO in *Harpocrate*, p. 131. largiar, templa, de quibus in nostro loco sermo est, admodum parva fuisse, ut puparum supellectilem, quæ religiosi secum ferre poterant. Valde siquidem probabile videtur, ejusmodi εἰκονοςάσια pro arbitrio ementium majora aut minora fuisse, & talia, ut etiam a peregre abeuntibus circumferri, & in memoriam ipsius Ephesiæ Dianæ domi aut alibi coli potuerint. Quid enim in gentilium idolomania frequentius, quam ut Deorum imagines & brevia figmenta, actionum suarum auspices, secum semper habuerint comites. *Asclepiadem* sane *philosophum*, *Deæ cælestis argenteum breve figmentum, quocunque iret, secum solitum afferre*, fidem facit *AMMIAN. MARCELLINUS libro XXII. p. m 409.* Et de seipso *L. APULEJUS in Apologia pro se prima, pag. 136.* hæc scribit: *Morem mihi habeo, quoquo eam, simulachrum alicujus Dei inter libellos conditum gestare, eique diebus festis, thure & mero, & aliquando victimis supplicare.*

Neque vero ſimulachra tantum Deorum ita ſecum ferebant, ſed & gemmis, annulis, &c. inſculptas Deorum Dearumve geſtabant imagines, ut Julius Cæſar, qui teſte *DIONE libro XLIII. p. 266.* γλύμμα τῆς Ἀφροδίτης ἔνοπλον ἐφόρει, καὶ σύνθημα αὐτὴν ἐν τοῖς πλείστοις καὶ μεγίστοις ἐποιεῖτο. *Cælaturam ſ. ſculpturam Veneris armatam geſtabat, eaque teſſera in rebus plurimis & maximis utebatur.* Interpres de *Venere armata annulo inſculpta* græca verba accepit, quod libenter ego conceſſerim. Sed non Deorum tantum, verum etiam heroum imagines eundem in finem circumferebant. Macrianorum familiam ſic geſtaſſe Alexandrum Magnum, refert *TREBELLIUS POLLIO in Quieto, pag. m. 551.* his verbis: *Videtur mihi non prætermittendum de Macrianorum familia, quæ hodieque floret, id dicere quod ſpeciale ſemper habuerunt. Alexandrum Magnum Macedonem, viri in auro & argento, mulieres & in reticulis & dextrocheriis & in annulis & in omni ornamentorum genere, exſculptum ſemper habuerunt: eo uſque, ut tunicæ & limbi & pænulæ matronales in familia ejus hodieque ſint, quæ Alexandri effigiem deliciis variantibus monſtrent.* Et paulo poſt: *Quod idcirco poſui, quia dicuntur juvari in omni actu ſuo, qui Alexandrum expreſſum vel auro geſtant vel argento.*

§. IX.

Neque vero ſententiæ noſtræ obſtat, quod BEZA ait: *ἀργυροκόπον a percutiendis ſeu feriendis nummis dici.* Quemadmodum enim facile Bezæ largimur, ἀργυροκόπον denotare eum, *qui argenteos nummos cudit, pecuniam ſignat*, quique *Gloſſis Veter. Monetarius* eſt; ita viciſſim, id tantum notare negamus. Siquidem in iisdem *Veterum Gloſſis* ἀργυροκόπος quoque *faber argentarius* vocatur. Quo ſenſu vox hæc videtur PLUTARCHO uſurpari in tractatu *de vitando ære alieno, c. 9. edit. Stephan. moral. tom. 3. p. 1485.* ubi poſtquam exemplo Cleanthis philoſophi oſtendit, ſufficere ſibi poſſe hominem

minem, & ad neceſſaria vitæ hujus acquirenda fœneratotibus non eſſe opus; luxum eosdem, ut & alia non neceſſaria, inter quæ & ἀργυροκόπους locat, progenuiſſe docet his verbis: ἡ τρυφὴ δανειστὰς ἐποίησεν, οὐχ ἧττον ἢ χρυσοχόους καὶ ἀργυροκόπους καὶ μυρεψοὺς καὶ ἀνθοβάφους. οὐ γὰρ ἄρτων οὐδὲ οἴνου τιμὴν ὀφείλομεν, ἀλλὰ χωρίων καὶ ἀνδραπόδων καὶ ἡμιόνων καὶ τρικλίνων καὶ τραπεζῶν, καὶ χορηγοῦντες ἐκλελυμένως πόλεσι φιλοτιμούμενοι φιλοτιμίας ἀκάρπους καὶ ἀχαρίστους. quæ *Guilelmus Xylander*, Auguſtanus, ita latine reddidit: *Luxus ut aurarios argentariosque fabros, & unguentarios ac precioſorum colorum tinctores, ita fæneratores etiam produxit. Non enim panis aut vini pretium debemus; ſed prædiorum, mancipiorum, mulorum, tricliniorum, menſarum, & ea quæ effuſe in publicum faciendo ſumtu, aut ambitioſe inutiliterque magnificentiam affectando, prodegimus.* Accedit quod in ſupellectile ſua vaſa argentea, tripodes, pocula, &c. veteres habuerint. Quæ quis quæſo confecit alius quam ἀργυροκόπος? Denique his addi meretur, quod verbum κόπτειν, unde ἀργυροκόπος compoſitum ſimul ex voce ἀργύρου deſcendit, etiam de fabro uſurpetur. *HOMERUS*, *Iliad. E. v. 379.* de Vulcano tripodas fabricante addit:

- - - κόπτε δὲ δεσμούς,

vincula ſeu clavos cudebat.

quæ ipſa verba in alio loco, *Odyſſeæ* ſcil. Θ. v. 274. Poëta repetit. Sed rei manifeſtæ præſidia quærere ulteriora non juvat.

§. X.

Firma itaque eorum maneat ſententia, qui per Templa argentea Dianæ hic parva templa ad formam templi Epheſini, una cum parvo Dianæ ſimulacro, a Demetrio & operis ejusdem ſociis ex argento effiсta & elaborata fuiſſe, ſtatuunt. Quod autem in textu noſtro præciſe eſt additum, *argentea*, id, probe notante PRICÆO, διακριτικῶς ſumendum eſt. Quandoqui-

doquidem ejusmodi nugamenta ex auro quoque aliave materia, imo ligno, fieri consueverant, uti ex supra allegatis atque aliunde satis constat.

§. XI.

Coronidis jam loco quædam de templo Ephesiæ Dianæ ipso, toto orbe celebratissimo, ejusque structura artificiosa, pecuniæ in eo depositæ vi magna, donariisque eximiis dici posset, nisi illud a pluribus jam eruditis esset præstitum, quorum Catalogum habes apud Clarissimum Virum *JO. ALBERTUM FABRICIUM, in Bibliographia antiquaria, Cap. IX. §. 19. pag. 297.* Id tantum hic annotasse forte non ingratum erit, XENOPHONTEM ex pecunia, quam ex præda comparaverat, quamque apud Megabyzum deposuerat, extruxisse Scilunte templum parvum in honorem Dianæ, ad similitudinem celeberrimi hujus templi Ephesini. Qua de re ipsius *XENOPHONTIS, libro V. de Expeditione Cyri, p. 274.* sic scribentis, verba addere lubet: Ἐπεὶ δὲ ἔφυγε Ξενοφῶν, κατοικοῦντος ἤδη αὐτοῦ ἐν Σκιλλοῦντι, ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων οἰκισθέντι παρὰ τὴν Ὀλυμπίαν, ἀφικνεῖται Μεγάβυζος εἰς Ὀλυμπίαν θεωρήσων, καὶ ἀποδίδωσι τὴν παρακαταθήκην αὐτῷ. Ξενοφῶν δὲ λαβὼν, χωρίον ὠνεῖται τῇ θεῷ, ὅπου ἀνεῖλεν ὁ θεός. ἔτυχε δὲ διαῤῥέων διὰ τοῦ χωρίου ποταμὸς Σελληνοῦς. καὶ ἐν Ἐφέσῳ δὲ παρὰ τὸν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος νεὼν Σελληνοῦς ποταμὸς παραῤῥεῖ, καὶ ἰχθύες δὲ ἐν ἀμφοτέροις εἰσὶ καὶ κόγχαι. ἐν δὲ τῷ Σκιλλοῦντι χωρίῳ καὶ θῆραι πάντων ὁπόσα ἐστὶν ἀγρευόμενα θηρία. ἐποίησε δὲ καὶ ναὸν καὶ βωμὸν ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἀργυρίου. καὶ τολοιπὸν ἀεὶ δεκατεύων τὰ ἐκ τοῦ ἀγροῦ ὡραῖα, θυσίαν ἐποίει τῇ θεῷ. κ. τ. λ. quæ Joh. Levvenklaius ita latine vertit: *Postea vero, quum esset in exsilio Xenophon, ac jam Scilunte habitaret, quod oppidum a Lacedæmoniis propter Olympiam conditum erat: venit ad Olympiam spectandi gratia Megabyzus, ac depositum Xenophonti restituit. Eo recepto Xenophon, agrum illo loco Deæ* (Dianæ) *mercatus est, qui Apollinis oraculo demonstratus erat. Perlabitur eum agrum Sellenus amnis.*

Iti-

Itidem apud Ephesum propter ædem Dianæ Ephesiæ Sellenus fluvius præterfluit; uterque pisces habet & conchas. Præter hæc in eo, qui apud Sciluntem est agro, venari feras omnes, quæcunque indagando capiuntur, licet. Templum etiam cum ara de pecunia sacra extruxit, ac post id temporis consecratis fructuum agri decumis, sacrum Deæ faciebat. &c. Et paucis interjectis: ὁ δὲ ναὸς, ὡς μικρὸς μεγάλῳ, τῷ ἐν Ἐφέσῳ εἴκασαι, καὶ τὸ ξόανον ἔοικεν ὡς κυπαρίσσιον χρυσῷ ὄντι τῷ ἐν Ἐφέσῳ. καὶ στήλη ἕστηκε παρὰ τὸν ναὸν γράμματα ἔχουσα, ΙΕΡΟΣ Ο ΧΩΡΟΣ ΤΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. *Fanum ipsum ut parvum magni similitudinem Ephesini refert: itemque simulachrum ut cupressinum, Ephesino aureo simile est. Propter fanum columna est erecta, quæ has literas continet: AGER DIANÆ SACER.* Esset hic commodus de Dianæ Ephesiæ simulachro dicendi locus, siquidem pagellarum illud permitteret angustia. Verumenimvero quoniam & hac in parte τῶν φιλολόγων curiositati a CLAUDIO MENETREIO, Cimeliothecæ Barbarinæ Præfecto, in peculiari tractatu *de Symbolica Dianæ Ephesiæ statua*, Romæ typis Mascardi 1657. in quarta forma exposita, & in *Thesauro Antiquitatum Græcarum, a JAC. GRONOVIO* edito, Volumine VII. p. 357. seqq. typis alterum exscripta, egregie jam est satisfactum, finem huic meletemati philologico imponentes exclamamus: Μέγας ἐστὶν ὁ Σωτὴρ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν!

* *

IX.

CONSPECTUS ACADEMIÆ BASILIENSIS,

In quo PROFESSORUM EJUS Natales, Munera ac Scripta referuntur. *

In Theologia.

I.

SAMUEL WERENFELSIUS, Petri Werenfelsii, d.v. S. Litt. Professoris & Ecclesiarum Basiliensium Antistitis Filius, S. Th. Doctor & N. T. Professor, Societatis Anglicanæ de propaganda fide, & Regiæ Scientiarum Berolinensis, membrum. Basileæ natus est Kal. Martii, A. 1657. ad S. Ministerium admissus A. 1677. ad *Logicam* docendam vocatus A. 1684. ad *Græcam Linguam* A. 1685. ad *Eloquentiam* A. 1687. ad *Professionem Theologicam* A. 1696. Ceterum Anno 1704. ab Ordinibus Frisiæ perquam honorifice vocatus fuit ad Theologiam in Academia Franekerana publice docendam. Literis vocatoriis Statuum suas adjecit humanissimas Celeberrimus *Vitringa.*

Varias edidit Dissertationes & Orationes, omnes eximiæ in Deum pietatis, singularis ingenii, & acris judicii testes. Primum illæ seorsim, deinde cum Basileæ A. 1709. in 8. tum Amstelodami typis Wetstenianis, 2. Vol. in 8. A. 1716. una cum tractatu *de Logomachia Eruditorum*, qui jam ante Amstel. quoque 1693. impresius prostabat, conjunctim editæ fuere. Anno autem 1718. *Opuscula* ejus omnia Basileæ uno volumine in forma quadripertita recusa, absolvunt quin-

* Conf. Biblioth. Brem. Cl. II. p. 309-339.

quinque, ut vocant, Alphabeta cum tribus foliis. In hac editione apparent, quæ prioribus non insertæ erant Diss. de *Adoratione Hostiæ*, de *Naamane Syro ab hypocrisi vindicato*, Observ. in loca quædam Scripturæ, Matth. V. 3. 6. 20. XVI. 18. XXIII. 8. 9. 10. Marci IX. 49. 50. Luc. XVI. 9. Joh. XIII. 8. 9. 10. XX. 17. Act. XXIII. 5. Rom. VI. 23. XII. 20. Heb. XII. 15. Jac. V. 14. Diss. de *Stylo Scriptorum N. T.* De *Scopo Doctoris in Academia S. literas docentis*, Adversus *Carnalem securitatem*. *Cogitationes* generales de *ratione uniendi Ecclesias Protestantes*, quæ vulgo Lutheranarum & Reformatarum nominibus distingui solent; ex Germanico in Sermonem Latinum conversæ. De *Controv. Theolog. rite tractandis*. *Vita Joh. Jac. Buxtorfii*, & reliqua. Ceterum *Sermones* aliquot ecclesiastici Gallice habiti ab eo in lucem emissi, & postea tum heic, tum in Germania vernacule conversi sunt. Adde his *Mitram Aaronis capiti impositam*, seu solennia actus inauguralis, quo supremos in Theologia honores contulit *D. Hier. Burcardo*, &c. editam Basileæ A. 1709. 4. sed illi *Operum* editioni non insertam. *Opuscula* multis Dissertationibus aucta, hoc ipso anno excusa sunt denuo apud Lausannenses 2. Vol. in 4. Quæ nova huic Editioni accesserint, enarratur in Præfationibus utrique volumini adjectis à *Petro Ryhinero*, Log. Prof. Auctoris ex Sorore nepote, cujus curæ is hanc Opusculorum suorum novam Editionem demandavit. *

II.

JOH. LUDOVICUS FREY, S. Theol. D. d. 16. Nov. 1682. Basileæ natus. Cum aliquamdiu docuisset *Linguas Orient.* Arab. Samar. &c. commissa ei fuit A. 1711. Professio *Histor.* & *Theolog.* illa ordinario, hæc extraordinario Titulo administranda. A. 1737. à Professione Theol. Extraord. transiit ad Ordinariam, & *Veteris* quidem *Test.* omissa Professione Historica. Eodem Anno præsedit duabus Disputatio-

* Vid. infra Nova Liter. Helvet.

tionibus Theolog. solemnibus; paulloque post Collegam conjunctiss. *Joh. Grynæum*, SS. Th. *Doctorem* renuntiavit.

Edidit A. 1699. Diss. de *Natura Mentis humanæ.* A. 1703. Diss. Philolog. Theol. in qua *Mohammedis sententia de Jesu Christo expenditur.* A. 1705. *Excerpta Hebraica & Comment. R. Aaronis ben Joseph*, Caraitæ, *cum Versione & notis.* 4. Amstelod. Eod. Diss. Philol. de *conjungendo studio Linguarum Orientis cum studio græco.* 1706. Diss. *de Syro.* 1711. & seq. Diss. Theolog. de *Officio Doctoris Christiani*, prodierunt huc usque aliquot. Sub ejus præsidio Disp. Theolog. habitæ sunt, de *Juramento, de variis Lectionibus N. T.* de *Ortu Religionis*, de *Perfectione Scripturæ S.* de *Missa*, &c. A. 1726. & seq. una cum Desideratiss. Collega *Iselio* & Consult. D. *à Waldkirch*, ad emendandum & locupletandum *Lexicon* illud vastum *Historicum* operam contulit, & præter varias Emendationes ad 500. ferme novos articulos, ad Eruditos Orientis & Britanniæ, sed & Basilienses, præcipue pertinentes, adjecit. Cum dein A. 1729. caussa W. ab ampliss. Magistratu ad Ven. Conventum Theolog. devolveretur, varia scripta hujus rogatu & nomine partim latino, præcipue vernaculo, sermone exaravit, edita postea in *Actis* W. & *Epist. Apologet. Ord. Theol.*

III.

JOHANNES GRYNÆUS. S. Theol. Doct. natus est d. 22. Junii 1705. Linguam Hebraicam vicaria opera publice docere cœpit A. 1736. Exeunte dein A. 1737. ab illa Provincia ad tertiam Professionem Theolog. *Locorum* nempe *Commun. & Controversiarum* vocatus fuit.

Nihil edidit, præter diversi generis Theses, easque fere ex occasione vacantis alicujus in Academia patria Cathedræ publicæ Eruditorum συζητήσει propositas, & A. quidem 1725. *Theses Miscellaneas Juridicas* pro-

pro consequendis summis in utroque Jure, cujus se studio primum addixerat, honoribus. A. 1727. Theses ex *Jure Naturæ & Philosophia Morali* desumtas. A. 1731. Theses Logico-Philosophicas. A. 1733. חבורי לקט *Conlectanea* vacante tum Cathedra Linguæ Hebraicæ, & denique A. 1737 pro consequendo Doctoris Theologi gradu *Thesium Theologicarum Tumultuariam Congeriem*, ac paulo post *Fasciculum Thesium Theologicarum*. 4.

In Jurisprudentia.

I.

JOHANNES TONIOLA. J. U. D. Digestorum & Juris Canonici Professor; natus est A. 1665. d. 21. Febr. Ad dignitatem Professionis Codicis & Juris Feudalis evectus fuit A. 1720. d. 17. 7bris. & vi hujus membrum Capituli Petrini exstitit: Gradum U. J. Doctoratus suscepit A. 1721. d. 22. April. Relicta priori Professione post obitum Ampliss. Antecessoris digesta & Jus Canonicum profiteri cœpit A. 1732. d. 17. Aug.

Variis temporibus complures edidit Disputationes Juridicas, argumentis ex omnibus Juris partibus petitis.

II.

JOH. RODOLPHUS à WALDKIRCH. J. U. D. Institut. Imperial. & Juris Publ. Professor. Natus M. Octob 1678. Studio Juridico absoluto, Dissertationem Inauguralem pro Gradu Doctorali obtinendo habuit, A. 1704. *De Fœnore Nautico*: & ex itinere (quod in Comitatu Illustriss. Dominorum Baronum de Döingenberg fecit) in Patriam redux, Gradum Doctoralem in utroque Jure A. 1711. assumsit. Cum dein A. 1718. Cathedra Juridica in Academia Bernatium Lausannensi, per discessum Clariss. *Barbeyracii* vacaret, pro

pro ista obtinenda Bernam vocatus publice disputavit; Sed pro Cathedra Lausannensi ipsi Cathedra Juridica in ipsa Bernatium Metropoli gratiose fuit concessa, in qua Jus Naturale & Civile docuit, donec A. 1722. in Decemb. reverteret in Patriam, ad capessendam in patria Academia Juridicam Professionem, tum sibi delatam, in qua Munus Rectoris A. 1727. gessit; receptus quoque est A. 1723. in Collegium Canonicor. ad D. Petrum, cujus Decanatu functus est. Scripta ejus in lucem emissa sunt:

Tractatus de Tortura, Germanice scriptus.

Annotationes & explicationes ad dilucidandum Illustr. Puffendorffii libellum de Officio Hominis & Civis.

Introductio in Historiam Helvetiæ Politicam, junctis fœderum Tabulis & aliis Pactis publicis.

Compendium Historiæ Politicæ & Ecclesiasticæ.

Ad Lexicon quoque Universale, typis & sumtibus Brandmüllerianis Basileæ impressum, suam contulit opellam, uti Iseliana Præfatio docet.

III.

NICOLAUS BERNOULLI. J. U. D. & Prof. natus d. 10. 8bris 1687. Academiæ Scient. Berol. adscriptus A. 1713. Londin. A. 1714. Institut. Bonon. A. 1724. ad Matheseos Professionem Patavinam vocatus A. 1716. eamque aggressus 22. Decembr. ejusd. anni, Doctoris in U. J. titulo Basileæ absens ornatus est d. 25. Maji, 1717. Professionem Logicam in patria Academia nactus d. 8. April. A. 1722. promotus inde ad Cathedram Codicis & Juris Feudal. d. 27. Maji. A. 1731. Nunc Academiæ Rector Magnif. A. 1739.

Scripta ejus in lucem edita sunt:

Dissertatio Inauguralis Juridica de Usu artis conjectandi in Jure. Bas. 1709. Solution du Probleme sur la Lotterie de Lorraine *Journal des Savans. 1711.* Solutio generalis Problematis 15. Tractatus D. Moivvæi de

de Menſura ſortis. *Philoſophical. Tranſactions. Num. 341.* Recueil de Lettres à Mr. de Monmort inſerées dans le Traité de Mr. de Monmort intit. Eſſay d'Analyſe ſur le jeux de hazard. ſec. Edit. à Paris, 1714.

Annotazioni ſopra lo ſchediaſma del Sign. Conte Jacobo Riccato publicato nel T. 19. del Giorn. de' Letterati d'Italia, Artic. 7. coll. anneſſa ſoluzione propria del Problema inverſo delle forte centrali agenti in mezzo non reſiſtente, de dotta da Principi medeſimi del Sig. Neuton. *Giorn. de' Letter. d'Ital. Tom. 20. Art. 13.* Riſpoſta al Sign. Conte Jacopo Riccato. *Giorn. de' Lett. d'Italia. Tom. 24. Art. 4.*

Obſervazione intorno al Teorema propoſto dal Sig. Giulio Carlo de Fagnani nell' Art. XII. del Tomo XXVII. del Giorn. de' Lett. d'Italia. *d. Giorn. Tom. 29. Art. 5.*

Dimoſtrazione analitica di un Teorema, il qual ſerve per la ſoluzione del Problema propoſto nel Tomo XX. del. Giorn. de' Lett. d'Ital. all' Art. XIII. *d. Giorn. 29. Art. 6.*

Analiſi dello ſteſſo Problema. *Giorn. de Lett. d'Ital. Tom. 33. Art. 4.*

Solutio Problematis de invenienda linea Curva, quam deſcribit projectile in medio reſiſtente in ratione duplicata aut quacunque multiplicata velocitatis. *Act. Lipſ. 1719. pag. 224.*

Tentamen ſolutionis generalis Problematis de conſtruenda Curva, quæ alias ordinatim poſitione datas ad angulos rectos ſecat. *Act. Lipſ. 1719. p. 295.*

Reſponſio ad Art. VII, Tom. XXXI. Diarii Erud. Italiæ. *Act. Lipſ. 1720. pag. 471.* Solutio Problematis de invenienda æquatione differentiali completa ex data differentiali æquatione incompleta. *Act. Lipſ. Suppl. Tom. VII. p. 311.*

Reſponſio ad ea, quæ Jul. Carol. de Fagnanis edidit in Art. VI. Tom. I. Suppl. Diar. Ital. ut & in Sect.

2.

2. Tom. VIII. Suppl. Act. Lipſ. continens præter alia novum Theorema pro integratione æquationum differentialium ſecundi gradus, quæ nullam conſtantem differentialem ſupponunt. *Act. Lipſ. Suppl. Tomo IX. pag. 98.*

Solution du Probleme de Mr. N. B. de C. inſeré dans le Mercure de Suiſſe au Mois de Decembr. 1733. p. 99. avec des Remarques ſur la Lettre ecrite à cette occaſion, dans la Volume de Janvier 1734. p. 106. dans laquelle on a donné une fauſſe ſolution de ce Probleme. *Merc. Suiſſ. Apr. 1734. p. 41.*

Eſſay d'Eſtimation de la Valeur des Rentes Viageres creez en forme de Tontine par Edit du Roi donné au mois d'Aout. 1734. *Mercure Suiſſe.*

Theſes porro edidit Logicas de Methodo Analytica & Synthetica. Baſ. 1722. & variis occaſionibus Theſes Juridicas Miſcellaneas. Baſ. 1714. 1720. 1722. 1731.

In Medicina.

I.

JOH. RODOLPHUS ZUINGERUS, Theodori fil. natus d. 3. Maji. 1692. Baſileæ, renunciatus Med. D. d. 30. Septemb. 1710. in Academia patria, biennio poſt ibidem ad Profeſſionem Logicam in Facultate Philoſophica promotus, cujus auſpicia cepit d. 3. Maji. 1712. habita lectione de Artis Dialecticæ Inventoribus. A. 1721. factus eſt Anatomices & Botanices Profeſſor. A. 1724. poſt obitum Parentis ad Profeſſionem Medicinæ Pract. translatus, quam adhuc profitetur.

Edidit Diſſertationes: de Cerebri humani ſtructura naturali. d. 14. Jul. 1710. De uſu & functionibus indeque dependente Inclinationum atque Ingeniorum diverſitate Baſileæ. 1710. 4. Diatriben de Præjudiciis Mentis, 1712. 4. Artem cogitandi erotematicam cum

cum Præludio Philosophiæ. Bas. 1715. 8. Paradoxon Logicum: Quod omnis homo bene ratiocinetur. 1718. Meditatur nunc *Adversaria Medico-practica*. Ille nunc sextus est ex eadem Familia Professor. Ejus etiam Frater, *Fridericus* nomine A. 1731. Med. D. creatus, cum litterarum studio, tum vitæ morumque probitate, Majorum vestigia premit, & Medicinam docendo faciendoque, de publico bene meretur.

II.

EMANUEL KOENIG. Em. fil. Phil. & Med. Doct. Theoriæ Professor publicus natus est Mense 8bri A. 1698 Magisterii Philosophici titulum accepit A. 1714. Doctor Medicinæ creatus est A. 1718. Anatomiæ & Botanices Cathedram nactus est A. 1732. Inde ad Professionem Theoricæ Medicæ promotus est. A. 1733.

Scripta edidit: A. 1718. Pro gradu Doctor. de Stimulis Villorum. C. N A. 1721. Pro Cathedr. Med. Theses, Resp. *Joh. Buxtorffio. 1722.* pro Cathedra Logica Th. Respond. *Bened. Stebelio.* 1724. pro Cathedra Med. Th. Resp. *Henrico Alberto Nicolai*, Argentinensi. 1726. Pro Cathedr Phys. Thes. Resp. *Hieron. Gemusæo.* A. 1727. Cogitata de Jure Naturali & Moribus Hominum, vacante Professione Juris Nat. & Phil. Moralis. Resp *Andrea Weissio.* 4. 1732. pro Cathedr. Med. Thes. Respond. *Franc. Ludov. Cretto*, Neostadiensi. 1736. *Plateri* Praxin medicam, noviter à Thurnisiis fratribus recusam, edidit, adjecta Præfatione, cui Epistolam. J J. *Wepferi* Med. Scaphus. subjunxit, & Indicem Generalem in omnes 3. Tomos. 4.

III.

DANIEL BERNOULLIUS, Joh F. Ph. & Med. D. Anat. & Botan. P. P. natus est a. 1700. In Academiam Petropolitanam vocatus a. 1725. Membrum In-

Instituti Bononiensis factus anno præcedente, 1724. In Patria designatus Anat. & Botanices Prof. A. 1733. Aggressus eam provinciam est anno eodem, cum patriam repetiturus, ab Aug. Russiæ Imperatrice Acad. Scient. Petropolitanæ Prof. Honorarius denominatus, perpetuoque stipendio annuo donatus fuisset. Scripta sunt:

Dissertationes variæ in Acad. patria habitæ, cum Philosophicæ, tum Medicæ.

Exercitationes quædam Mathematicæ, Venet. A. 1724. in 4. apud Dominicum Louisan.

Pieçes pour perfectionner les Clepsydres sur mer, qui a remporté le prix de l'Academie Roiale des sciences, proposé pour l'année 1725. selon le fondation faite par feu Mr. Rouillé de Merlay, ancien Conseiller au Parlement de Paris. Paris, chez Claude Jombert. 4. 1725.

Recherches Physiques & Astronomiques sur le Probléme proposé pour le seconde fois par l'Acad. R. des Sciences de Paris: *Quelle est la cause Physique de l'inclinaison des plans des orbites des Planetes par raport au plan de l'équateur de la revolution du soleil autour de son axe, & d'où vient, que les inclinaisons de ces Orbites sont differentes entre elles.* Pieçe, qui a partagé avec celle de Mr. son Pere le prix double de l'année 1734.

Reflexions sur la meilleure figure à donner aux ancres &c. Pieçe, qui a remporté un des prix de 1737.

Dissertationes complures in Comm. Acad. Petrop. tomis singulis, quorum adhuc 6. prodierunt, conspiciendæ.

Schediasmata varia, aliis passim Diariis inserta.

De motu & viribus fluidorum Opus integrum, cui Hydrodynamicæ titulus, anno demum superiori, 1738. Argentor. 4. editum.

In Philosophia.

I.

JOHANNES BERNOULLI, Basil. Phil. & Med. D. Matheseos Professor P. Trium Societatum Reg. Scient. Gall. Angl. & Pruss. Socius. Nec non Acad. Imper. Scient. Petropol. atque Instit. Bonon. Membrum. Natus Bas. die 27. Julii st. v. an. 1667. Professionem Matheseos in Academia Groningana auspicatus est die 28. Novembr. st. v. an. 1695. Exacto integro decennio revocatus in Patriam, eandem hic Professionem aggressus est die 17. Novemb. st. n. an. 1705. Vocationes aliæ, quas ob sonticas rationes recusavit, sunt sequentes: Ad Scholam illustrem Guelferbytanam invitatus fuit an. 1693. Ad Universitatem Hallensem recens fundatam an. 1695. Ad Ultrajectinam an. 1703. Ad eandem 1705. Ad Leydensem an. 1709. Ad Patavinam an. 1714. Ad Groninganam de novo an. 1717.

Scripta & inventa edidit sequentia, quæ sunt: Dissertatio de Effervescentia & Fermentatione. 4. Basil. 1690.

de Motu Musculorum, ib. 1694. edita est iterum P. A. Michelotti, Venet. 1721. 4. cum notis.

de Nutritione, 1699. Gronin. Iterata Edit. inTeme Helvet. Tom. I. Sect. II.

Spinosismi Depulsionis Echo, cum subjuncta Oraone Apologetica habita Groningæ 12. Kal. Sept. 599. cum Munus Rect. Acad. susciperet, in 4. Gron. 702.

Essai d'une Nouvelle Theorie de la Manoeuvre :s Vaisseaux, avec quelques Lettres sur le même su-. 8. Bâle. 1714.

Solutio Problematis catenarii, *Act. Lips.* 1691

- - Curvæ Causticæ. *Act. Lips. 1692.*

- - Problematis Cartesio quondam propositi. *t. Lips. 1693.*

Constructio facilis Curvæ accessus & recessus æquabilis à puncto dato per Rectificationem Curvæ algebraicæ. *ibid.* 1694.

Modus generalis construendi omnes æquationes differentiales primi gradus. *Ibid.*

Additamentum effectionis omnium quadraturarum & rectificationum Curvarum per seriem quandam generalissimam. *Ibid.*

Demonstratio Identitatis Curvæ æquilibrationis cum Cycloide. *Ibid.* 1695.

Meditatio de Dimensione Linearum Curvarum per Circulares, *ibid.*

Demonstratio Analytica & Synthetica, suæ Constructionis Curvæ Beaunianæ. *ibid.* 1696

Supplementum Defectus Geometriæ Cartesianæ circa inventionem Locorum. *ibid.*

Tetragonismus Universalis Figurarum Curvilinearum. *Ibid.*

Problema de celerrimo descensu, aliudque pure Geometricum, peculiari programmate Groningæ impresso propositum. *Ibid.* *1697*

De Conoidibus & Sphæroidibus. *Ibid.*

Principia Calculi Exponentialium seu percurrentium. *Ibid.*

Curvatura Radii in Diaphanis non uniformibus; item, Solutio Problematis à se propositi de invenienda Linea brachystochrona seu celerrimi descensus. *Ibid.*

Solutio Problematum à Fratre Jacobo Bernoullio propositorum. *Ibid.* *1698*

Investigatio Algebraica arcuum Parabolicorum assignatam inter se rationem habentium; item, Demonstratio Isochronismi Descensuum in Cycloide. *Ib.*

Theorema Universale rectificationi Linearum Curvarum inserviens. Item, nova Parabolarum proprietas. item, Cubicalis primariæ arcuum Mensura *Ib.*

Annotata in solutiones fraternas problematum quo-

uorundam suorum, qua occasione traduntur metho-
i quædam pro trajectoriis. *Ibid.*

Cycloidis primariæ Segmenta innumera Quadra-
ıram recipientia; aliorumque ejusd. spatiorum qua-
rabilium determinatio, post varias illius fortunas nunc
rimum detecta. *Act. Lips. 1699.*

Epistola continens Solutionem & Constructionem
ılidi minimæ resistentiæ. *Ibid.*

Analysis ejusd. Problematis, cum subjuncta Re-
ıla universali constituendi omnem æquationem dif-
rentialem, in qua alterutra indeterminatarum deficit,
l quascunque potestates elevatæ sint differentiales, &
ıomodocunque tam inter se quam cum altera in-
:terminata fuerint implicatæ. *Ibid. 1700.*

Augmentum ad novas spatiorum Cycloidalium
ıadraturas. item, de Centro Gravitatis quædam. *ibid.*

Disquisitio Catoptrico-Dioptrica, exhibens Refle-
ɔnis & Refractionis Naturam ex æquilibrii funda-
:nto deductam. *ibid.* 1701

Nova ratio promte construendi Radios Osculi
ı Curvaturæ. item, Methodus eosdem Analytice de-
minandi in Curvis algebraicis, per vulgarem diffe-
ıtialium calculum eruta. *ibid.*

Multisectio Anguli vel Arcus, duplici æquatione
iversali exhibita. *ibid.*

Problematis alicujus solutio, ubi docetur modus
egrandi vel saltem reducendi ad quadraturam Cir-
i aut hyperbolæ quamlibet fractionem differentia-
ı terminis rationalibus constantem. *ibid. 1703.*

Perfectio Regulæ suæ editæ in Libro Gallico, Ana-
: des infiniment petits. art. 163. pro determinan-
valore fractionis, cujus Numerator & Denomina-
certo casu evanescunt. *ibid. 1704.*

Motus reptorius, ejusque pro lineis curvis in unam
ınibus æqualem colligendis vel à se mutuo subtra-
ıdis, atque hinc deducta Problematis de Trans-

formatione curvarum in Diario Gall. Parif. 12. Febr. 1703. propofiti genuina folutio. *ibid. 1705.*

Angulorum Arcuumque Sectio indefinita per formulam univerfalem expreffa fine ferierum auxilio, & hinc deducta æquationum angularium promta formatio. *Act. Lipf. 1712.*

Continuatio ejusd. Materiæ. *ibid.*

Demonftrationes Geometricæ de Motu corporum gravium Pendulorum & Projectilium in Mediis non refiftentibus & refiftentibus, fuppofita gravitate uniformi atque ad quodvis datum punctum tendente; & de variis aliis huc fpectantibus. Pars I. & II. *ib. 1713.*

Meditatio de Natura Centri Ofcillationis, ejusque in Pendulis compofitis, tam quæ in liquoribus, quam quæ in vacuo agitantur, determinandi Regula, novo & certiori quam hactenus fundamento fuffulta. *ib. 1714.*

De Centro Turbinationis inventa nova. *ib. 1715.*

Demonftratio Principii Hydraulici de æqualitate velocitatis, quacum aqua per foramina vaforum erumpere incipit, cum ea quam aquæ gutta acquirere poffet motu naturaliter accelerato, cadendo ex altitudine æquali illi quam aqua habet in vafe fupra foramen. *ibid.*

Barometrum novum, communi multo fenfibilius atque accuratius. *ibid.*

De folutionibus, quæ exftant, Problematum Ifoperimetricorum, ac nova eorundem Problematum aliorumque cognatorum citra calculum folvendorum Methodus brevis plana & facilis. Pars 1. & 2. *ibid. 1718.*

Gemina Conftructio Problematis Anglis propofiti à Leibnitio de Trajectoriis orthogonalibus. *ibid.*

Quadrature d'une infinité de fegmens, de Secteurs, & d'autres efpaces de la Roulette ou de la Cycloide vulgaire. Hift. & Mem. de l'Acad. des Sciences. 1699.

Nouvelle maniere de rendre les Barometres lumineux. Hift. & Mem. 1700. De-

Decouverte d'un Nouveau Phoſphore. Hiſt. & Mem. 1701

Lettre touchant ce Phoſphore. *ibid.*

Solution d'un Probleme concernant le calcul integral, avec quelques abregés par rapport à ce calcul. *ibid.* 1702

Solution d'un Probleme ſur les Iſoperimetres. *ibid.* 1706

Experiences ſur la Lumiere des corps frottes. *ibid.* 1707

Methode pour reſoudre le probleme inverſé des forces centrales. *ibid.* *1710*

Maniere de trouver les forces centrales dans des milieux reſiſtans en raiſon compoſée de leurs denſites & des puiſſances quelconques des viteſſes du mobile. *ibid.* *1711*

Nouvelle Theorie du Centre d'Oſcillation. *ib.* *1714*

Lettre contenant la Solution du Probleme de trouver geometriquement le jour du plus petit crepuſcule. *Journal des Sçavans.* *1693*

Solution d'un Probleme propoſé dans le 28. *Journal de 1693. ibid.*

Reſponſe à l'objection inſerée dans le Journal du 14. Sept. 1693. contre ſa methode. *Journ. des Sçavants.* *1694*

Analyſis infinite parvorum, in 4. Paris. 1696. concinnavit ex Lectionibus Bernoullianis & gallice edidit Illuſtr. Marchio *Hoſpitalius.*

Problemes à reſoudre. Journ. des Scavans. 1697

Solutions d'un Probleme ſur les Iſoperimetres & ſur la plus vite deſcente. *ibid.*

Reſponſe à l'avis inſeré dans le VII. Journal du 17. Fevrier. *Journal des Sçav.* *1698*

Seconde Reſponſe à l'avis inſeré dans le Journal du 26. May. *Ibid.* Troiſieme Reſponſe à celle qui eſt inſerée dans les *Journaux* du 4. & 11. Aouſt. *ibid.*

Seconde Partie de la troisieme Response. *ibid.*

Lettre sur les Problemes des Isoperimetres. *Journ. de Sçav. 1701*

Lettre à l'Auteur de l'Histoire des Ouvrages des Scavans sur divers sujets de Geometrie. *Hist. des Ouvrag. des Sçav. 1697*

Inventa de Appropinquationibus promtis ad metiendas figuras per Motus repentis considerationem exhibitis. Seu de reductione Curvarum ad arcus Circulares. *Miscell. Berolin.* 1710

Lettre sur les Jeux de Hazard. Essai d'Analyse sur les Jeux de Hazard. par Mr. de Monmort. Paris. 1713

Dissertatio de Mercurio lucente in vacuo. Bas. 1719. 4

Responsio ad Nonneminis provocationem, ejusque solutio Quæstionis ipsi ab eodem propositæ de invenienda Linea Curva quam describit projectile in medio resistente. *Act. Lips. 1719*

Clar. Taylori, Mathematici Angli, problema Analyticum, quod omnibus Geometris non Anglis proposuit, solutum. *Act. Lips. 1719*

Epistola ad Virum Clariss. Broock Taylor. J. U. D. & R. S. B. Soc. sub nomine Joh. Burcardi. *Act. Lips. 1721*

Operatio Analytica, per quam deducta est solutio, quæ exstat in *Act. Lips.* 1719. m. Majo, problematis de invenienda Curva, quæ describitur à projectili gravi in medio resistente. *ibid. 1721*

Animadversio in Solutionem Londino missam problematis alicujus circa Trajectorias. *ibid.*

Exercitatio Geometrica de Trajectoriis Orthogonalibus ex Edit. Nic. Bernoulli, Joh. Fil. Sect. I. II. & III. *Act. Lips. 1720.* & Suppl. T. VII.

Methodus inveniendi Curvas algebraicas indefinite non quadrabiles, quæ tamen admittant spatia absolute quadrabilia quotquot libuerit. *Act. Lips.* Suppl. T. VIII.

Modesta & seria Responsio ad litteras Brook Tay-

Taylor, sub nomine Joh. Burcardi. *Ibid.*

Comparitio ad Anonymi Geometræ Britanni novam provocationem ex occasione Problematis de Trajectoriis reciprocis hujusque solutionum editarum. m. Aug. 1722. *Act. Lipſ.* 1723. 75.

Theorema novum, habens utilitatem in dividendis multiplicandisve angulis, nec non in condendis Tabulis Sinuum, tangentium & secantium. *ibid.* *1722. 361*

Variæ solutiones & constructiones problematis propositi in Act. Lipſ. Supplem. Tom. VII. Sect. VIII. pag. 352. de Curvis motis secundum Axem & se mutuo constanter ad Angulos datos secantibus. *Act. Lipſ.* 1722

Explicatio Anagrammatis, continens descriptionem Curvæ inter omnes Algebraicas Trajectorias reciprocas simplicissimæ. *Act. Lipſ. 1724*

Methodus reducendi quadraturas transcendentes cujusvis gradus ad Longitudines Curvarum Algebraicarum. *ibid.*

Demonstratio Constructionis pro describenda Trajectoria reciproca, quæ inter omnes Algebraicas possibiles sit simplicissima. *Act. Lipſ. 1724*

Continuatio Materiæ de Trajectoriis reciprocis, imprimis de Pantogoniis, quæ pro diversa Axis positione se ipsam in quovis Angulo dato constanter secat. Item, determinatio alterius reciprocæ Algebraicæ omnium post primam simplicissimæ. *Act. Lipſ.* Suppl. IX.

Epistola contra Jacobi Jurini Reg. Lond. Soc. à Secretis Animadversiones de Velocitate aquarum ex vasis fluentium. Edidit Petrus Anthonius Michelotti. Venet. 1724. 4.

Discours sur les Loix de la Communication du mouvement, qui a merité les Eloges de l'Academie Royale des Sciences aux années 1724. & 26. & qui a concouru à l'occasion des prix distribué dans les dites années. Paris chez Claude Iombert. 1727. 4.

De Integrationibus Æquationum Differentialium, Comm. Acad. Petropol. T. I. p. 167

Solutiones quorundam problematum mechanicorum, ex Theoria virium vivarum deductæ. *ibid.*

Nouvelles pensées sur le Systeme de M. des Cartes, & la maniere d'en deduire les Orbites & les Aphelies des Planetes. Piece, qui a remporté le prix par l'Academie Royale des Sciences pour l'Année 1730. Paris chez Claude Jombert. 1730. 4.

Theoremata de Conversatione virium vivarum. Comm. Acad. Petropol. T. II.

Methode pour trouver les Tautochronis dans les Milieux resistant comme le quarré des vitesses. Hist. & Mem. de l'Academie Royale. 1730

Dissertatio de vera notione virium vivarum, earumque usu in Dynamicis ostenso per exemplum propositum in Comment. Petropolit. T. II. p. 200. *Act. Lips.* 1735

Demonstratio Methodi Analyticæ pro determinanda aliqua quadratura exponentiali per seriem, traditam olim in Act. Erud, an. 1697, p 131. ibid. an. *1737*

Probleme sur les Epicycloides spheriques. Hist. & Mem. de l'Acad. des Sc. 1732

Probleme sur les Courbes Algebriques & rectifiables tracées sur une surface spherique. ibid.

Essai d'une nouvelle Physique celeste, servant à expliquer les principaux Phenoménes du Ciel, & en particulier la cause physique de l'inclinaison des Orbites des Planetes par raport au Plan de l'Equateur du Soleil. Piece, qui a partagé le prix double de l'année 1734. Paris de l'Imprimerie Roi. 1735, 4.

II.

SAMUEL BATTIER, Phil. & Med. D. natus est Basileæ an. 1667. In Academia patria ipsi an. 1704. m. Febr. Professio Græcæ Ling. vicario nomine demandata fuit, & an. 1705. m. Decemb. Prof. Ordin. factus

factus est. In Acad. Cæsareo-Leopold. N. C. cognomento *Erotiani* receptus est an. 1711

Scripta publicata sunt:

Dissertatio de Generatione Hominis. 4. Basil. 1690
Cogitata de simplici apprehensione. 4. ibid. 1693
Specimen Philologicum, seu Emendationes variæ in *Diogenem Laërtium*, *Euripidem*, &c. 4. ibid. 1695
Diss. de Eloquentia. 4. ibid. 1696
- - - de Mente humana, Annexus est manipulus Emendationum aliquot in *Diogenem Laërtium*. 4. ib. 1701
Observationum & Emendationum in *Diog. Laërt.* Continuatio, 4. ibid. 1705. cum notis quibusdam in *Jul. Pollucis* Onomasticon.
Diss. de Mundo. 4 ibid. 1710
Γνῶθι σεαυτόν, s. de cognitione sui ipsius. 4 ibid. 1711
Oeconomiæ corporis humani brevis Descriptio. 4. ibid. 1711
De studio animi veritate & virtute perficiendi maxime necessario. 4. ibid 1718
Oeconomiæ corporis humani brevis Descriptio continuata, vacante Professione Medica. 1721. 4.
Positiones Medicæ, pro vacante Sede Medica. 1724. 4.
Observationes Sacræ in Loca quædam N. T. in Bibl. Brem. Cl. VI. p. 84.
In Locum ad Galatas II, 3. 4. 5. Observatio, in Bibliotheca Bremensi Cl. VII. p. 56
Observatio in Joh. VII. 21. 22. 23. ibid. Cl. VIII. p. 745
Observationum in N. T. Decas. Ib Cl. VIII. p. 941

III.

NICOLAUS HARSCHERUS, Phil. & Med. D. Eloq. P. O. natus est Basileæ Calend. Maji an 1683. Anno præsentis seculi sexto eunte vocatus fuit ad Professionem Eloq. & Hist. Marburgi tunc vacantem, decedente & in Patriam redeunte Venerando Iselio;

Ergo ſub initium m. Febr. an. 1707. munus auſpicatus (quod ab illo Viro Cl. quaſi de manu in manum traditum habuit) per quinquennium geſſit; donec & ipſe ad Oratoriam Profeſſionem adminiſtrandam in patriam vocatus ſub finem anni 1711. ſecutus eſt fati legem; auſpiciaque novi muneris cepit vere ineunte anni 1712.

Scripta:

Diſſertatio Inauguralis medica, de Tono Ventriculi & Inteſtinorum nat. & præternaturali. Baſ. 1704. 4. pl. 3

Specimen Diſputator. de uſu & præſtantia Hiſtoriæ, imprimis recentioris. Reſp. Joh. Rudolpho Zuingero. Baſil. 1706. 4. pl. $1\frac{1}{2}$

Oratio Panegyrica in Nuptias Celſiſſ. Principis Joh. Wilhelmi, Friſonis, & Mariæ Ludovicæ, Celſiſſ. Principis Caroli. Haſſiæ Landgrav. Filiæ. Marburg. 1709. Fol.

Oratio Panegyrica in Nuptias Dorotheæ Sophiæ, Sereniſſ. Principis Haſſ. Darmſtadini Erneſti Ludovici filiæ, & Illuſtr. Comitis Hohenloici, Joh. Friderici. Marburg. an. 1710. Fol.

Laudatio Funebris Sereniſſ. Principis Mariæ Ameliæ, Haſſiæ Landgraviæ. Marburg. an. 1711. Fol.

Diſputatio pro loco de divinatione Ciceronis, qua Civile Bellum inter Cæſarem & Pompej. longe ante prædixerat. Marb. 1710. 8 pl. 9.

Diſſert. Rhetorico-philoſophica de Ingenio & Moribus hominum ex Stylo dijudicandis. Marb. 1710. 4. pl. 1.

Hiſtoria Vitæ & mortis Thomæ Gauterii, S. S. Theol. D. & in Acad Marb. Prof. Marb. 1709. 8. pl. 3.

Oratio Parentalis memoriæ Joh. Laur. Crollii, S. S. Theol. D. & in Acad. Marb. dicata. Marb. 1709. 4. pl. 4.

Oratio in Laudem Gallorum, habita à Luca Cramero

mero, & dicata Illustriss. Comiti du Luc, ad Helv. Legato Excell. Bas. 1712. 4. pl. $3\frac{1}{2}$

Disputatio Politica de Conditionibus, quibus nascuntur Respubl. Resp. Wernero Hubero. Bas. 1718. 4. pl. $2\frac{1}{2}$

Positiones tumultuariæ de Reviviscentibus iis, qui mortui credebantur. Bas. 1721. pl. 2.

Dissertatio Medica de Variolis sponte natura sanabilibus. Basil. 1724. pl. $1\frac{1}{2}$

IV.

BENEDICTUS STÆHELINUS. Ph. & Med. Doctor, Physices Professor, Acad. Reg. Gall. à litteris. Natus est an. 1695. Doctoratum Medicum accepit anno 1716. Ad Professionem Physicam promotus est anno 1727. d. 1. April.

Dissertationes editæ:

Dissertatio de solidorum humani Corp. attritione & dissipatione, pro Gradu Doctor. habita. 1715

Positiones Philosophicæ ex Philosophia Lockiana, pro Cathedra Logica. Resp. Jac. Christ. Iselio. 1722

Positiones & Observationes Anatomico-Botanicæ, pro Cathedra Anat. & Bot. Resp. Casp. Schobingero. aliæ pro eadem Cathedra Anat. Resp. Dn. D. Ivernois. 1721

Tentamen Physicum de Analysi Corporum, Resp. Claudio Passavant. 1727

Observ. Anat. & Botan. iterum pro Cathedra Anat. Resp. Joh. Henr. Rippelio. 1731

Sermones publice habuit, de Usu Vitrorum objecta aucta exhibentium, in Medicina pro Doctoratu. tres habuit de structura florum, unam de Musculis Linguæ, Laryngis & Pharingis, de structura Ventriculi, de Organo auditus, de Impedimentis Rationis humanæ, de structura Aëris; omnes speciminis loco.

De usu multivario Philosophiæ Experimentalis, in ingressu Cathedræ Physicæ.

Inauguralis Sermo, quo Ampl. Magistratui pro con-

cesso

cesso Theatro Phys. & Instrumentis, gratiæ sunt redditæ.

De veræ Physicæ simplicitate, cum Decanatum Phil. primum susciperet.

De Pictura divina Corporum, cum Rectoratum publice susciperet.

De observandi necessitate in omnibus rebus & scientiis humanis, cum Magisterium & primam Lauream offerret.

De vilibus etiam rebus non negligendis in Physica, cum Decanatum Phil. denuo susciperet.

De structura quarundam Plantarum imperfectarum dictarum, ad Incl. Reg. Soc. Paris. qua ad litterarum Commercium admissus est.

V.

PETRUS RYHINERUS, Logicæ Prof. natus Cal. Decemb. 1692. ad S. Ministerium admissus an. 1712. ad Philosophiam Practicam aut Moralem vicaria opera publice in Academia docendam constitutus fuit an. 1728, quo munere functus est ad medium usque anni 1731. Eodem hoc anno Professor Logicæ Ordinarius electus fuit.

Nihil edidit præter Theses Academicas, & quidem An. 1713. Dissertationem de Usu *Consequentiarum in Theologia*, habitam sub Præsidio Venerandi Avunculi sui, Sam. Werenfelsii, S. S. Theol. Doct. & Prof. specimen Disputationis publicæ tum temporis Venerando Ordine Theologico à S. Ministerii Candidatis vel ante vel post examen exigente, an. 1722. *Theses Logicas*, in quibus inter alia proponuntur *Syllogismi* quidam à Logicis vulgo omissi; cum annexis è variis Philosophiæ partibus. Anno 1727. *Theses Physicas* cum variis adnexis. Eodem anno Dissertationem *de Fundamento Juris naturæ & gentium, quod continetur* Matth. 7: 12. *cum annexis Ethicis.* A. 1731. *Theses Logicas de Reductione cogitationum ad minimos terminos.* A. 1736. *The-*

Theses Logicas de Methodo disputandi. Eodem anno Dissertationem *de Judiciis temerariis.* A. 1737. Dissertationis *de Judiciis temerariis continuationem.* A. 1738. & 1739. curavit novam Editionem Lausannensem Opusculorum Latinorum Venerandi Werenfelsii, avunculi sui, & utrique Volumini Præfationem adjecit. Varias habuit in Academia Lectiones & Orationes solennes, quæ lucem non adspexerunt. An. 1739. præsedit Disputationi publicæ, qua ventilabantur *Positiones Philosophicæ* ex variis ejus disciplinæ partibus excerptæ. Resp. Joh. Christoph. Roques. 4.

VI.

JOH. RODOLPHUS BATTIER, S. M. C. & Linguæ Sanctæ Professor, natus an. 1693. d. 9. Nov. ad SS. Ministerium admissus an. 1716. Iter in Gallias, Hollandiam, Britanniam suscepit. Anno 1733. Cathedram Linguæ Sanctæ ornandam accepit.

Scripta:

Disputatio Theolog. loca Vet. Testamenti in Evangeliis citata expendens, & contra Judæorum strophas & cavillos defendens; sub præsidio Jac. Christ. Iselii, SS. Th. D. & Prof. ventilata. Basil. d. 27. Martii 1716. Typ. Frid. Lydi. Acad. Typogr. pl. 4.

Positiones Logicæ Miscellaneæ, pro vacante Cathedra Logica. Resp. Leonhardo Eulero. Ph. St. Bas. typ. E. & J. R. Thurnisiorum fratrum. 1722. 4.

Theses Philologicæ Miscellaneæ, vacante Cathedra Linguæ Hebrææ, Respondente J. P. Evvaldio, Hasso-Cassellano. S. Th. St. 4. A. 1733.

VII.

JOH. BALTHASAR BURCARDUS, V. D. M. & Philosoph. Prof. Ordin. natus d. 9. Febr. an. 1710. Magister artium renuntiatus an. 1724. Theologiæ animum applicuit an. 1728. pro S. Ministerio examinatus. Cum ab Illustrissimo Passionei, tunc Pontificis

ad

ad Helvetios Legato, nunc autem ad Cardinalitiam dignitatem evecto, qui ejus opera in Hebraicis atque Syriacis Litteris uti voluit, *Altdorfium* Uraniorum pagum evocaretur; non ſine ſumma Congratulatione munus iſtud honorifice oblatum in ſe ſuſcepit; octo dein menſes officio hoc perfunctus, maximis affectus muneribus, & nonniſi ægre à *Viro Summo* dimiſſus, iter litterarium eſt ingreſſus; ac primo quidem *Marburgi Cattorum* ſubſiſtens per ſeſquiannum Illuſtriſſ. *Wolfii* inſtitutione eſt uſus; dein vero Virum pl. Reverend. atque Clariſſ. *Samuelem Schmidium*, Bernatem, de cujus amicitia atque favore Burcardus ſibi vehementer gratulatur, itineris ſocium nactus, Germaniam, Flandriam, Belgium atque Galliam perluſtravit. Poſt aliquot annos domum redux factus an. 1733. Profeſſionem Ordin. Rhetorices honeſtiſſima Procerum Academicorum ſuffragatione obtinuit, cui etiam munus Bibliothecarii ordinarii an. 1738. adjectum fuit.

Diſſertationes ejus, variis de cauſis ventilatæ, ſunt ſequentes: An. 1724. Theſes Philoſophicæ de Anima. Sub Præſidio Pl. Rev. atque Clariſſ. Davidis, Gymnaſiarchæ meritiſſ. pro Gradu Magiſterii capeſſendo.

A. 1727. Theſes Miſcellaneæ, ex occaſione vacantis Cathedræ Philoſoph. Moralis.

A. 1730. Diſputatio de Aſſenſu ab Appetitu non pendulo, ex occaſione vacantis Cathedræ Logices.

A. 1733. Diſſertatio de Judæis corruptionis V. Teſtamenti falſo inſimulatis, ex occaſione vacantis Cathed. Linguæ Hebraicæ.

A. eod. Theſes Rhetoricæ, ex occaſione vacantis Cathedræ Rhetorices.

A. 1737. & 38. Collectio prima, ſecunda, & tertia Theſium Philoſophicarum.

VIII.

ANDREAS WEISSIUS, J. U. D. Juris Nat. & Phil.

Phil. Moral. Professor P. Natus est A. 1713. Ad Cathedram promotus A. 1733. Summos in utroque Jure Honores suscepit A. 1737. Itinere A. 1735. suscepto Gallias Hollandiamque & partem Germaniæ perlustravit.

Dissertationes oblata occasione edidit.

A. 1731. Theses Logicæ, occasione vacantis Cathedræ. 4. Resp. Emanuele Bauhino.

A. 1733. Specimen Rhetoricum, vacante Sede Rhetorica, Resp. Emanuele Falcknero. 4.

A. eod. Theses occasione vacantis Cathedræ Jur. Nat. & Gent.

A. 1737. Dissert. Juridica, de Usu Æquitatis in Interpretatione Legum. Pro obtinendis insignibus Doctoratus. 4. pl. 5.

A. 1738. Disquisitio Philosoph. de Jure victoriæ, Resp. J. J. Meriano & J. H. Burcardo. 4. pl. 3.

A. 1739. præsedit Disputationi publicæ de Vera Gloria. Resp. Joh. Jac. Christio, Fr. F. 4.

IX.

JAC. CHRISTOPHORUS BECKIUS, S. M. C. & Historiarum Prof. P. natus Calendis Martii, A. 1711. Sub finem an. 1728. post absoluta Studia Philophica & Magisterii honorem acceptum, SS. Theologiæ operam dare cœpit. In ordinem V.D. Ministrorum receptus m. Febr. 1734. post triennium, a. scilicet 1737. m. Septembr. cum Pl. Ven. *Frey* ordinariam in Theol. docendi Provinciam susciperet, Historiarum Prof. est constitutus. Provinciam suam adgressus est d. 15. Novembr. ejusd. anni, habita recitatione de *Initio Imperiorum.*

Edidit:

A. 1733. Specimen Observationum Rhetoricarum; Occasione Vacantis Cathedræ. Resp. *Joh. Jac. Brucknero*, 4.

A.

A. 1737. Epiſtolam ad Virum Clar. D. *Joh. Georgium Altmannum*, Linguæ Græcæ & Ethices Prof. Acad. Bernenſ. Rectorem, qua Hiſtoria Vitæ & obitus *Jac. Chriſt. Iſelii*, SS. Theol. D. & in Acad. Baſil. Profeſſoris enarratur. Exſtat in *Temp. Helv.* T. III. S. I. p. 42.

A. eod. Specimen obſervationum Hiſtoricarum, pro Cathedra, Reſp. *Joh. Frid. Biſchoff.* 4. Recuſum in Temp. Helv. T. III. Sect. 2. p. 206

A. 1738. Diſquiſitionis de eo, quod certum & incertum eſt in Hiſtoriis antiquioribus, ἀποσπασμάτιον. Reſp. *Joh. Balth. Philiperto. 4.*

A. eod. Diſquiſitionis ejusd. ἀποσπασμάτιον II. Reſp. *Joh. Rod. Hummel. 4.*

A. eod. Cogitationes Philoſoph. de Diluvio Noachico Univerſali. Reſp. *Joh. Jac. Boshardto. 4.*

A. 1739. Orationem Panegyricam, quam Viro Pl. Ven. atque Excell. *Hieronymo Burcardo.* S. Th. D. & Prof. nec non Eccleſiar. Baſil. Antiſtiti dixerat d. 3. Idus Nov. 1738. cum Epicediis Amicorum. 4. pl. 11½

A. eod. Schediaſma de Partibus Orbis, quas ante Diluvium Noachicum homines incoluiſſe videantur. Reſp. *Joh. Ulrico Wagnero. 4.*

A. eod. Diſquiſitionis de eo, quod certum & incertum eſt in Hiſtoriis Antiq. ἀποσπασμάτιον III. *Reſp. J. Frid. Biſchoff.*

Sequetur propediem ἀποσπασμάτιον IV. ejusd. Diſquiſitionis, & ſic deinceps.

Nunc id potiſſimum agit, cum duobus Viris Doctiſſ. ut ea colligat, quæ ad *novam Editionem* atque *Supplementa Lexici Hiſtorici Baſil.* pertinent, atque in publicum edat. Inſtituti Ratio reddita eſt nuperrime, edita peculiari Scheda. Vide & Nova Litter. in Temp. Helv. Tom. IV. Sect. hac.

X.

X.

GOTTHARDI HEIDEGGERI,

d. v. Insp. Coll. Alumn. Tig.

FATA ECCLESIÆ. *

Ut fluctuoso cymba nans in æquore,
Quod sæva concitant flagella flaminum,
Vario videntes ludit ex crepidine
Spectaculo; mox hausta visa gurgite,
Et triste phocis præbitura prandium,
Mox evoluta spumeis anfractibus
Passis subire tuta velis littora.
Ad istud instar illa Summi Numinis
Selecta pubes, quam vocant Ecclesiam,
Diversa nobis ingerit spectacula,
Dum nascitur, dum se videndam promtitat,
Facitque vela, quo haud putassis, æquore;
Dum pressa rursus incitas ad extimas,
Videtur hic illic perisse funditus;
Secura littori tamen cum redditur,
Sævissimos elapsa ponti vortices,
Syrtesque Sirenesque tuta despicans.
Hoc esse pacto comparata Ecclesiæ
Momenta, curvum dum per orbem volvitur,
Quæ non satis monstrant superque tempora?

* Pauculos hos Jambos, *ORATIONI MURALTIANÆ de Persecutione Locarn.* quam præcedens Sectio p. 131. sqq. exhibuit, cum A. 1709. in lucem ederetur, properanter à Cel. Auctore adspersos, ut ab interitu etiam h. l. vindicarentur, non judicavimus indignos. J. J. H

Non afferam, quod nuper Albionis *eſt*
Geſtum fretis, *quam virulentus hoſtium*
Vaniſſima jam ſpe furor voraverat,
Sed riſit alto cœpta Rex ex Æthere,
Larorum biantium fefellit impetus,
Turpique depulit fuga perterritos;
Juſti *triumphat* Inſula, *&* *victricibus* (Job.XXII.30.)
Operta lauris ANNA FELIX ambulat,
Gens Orthodoxa fert Deo ſoteria.
Alius loquatur hæc ſtylus facundior;
Domeſticas nos penſitare fas vices,
Velut Locarniana *ſcena quas tulit:*
Heic excitaverat, tenebras undique
Inter nigrantes, veritatis lumine,
Fidos JEHOVA Numinis ſervos ſui,
Illuſtriori procreatos ſtemmate.
Quid ſcæva turba? Quos tumultus non ſerit?
Suetæque quas non expedit tyrannidis
Sævitias? Quos Æolos non incitat,
Vt ſtinguat, aut gregem pientum merſitet?
Sed non perinde Numini eſt viſum pio,
Nec commodum, ſuos perire funditus.
Secura preſſis nam ſciens is littora,
Ad Limmagi *ſubducit omnes alveum;*
Heic portus illis, tuta ſunt heic otia,
Heic omnium meſſis bonorum maxima;
Hinc, (en Dei miros ſagacis tramites!)
Vexationes qui tulere antiquitus,
Ferunt potentem hoc tempore vexatis opem!
Expoſta ſed diſertius iſta lectita
In hiſce chartis, quas Tibi Clariſſimus
Propinat Eutichus, *Decus Parnaſſidum!*

XI.

XI.

Nova Literaria Helvetica.

BAsileæ nunc cummaxime laboratur in colligendis Paralipomenis seu *Supplementis LEXICI HISTORICI & GEOGRAPHICI*, quod ab aliis *Iselianum*, ab aliis *Brandmüllerianum*, ab aliis denique *Basiliense* vocari solet. Suscepit Opus inde ab *J. C. ISELII*, Viri celebratissimi, obitu, *JAC. CHRISTOPHORUS BECKIUS*, Historiarum in Basil. Acad. P.P. adjunctis duobus Viris Doctissimis atque diligentissimis, *August. Johanne Buxtorffio*, V. D. M. & *Benedicto Bernoullio*, SS. M. C. Bibliopolæ *JOHANNIS BRANDMULLERI*, qui sumtus editionis & olim fecit, & nunc quoque faciet, hic est animus, quemadmodum edita vernaculo sermone scheda docet, ut *SUPPLEMENTA*, quæ duos Tomos in fol. confectura videntur, seorsum excudat, & iis vendat, qui nomina sua mature dederint. Plura enim non excudet exempla, quam nomina data fuerint. Eodem tempore parat *novam* plane *editionem* ipsius Lexici, ubi *supplementa* suis quæque locis reponentur, quæ simul cum istis seorsum excusis prodibit; ut *supplementa* iis inserviant, qui priore editione contenti sunt, *Editio nova* iis, qui Libro utilissimo plane carent. Cum opus sit non parvi laboris, initium editionis fiet demum circa solstitium æstivum anni 1740. Omne istud tempus Collectioni impendetur, ut quam plenissima fiat. Interim per modo dictam Schedam Viri docti per Helvetiam Germaniamque rogantur, ut si quid observaverint in *Lexico Baf.* deesse, aut minus recte positum, (nam & hujus rei cura habebitur) per litteras ad *Joh. Brandmüllerum* datas Collectores velint admonere.

Libri editi & Dissertationes, &c.

1. *SAMUELIS WERENFELSII*, SS. Theol. D. & Prof. Basil. *OPUSCULA Theologica, Philosophica & Philologica.* Editio altera, ab Auctore recognita, emendata & aucta. Lausannæ & Genevæ, sumtibus Marci-Michaelis Bousquet & Sociorum. 1739. cum Privil. S. Cæs. & Cath. Majestatis. 4. Vol. I. pl. 69. Vol. II. pl. 81. „Quum novissima hæc editio, & tractatuum, „quibus Ven. Auctor imposterum nihil addi cupit, & „chartæ magnitudine ac nitore, & Indicibus locuple„tioribus, palmam ceteris præripiat, integram om„nium utriusque Voluminis tractatuum Seriem sub„jiciemus; ut ex collatione ejus cum præcedentibus „editionibus constare cuivis facile possit, quænam „quantive pretii Scripta nunc demum ex tenebris in „lucem fuerint producta.

Volumine primo continentur:

I. Dissertatio Apologetica pro Plebe Christiana adv. Doctores, Judicium de Dogmatibus Fidei illi auferentes.

II. De Jure in Conscientias, ab Homine non usurpando, Epistola.

III. Diss. de Præstantia Religionis in S. Scriptura Revelatæ, hujusque Revelationis necessitate.

IV. Diss. de Veritate Miraculorum in S. Scr. narratorum.

V. Solutio Quæstionis: Num Miracula certa sint Veritatis signa?

VI. Meditatio de Zelo in S. Script. ubique conspicuo pro una Dei Gloria.

VII. Medit. de Incitamentis ad Virtutem in S. Scriptura propositis.

VIII. Appendix, ubi excutitur Quæstio: Cur hæc incitamenta non plus efficaciæ habeant inter Christianos?

IX. Differt. de Triplici Teste de Verbo Dei testante.

X.

X. Diss. in verba Domini: Hoc est corpus meum, &c.
XI. Appendix, ubi iis respondetur, qui objecerunt: Auctorem nimis in iis interpretandis rationi tribuere; ejusque scopus clarius explicatur.
XII. Dissertatio de Adoratione Hostiæ.
XIII. Diss. de Naamane Syro, ab hypocrisi vindicato.
XIV. Diss de loco 2. Pet. 1: 20. negante, Prophetiam esse ἰδίας ἐπιλύσεως.
XV. Cogitationes de quibusdam S. Scripturæ locis obscurioribus. (supra p. 359. recensitis add. Joh. 8: 56. 16: 8-11. 1. Cor. 11: 28. 15: 29. Phil. 2: 12-14. 1. Joh. 5: 16. 17.)
XVI. Appendix, de Clausula Orationis Domin. cum Corollario.
XVII. Differt. de stilo Scriptorum Novi Test.
XVIII. Diss. de Controversiis Theol. rite tractandis.
XIX. Diss. de Scopo, quem S. Scripturæ Interpres sibi proponere debet.
XX. Diss. de Scopo Doctoris in Academia Sacras Literas docentis.
XXI. Oratio de recto Theologi Zelo.
XXII. Diss. adversus carnalem Securitatem.
XXIII. Medit. in Psalmum 3. cum ejus Paraphrasi.
XXIV. Cogitationes generales de ratione uniendi Ecclesias Protestantes, &c.
XXV. Dissertatio de eodem Themate.
XXVI. Quæstio: Num hominibus jus competat, quemquam ad S. Ministerium cetera apprime idoneum, ob solum errorem in articulo non fundamentali ab hoc excludendi?
XXVII. Scrupulus, quem Doctrina de Prædestinatione, prout hæc in Ecclesia Reform. vulgo doceri solet, in mente hominis nondum regeniti posset excitare.
XXVIII. Theses de Gratia Convertente, in quibus Protestantes convenire possent.
XXIX. Diss. de gratuita Peccatoris Justificatione.

Secundo Volumine habentur:

XXVII.

XXVII. Oratio de Comœdiis.
XXVIII. Oratio de Fide Hæreticis servanda.
XXIX. Oratio de vera Studiosorum Libertate.
XXX. Oratio de Studio veræ Gloriæ non contemnendo.
XXXI. Fasciculus Epigrammatum, plus quam quinquaginta Epigrammatibus, & nova Præfatione, auctus.

2. *JAC. CHRISTOPH. BECKII*, Hist. P. P. Oratio Panegyrica, quam Viro pl. Ven. atque Excell. *Hieronymo Burcardo*, SS. Theol. Doctori, V. T. in Acad. Bas. Prof. nec non Eccles. Antistiti, optime Merito pieque defuncto, dixit d. 3. Idus Novemb. 1738. Accesserunt Amicorum Epicedia. excudit Joh. Henr. Deckerus, Basil. 4. pl. 12.

3. Beschreibung der Gotts-dienstlichen Kirchen-Gebräuchen der Christen, welche unter dem Namen der Protestanten vorkommen; verfasset theils in Historischer Abhandlung, theils in zierlichen Figuren nach Bernhard Picart: Abgekürtzt in Teutsch übersetzt von Johann Baptist Ott. In Verlag David Herlibergers, heraus gegeben in Zürich, gedruckt bey Conrad Orell und Comp. 1739. Fol. und 8. 10. Bogen, und 10. Tafeln Kupfer, mit 26. Vorstellungen.

4. *JOH. GEORGII ALTMANNI*, Ling. Gr. & Eth. Prof. P. Acad. Bern. Rectoris, Oratio de illustri Inscriptione Crucis Christi, ejusque mysterio; instante Feria Pasch. dicta. Bernæ. 1739. 4. pl. 5.

5. *JOH. JACOBI LAVATERI*, S. Theol. Prof. Dissertatio Theol. de Interpretatione S. Scripturæ, præcipue de Analogia Fidei, ad loc. Rom. XII. 6. Resp. Joh. Rod. Gygero, V.D. M. Assum. Joh. Müllero, S. Th. Stud. Tiguri, Typis Gesn. 1739. 4. pl. 5.

6. *JOH. JACOBI ZIMMERMANNI*, S. Theol. Prof. Meditationis, de Causis magis magisque invalescentis Incredulitatis, & Medela huic malo adhibenda,

benda, Pars I. Respp. 7. Candid. Tiguri, ex offic. Gessn. 1739. 4. pl. 7.

7. *FRANC. ALPH. GYBOLLET*, Neostadiensis, S. Theol. Stud. Dissertatio Theol. Exeg. de Vocatione Gentium, Petro in Visione demonstrata, Actor. X. 9-16. Præside *JOH. HENR. RINGIER*, S. Theol. Prof. Prim. Bern. 1739. 4. pl. $2\frac{1}{2}$.

8. *HULDRICI STEINERI*, Vitodurani, Dissertatio Inauguralis Medica, de Anxietate; pro summis in Arte Medica Honoribus obtinendis. Basil. Typis Deckeri, 1739. 4.

9. Disquisitionis de eo, quod certum & incertum est in Historiis Antiquioribus, Ἀποσπασμάτιον III. quod Præside *JAC. CHRISTOPH. BECKIO*, Historiarum P. P. publice defendit *Joh. Fridericus Bischof*, Basil. Magist. Candid. pro supremis in Philosophia Honoribus consequendis. Basil. Typis Pistorii, 1739. 4.

10. Theses Philosophicæ de Vera Gloria, quas ad capessendum gradum Magisterii Lib. Art. Præside *ANDREA WEISSIO*, P. P. publico examini submisit *Joh. Jacobus Christ*, *Francisci Fil.* Basil. Typ. Mechelianis. 1739. 4.

11. Joh. Rudolf Fischers, V. D. M. gewesenen Schweitzer-Colonien-Predigers in Brandenburg, Probe von *Theologisch-Philologischen* Anmerckungen, über verschiedene Stellen der H. Schrifft, und andere wichtige Materien. Erstes Stück. Zürich, bey Heidegger und Comp. 1739. 8. Bogen 4.

12. *Harmonie*rendes *Systema*, zwischen dem absolut- und conditionaten Rathschluß der besondern und der allgemeinen Gnade; darinnen gezeiget wird, daß ein Particularist ein Universalist, und ein Universalist ein Particularist seyn könne: Aus Anlaß des berühmten Hrn. D. Langen Schrifften von der allgemeinen Gnade, zum Preise der herrlichen Gnade Gottes in Christo Jesu an das Licht gegeben durch Johann Jacob Wolleb, D. G. W.

D. G. W. zu Thennicken, Basler-Gebiets. Basel, gedruckt bey Johannes Pistorius, 1739. 8. Bogen 13.

13. Joh. Henrich Hottingers, S. S. Theol. Doct. Prof. und Past. Ordin. zu Heydelberg, gegründete Hoffnung der Bekehrung der Juden in dem Prophetischen Wort Gottes, insbesonder Hos. 3: 5. den 26. Octob. 1738. offentlich bezeuget, bey Gelegenheit einer getauften Jüdin, samt dieser Glaubens-Bekanntnuß, betreffend den Unterscheid des Christlichen Glaubens von der heutigen Juden Unglauben in denen vornehmsten Streit-Puncten. Homburg vor der Höhe, gedruckt bey Johann Philipp Helwig. 1739. 8. Bogen 7.

14. Caspar Zollicofers, Diac. zu St. Leonhard in St. Gallen, geistreiches Gesang-Gebät-Buch; bestehend in 1000. auserlesenen, Seufzer-oder Gebät-Weise gestellten, so wol alten, als aber auch viel und noch mehr neuen, verändert-und verbesserten geistlichen Liedern; mit anmuthigen und zum Theil gantz neu-componierten leichten Melodien zu 2. 3. 4. und 5. Stimmen, nebst einem accurat-gezeichneten General-Baß, &c. St. Gallen, gedruckt bey Rup. Weniger. 1738. med. 8. Bogen 54.

15. Joh. Conrad Steiners, V. D. M. von Winterthur, und Evang. Pfarrers zu Peterzell im Toggenburg, Geschrey um Mitternacht, &c. Erster Theil; oder 25. Predigten von der Zukunft des Herren Jesu zum letzten Gericht, desselben Handlungen bis auf die End-Aussprüche, und denen Sachen, die vor Gericht kommen sollen, insgemein und insbesonder, &c. über auserlesene Sprüche H. Schrifft, mit sonderbar darauf gerichteten Gebett-und Seufzen für Bekehrte und Unbekehrte. St. Gallen, bey R. Weniger. 1738. 4. Bogen 61.

16. Dieterich Eberhard Alsteins, gewesenen Predigers des H. Evangelii zu Dietz, und der Nassau-Dietzischen Kirchen Inspectoris, der Einfältigen Wegweiser, oder kurtze und deutliche Unterweisung zur Seligkeit, &c. Neue und vermehrte Auflag. Franckf. und Leipzig, bey Heidegger und Comp. 1739. 12. Bogen 12.

17.

17. Emanuel Ryhiners, Pfarrers zu S. Leonhard in Basel, die Winde als Gottes Dienere vorgestellt in einer, den 25. Jenner 1739. über Psal. 148: 8. aus Anlaß des gewaltigen Sturm-Winds, welcher vielfaltigen Schaden in gantz Europa angerichtet, gehaltenen Predigt. Basel, gedruckt bey Joh. Pistorius. 4. Bogen 2.

18. Die Sturm-Winde, die sich gewaltig erzeiget, insonderheit Freytags den 16. wie auch Sonntags den 18. Jenner, und durch deren Veranlassung ein offentlicher Buß- und Bät-Tag ausgeschrieben worden auf Donnstag den 26. Hornung, als Beweg-Gründe zur wahren Forcht Gottes erzehlet und vorgestellet. Zürich, 1739. 4. Bogen 2.

19. Kurtzer Begriff der Historien der H. Schrifft, als eine nöthige Einleitung, oder dienlicher Anhang, der von Johann Hübner, Rect. Hamb. auserlesenen 2. mal 52. Biblischen Historien, nach gleicher Methode, in deutlichen Fragen und Antworten der Jugend zum besten abgefasset. Zürich, in Verlag Joh. Ulrich Däntzlers, Buchh. 1739. 8. Bogen 2½.

20. *Barbosæ (August.) & Taboris*, Thesaurus locorum communium Jurisprudentiæ. Fol. 2. Vol. nov. Edit. Colon. Allobr. 1737

21. *Cæpollæ (Barthol.)* Tractatus de Servitutibus tam urbanorum quam rusticorum Prædiorum. Accedunt *D. Martini Laud.* & *Jo. Superioris* Commentarii ad Leges singulas de Servitutibus. Item *Ant. Matthæi* Disput. VII. de servitutibus; & huic Editioni, quæ in aliis non habentur, *Titii* de servitute faciendi, & *Thomasii* de servitute stallicidii Dissertationes. 4. Lausannæ. 1737

22. *Du Pin (Lud. Ellies)* Tractatus Philosophico-Theologicus de Veritate; Nunc primum prodit ex Gallico in Latinum Idioma conversum. 8. Colon. Allobr. 1738

23. *Frago S. J. si* Regiminis Reipublicæ Christianæ, ex Sacra Theologia, & ex utroque Jure, ad utrumque forum coalescentis. Fol. 3. Vol. Colon. Allobr. 1738. nova Editio.

24. *Fuller*

24. *Fuller (Thom.)* Pharmacopœa Extemporanea; ſive Præſcriptorum Chilias, in qua remediorum elegantium & efficacium Paradigmata, ad omnes fere medendi intentiones accommodata, candide proponuntur. Cum viribus, operandi ratione, doſibus & indicibus annexis; editio nona longe auctior & emendatior. 8. Lauſannæ. 1738

25. *Guazzini (Sebaſtiani)* ac *Petri Pauli Guazzini, Sebaſt. Fil.* Opera omnia Juridica & Moralia, nunc primum ſimul edita quam emendatiſſime, & Indicibus neceſſariis aucta; in quatuor Tomos diſtributa.

26. *Lanzonis (Joſephi)* Med. Doct. Ferrar. Opera omnia Medico-Phyſica & Philologica, edita hactenus & inedita. Accedit Vita Auctoris, *Hieron. Baſſaldo* auctore, 4. 3. Vol. Lauſannæ. 1738

27. *la Pratique de Vertus Chrétiennes,* ou *tous les Devoirs des Hommes,* avec les Devotions particulieres pour diverſes Occaſions ordinaires & extraordinaires; Traduit de l'Anglois. Quatriéme Edition Françoiſe, miſe en meilleur ordre, & beaucoup plus correcte que les précédentes. Livre néceſſaire dans chaque Famille. 8. Lauſanne 1737

28. *Georgii Henrici Werndly,* Tigurini, Oratio Inauguralis, de Linguarum Orientalium & Indicarum Cognitione neceſſaria Theologo ad Indos profecturo, habita Lingæ a. d. 17. Decemb. 1737. quum Extraordinariam Philologiæ Profeſſionem in Illuſtri Gymnaſio Lingenſi ſolenni ritu auſpicaretur. Amſtelodami, ex officina Wetſteniana. 1738. 4. pl. $4\frac{1}{2}$

* * * * *


TEMPE HELVETICA,

Dissertationes atque Observationes

THEOLOGICAS, PHILOLOGICAS, CRITICAS, HISTORICAS, EXHIBENS.

Tomi Quarti

Sectio Tertia.



TIGURI,
EX OFFICINA HEIDEGGERIANA.
M DCC XXXIX.

* * *

ARGUMENTA
SECTIONIS DECIMAE QUINTAE.

Vere Venerabili, Amplissimo atque Celeberrimo

VIRO,

ABRAHAMO RUCHAT.

S. S. Theologiæ in Academia Lausannensi Professori, P.

Polyhistori de Patria & Republica Literaria variis ingenii monumentis, Historia præsertim de Helvetiæ Reformatione multo labore collecta & edita, optime merito,

Pietate & Humanitate vere inclito,

Assiduis lucubrationibus Orbem eruditum in dies adhuc locupletanti,

Fautori atque Amico, ex multorum annorum decursu

Honoratissimo, Suavissimo.

Sectionem Decimam
Quintam
Miscellaneorum Theologico-Philologicorum in Helvetia collectorum
Cultus sui testimonium proponit & offert.

JOH. GEORGIUS ALTMANNUS.

JOH.



I.

JOH. HENR. LEDERLINI,

d. V. in Academ. Argentor. Prof. P. O.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

DE

ΝΗΣΤΕΙΑ, JEJUNIO.

Ad Locum Actor. Apostol. XXVII: 9.

Argumentum.

§. I. Scopus & ratio Dissertationis proponitur. §. II. Locus explicandus desumtus ex Actor. c. XXVII. v. 9. Vetus versio emendatur. §. III. Seb. Castalio ob tentatam emendationem vocis Νηστεία notatur. §. IV. Sententia eorum

 pro-

proponitur, qui hanc vocem tollere nolunt; & de jejunio in festo Expiationis intelligunt. Quædam de hoc festo dicuntur. Beza citatur, ut & Fl. Vegetius de re militari. §. V. Heinsii Commentatio, qui eandem tenet sententiam, adducitur. §. VI. Jo. Drusius huic sententiæ assentiens profertur, etiam Hugo Grotius. §. VII. Erasmi Schmidii sententia, per νηστειαν inediam privatam ob nimium laborem exortam intelligentis indicatur, & cum eo sentiens Fr. Vatablus: Additur Commentatio Erasmi Rot. §. VIII. Integritas textus defenditur, & Castalionis tentamen rejicitur. §. IX. Sententiam eorum suscipit Cl. Autor, qui per νηστειαν denotari volunt tempus jejunii. Ex circumstantiis ejus veritas probatur. God. Stevvechius citatur, ut & Hesiodi testimonium. Additur Josephus. §. X. Erasmi Schmidii sententia refutatur. §. XI. Ejusdem aliud argumentum ex significatione vocis παρεγχεσθαι destruitur. §. XII. Ex his concluditur, per νηστειαν intelligi debere tempus jejunii.

§. I.


Avigatio Pauli, & quod subsecutum est naufragium a D. Luca in Actis Apostolicis capite XXVII. graphice descriptum, plura continet, quæ explicatu sunt difficilia, & antiquitatis penitiorisque Linguæ Græcæ cognitionem requirunt. Quæ vero, quoniam unius dissertatiunculæ modum multum excedunt,

dunt, aliis reſervantes occaſionibus, de ſenſu unius tantum commatis, de quo inter interpretes parum convenit, pauca quædam commentabimur. Cujus commatis expoſitiones varias ſi retulerimus; qualem nos, & quibus rationibus inducti, citra cujusque præjudicium probemus, pro virili noſtro indicabimus.

§. II.

Textus controverſus legitur *Actor. Apoſtolicòrum* Cap. XXVII. v. 9. his verbis Græce conceptus: Ἱκανȣ̃ δὲ χρόνȣ διαγενομένȣ, καὶ ὄντος ἤδη ἐπισφαλȣ̃ς τȣ̃ πλοὸς, διὰ τὸ καὶ τὴν νηςείαν ἤδη παρεληλυθέναι, παρῄνει ὁ Παῦλος, κ. τ. λ. Quæ verba a veteri Interprete hunc in modum verſa ſunt: *Multo autem tempore peracto, & cum jam non eſſet tuta navigatio, eo quod jejunium jam præteriiſſet, conſolabatur eos Paulus &c.* Plures verſiones adjicerem, niſi ex infra dicendis, de nonnullis, quæ ad rem facere poterunt, conſtare poſſet. Id tantum moneo, quod & jam aliis quoque obſervatum, rectius pro *conſolabatur*, verti, *adhortabatur*.

§. III.

Hic textus noſter, licet in ſcriptis Codicibus nihil variet, temerarias tamen, quod primum omnium notandum exiſtimo, paſſus eſt manus *Seb. Caſtalionis*, cui vox νηςεία locum ſuum tueri poſſe minime videtur, ejusque loco reponendum νηνεμίαν arbitratur, quæ vox *a ventis tranquillitatem* notat. Ejus verba in hunc locum hæc ſunt: Διὸ καὶ τὴν νηςείαν ἤδη παρεληλυθέναι, *quod jejunium jam præteriiſſet. Sed quid jejunium ad navigandi periculum? Nam ſi jejunium voces inediam, ea eſſe quæ poterat, cum eſſent in portu, & poſſet ampliſſima inſula ſuppeditare commeatum, & paulo poſt dicantur navem exonerare frumento? Adde quod neque* νηςεία *dicitur pro* ἀσιτία, *neque id cum verbo* παρεληλυθέναι *quadrat: oportet enim inediam non præteriiſſe, ſed inſtare; neque id inedia, ſed commeatus penuria dici deberet. Sin jejunium dicas jejunandi*

tempus, id neque nauticæ rei convenit, neque quicquam ad rem facit. Equidem dum diligentius narrationem hanc considero, suspicor non νηςείαν, sed νηνεμίαν legendum esse, h. e. a ventis tranquillitatem, nam id & cum narratione convenit, & facile depravari potuit a mediocriter docto, qui verbi νηνεμίας vim ignoraret.

§. IV.

Alii, quibus textus hic corruptus non videtur, τὴν νηςείαν de Solenni illo jejunio Judaico interpretantur, quod fiebat in festo Expiationis, Hebræis יום סליחה ומחילה *dies placationis* item יום הכפורים dies expiationum, *LXX. Interpretibus* ἡμέρα ἐξιλασμȣ̃ dicto. Quod festum in diem decimum mensis septimi, Tisri alias appellati, incidit, quo tempore ex præcepto Dei celebrandum fuit. Ita enim præceperat Mosi Deus Levit. cap. 16. qui & paulo post disertis verbis Mosen iterum alloquitur Lev.sc. 23:27. אך בעשור לחדש השביעי הזה יום הכפרים הוא מקרא קדש יהיה לכם ועניתם את נפשתיכם והקרבתם אשה ליהוה / *sed die decimo mensis hujus septimi dies expiationum sit; convocatio sancta esto vobis, ut affligatis animas vestras, tum offeratis igne absumendum Jehovæ.* &c. De cujus festi solennibus ceremoniis præter ea, quæ in Mose capite XVI. *Levitici* prolixe leguntur, integer tractatus in corpore Talmudico extat, יומא dictus, quem versione Latina & eruditis notis illustravit doctissimus *Robertus Sheringhamius* Cantabrigiensis. Et hanc vocis Νηςείας expositionem præter alios propugnat *Theod. Beza* not. in h. l. dum scribit: τὴν νηςείαν: *Tempus designat Lucas ex more Judaici populi, ut doctissimus interpres in hunc locum recte annotavit: cui etiam in eo assentior, quod de festo expiationis hæc intelligit, cujus sit mentio Levit. 23: 27. Incidit autem hoc festum in mensem Hebræorum septimum, qui mensis respondet aliqua ex parte nostro Octobri. Instabat igitur November, ut merito omnino censuerit Paulus, potius eo loco hyemandum*

dum

dum, *quam hybernam navigationem tentandam* &c. qui idem testimonium mox *Fl. Vegetii de re milit. 4: 39.* adducit; quod, quia rem non parum illustrat, integrum exscribam: *Phœnitæ decursu, i. e. post ortum Plejadum, a die sexto Kalendarum Juniarum, usque in Arcturi ortum, id est, in diem octavum decimum Kalendarum Octobrium, ut secura navigatio creditur, quia æstatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur, ita post hoc tempus usque in tertium Idus Novembris incerta navigatio est, & discrimini proprior* (vide an melius forte legatur, *propior*:) *propterea quia post Idus Septembris oritur Arcturus vehementissimum sidus. Et octavo Kalendas Octobris Æquinoctialis evenit acerba tempestas. Circa nonas vero Octobris Hœdi pluviales, quinto Idus ejusdem Taurus. A Novembri autem mense crebris tempestatibus navigia conturbat Vergiliarum hyemalis occasus. Ex die igitur tertio Iduum Novembris usque in diem sextum Iduum Martiarum maria clauduntur. Nam lux minima; noxque prolixa; nubium densitas; aëris obscuritas; ventorum, imbri vel nivibus geminata sævitia; non solum classes a pelago, sed etiam commeantes a terrestri itinere deturbat.*

§. V.

In eandem concedit sententiam eruditus *Daniel Heinsius*, qui Exercitationum Sacrarum libro V. cap. 15. p. m. 323. sq. in hunc locum ita commentatur: *cum dicitur*, ἱκανοῦ δὲ χρόνου διαγινομένου, καὶ ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοός, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, παρῄνει ὁ Παῦλος, *quærunt Eruditi, quænam hic sit* ἡ νηστεία, *excellenter ita dicta. Et apud Zachariam quidem*, τῆς τετάρτης, τῆς πέμπτης, τῆς ἑβδόμης, τῆς δεκάτης, *quarti, quinti, septimi jejunii ac decimi mentionem fieri ignorat nemo. Cum autem absolute jejunium dicitur, ne dubitandum quidem, quin jejunium, quod magnum, sive* צום הגדול *dicitur, intelligendum sit. quod &* צום יום ἡμέρα νηστείας *absolute, & compendiose* י״ה *quod est* יום הכפורים *dies expiationum*, ἡμέρα καθαρμῶν *dicitur. Quo die in luctum maximum Judæi se effundunt: ita ut viginti quatuor, & amplius horas, albis induti*

induti vestibus, nudisque pedibus, assidue precentur, ac jejunent: ut memoriam peccati vere horrendi, τῆς μοσχοποιίας nempe, ita detestentur, pœnamque tanto debitam flagitio, avertant. Qui in decimum Septembris incidit. quo mense ut Plejades occidunt, ita & tempestuosum mare redditur.

§. VI.

Jo. Drusius similiter h. in loc. observat: *quod & jejunium jam præteriisset: Dies expiationum, qui dies jejunii & jejunium magnum. In Syro est, dies jejunii Judæorum. hujus mentio Jerem. 36: 6. in die jejunii. Josephus Libro VII. belli Jud. Die expiationum jejunare mos fuit cunctis. Dies hic incidit in nonum mensis Tisri, qui ex parte Octobri nostro respondet. Hoc die Plejades occidunt, & mare tempestuosum navigationique incommodum reddunt. Vide Levit. 23: 29. 32.* Consentit & *Hugo Grotius*, cujus hæc in locum præsentem verba sunt: *νηστεία per excellentiam dies* כפורים *ἐξιλασμῦ, decima Tisri. vid. Levit. XXIII. Tisri partim cum Septembri, partim cum Octobri congruit. Mense Novembri claudi maria notat Vegetius.*

VII.

Hos contra insurgit Græcas Literas non mediocriter edoctus Vir *Erasmus Schmidius.* Cujus verba ipsa, ut de mente ejus eo melius constet, afferre non piget. Ita autem in notis suis: *διὰ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι quod etiam inedia jam accessisset. Duplex hic error ab interpretibus vulgo committitur I, quod per τὴν νηστείαν accipiunt jejunium quoddam solenne & publicum, quasi appropinquasset tempus jejunii Ecclesiastici, circa quod maris intempestatem nugantur: Quum hic notetur jejunium privatum nautarum horum, qui ob continuos aliquot dierum periculosos labores cibum capere non vacarunt:* Haben vor nöthiger Arbeit nicht so viel Zeit gehabt, daß sie kaum einen Bissen Brod geniessen könnten, *adeo ut post paucos dies, Paulus v. 33. quatuordecim dies jejunii (non ecclesiastici, sed privati) Nautarum numeret.* Ist also eine *opinio, ex textus*

tus cohærentia non considerata, exorta. Quod si autem forte jejunium aliquod Judaicum coincidisset, (ita ex abundante largior) per accidens id factum fuisset: neque nautæ Alexandrini id multum curassent. Die armen Tropffen hatten *jejunium coactum. II. Quod* τὸ παρεληλυθέναι *hic reddiderunt per præteriisse: quum reddi debeat per, accessisse.* Es kam zu der Schwerheit der Schiffahrt, auch der Hunger, dadurch sie von allen Kräfften kommen waren, (*de significatis verbi* παρέρχεσθαι *vid. ad Matth. V. 18.*) dieweil auch nunmehr der Hunger darzu kommen, daß sie etliche Tage vor stätigem Rudern zum Essen nicht kommen können. *Contextus ergo prohibet assentiri iis, qui præteriisset reddunt; &* νηστείαν *hanc, de tempore solenniter, & publice ritu Ecclesiastico peracto accipiunt; quum simpliciter sit inedia privata, quam necessitate exigente, illi tantum, qui tum in nave illa erant* (zu Jerusalem wird sich damahls wol niemand abgehungert haben) *sustinuerunt.* Ita *Erasmo Schmidio* de voce νηστεία & verbo παρεληλυθέναι videtur. Et quod expositionem vocis νηστείας attinet, ea in re assentientem habet *Franciscum Vatablum*, qui verba, *jejunium jam præteriisset*, vertit: *ultra tempus sustinuissent inediam.* De inedia νηστείαν exponere etiam Lyranum testatur *Erasmus* Roterod. in notis suis his verbis: *Prius secuti fueramus Lyrani sententiam, qui putat illis, cum suppeteret commeatus, tamen ob curam ac mærorem non vacasse cibum sumere: atque ideo Paulus suadet manendum, quo liceat reficere corpora, &c.*

§. VIII.

Quod denique & nostram sententiam attinet, antequam eam profiteamur, necesse ducimus de textus integritate paucis disserere. Sciendum scilicet primum omnium est, vocem νηστείαν in nostro loco communi omnium Codicum, manu exaratorum, quos quidem magno numero inspexit & multo labore contulit *Joh. Millius*, consensu firmari: altero etiam loco observandum, antiquissimam N. Testamenti Ver-

ſionem Syriacam νηστείαν vertiſſe יומא דצומא דיהודיא *diem jejunii Judæorum.* unde liquido patet, Syrum ſuo tempore in textu Græco νηστείαν legiſſe, & ut quid νηστείαν ſignificare ipſe exiſtimet doceat, additis duabus aliis vocibus expoſuiſſe. Hæc cum ita ſint comparata, miror *Seb. Caſtalioni* vocem νηστείας de mendo fuiſſe ſuſpectam. Quod ſi enim gentilium libris is habetur honos, ut citra aut Codicum meliorum fidem, aut urgentem aliam neceſſitatem, vocem aliquam non facile immutemus, quanta quæſo cum veneratione in Sacris Tabulis erit verſandum? abſit ut adeo temere nobis aut plane non intellecta, aut ſaltem alio, quam quem Spiritus S. intendit, ſenſu percepta, loco ſuo turbemus. Quod equidem probationis loco a *Seb. Caſtalione* affertur, vocem νηστείας male locum ſuum tueri, ſi jejunium ſcil. eam interpreteris, & de jejunandi tempore accipias, quoniam *id neque nauticæ rei conveniat, neque quicquam ad rem faciat;* fateor quidem *nautas*, ut cum *Erasmo Rot.* loquar, *edax hominum genus* citra neceſſitatem parum jejunium fuiſſe curaturos. Aſt non de tali jejunio textus loquitur, uti poſtea oſtendetur, ſed de jejunio ſtato inter Judæos, quod hic ad certam anni tempeſtatem denotandam a Luca adhibitum eſt. Neque vero firmiori talo nititur νηνεμίας vox, quam pro νηστείᾳ reſtitutam vult, quando ait: *ſuſpicor non νηστείαν ſed νηνεμίαν legendum eſſe, h. e. a ventis tranquillitatem: nam id & cum narratione convenit.* Ergone per tempus quod præteriit, aër carebat ventis? quorſum vela navis quæſo? conf. v. 40. Intemerata itaque vox νηστεία hoc in loco maneat.

§. IX.

Exiſtimamus vero cum veritate ſentire eos inter interpretes, qui vocem τῆς νηστείας de jejunio illo ſolenni, Expiationum die inter Judæos recepto, interpretantur; & hac jejunii voce tempus denotari, quo ſc. illud celebrari ſolebat, quod uti ex Lege Moſis

indi-

indicavimus ſupra, erat dies decimus menſis Tiſri, qui Tiſri ex parte Septembri, ex parte vero Octobri reſpondet, uti ex ſupra dictis jam patet, & ulterius oſtenditur a *Johanne Seldeno* in erudita Diſſertatione de anno Civili & Calendario veteris Eccleſiæ ſeu Reipublicæ Judaicæ. Tempus autem, quod jejunium illud Judæorum ſolenne inſecutum eſt, navigationi erat minus aptum, ceu ex *Vegetii* ſupra §. 4. allegatis verbis conſtare poteſt. Quibus merito jungi debent, quos *Godeſc. Stewechius* in Commentario ſuo porro allegat. cum quibus convenit etiam *Aſcræi* monitum Ἐργ. καὶ Ἡμ. v. 618. ſqq.

Εἰ δέ σε ναυτιλίης δυσπεμφέλου ἵμερος αἱρῇ·
Εὖτ' ἂν Πληϊάδες, σθένος ὄβριμον Ὠρίωνος
Φεύγουσαι, πίπτωσιν ἐς ἠεροειδέα πόντον,
Δὴ τότε παντοίων ἀνέμων θύουσιν ἀῆται·
Καὶ τότε μηκέτι νῆας ἔχειν ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ.

Quodſi te navigationis periculoſæ deſiderium ceperit;
Quando utique Plejades, vehementem Orionem
Fugientes, ſubierint obſcurum Pontum,
Tunc certe variorum ventorum ſtrident flamina;
Et tunc ne amplius naves habe in nigro ponto.

Qui idem, poſtquam commoda navigandi expoſuit tempora, mox quænam minus apta ſit navigantibus tempeſtas, his docet, vers. 674. ſqq.

Μηδὲ μένειν οἶνόν τε νέον καὶ ὀπωρινὸν ὄμβρον,
Καὶ χειμῶν' ἐπιόντα, νότοιό τε δεινὰς ἀήτας,
Ὅς τ' ὤρινε θάλασσαν, ὁμαρτήσας Διὸς ὄμβρῳ
Πολλῷ ὀπωρινῷ· χαλεπὸν δέ τε πόντον ἔθηκεν.

 Neque,

Neque expectato vinumque novum, & autumnalem imbrem,
Et hyemem accedentem, Notique molestos flatus,
Qui concitat mare, comitatus Jovis imbre
Multo autumnali; asperum vero pontum facit.

Sed non contemnendus præterea locus est apud Josephum Antiquitatum Judaicarum III, 10. p. 92. ubi postquam docuit, jejunium solenne celebrari inter Judæos septimo mense, die decimo, ad festum Tabernaculorum pergit, quod in ejusdem mensis diem decimum quintum incidere ait, τρεπομένυ τὸ λοιπὸν τῦ καιρῦ πρὸς τὴν χειμέριον ὥραν, *reliquo tempore in hyemem vergente.* In quem apprime sensum *Johannes Lightfootus* in Chronico temporum & ordine Textuum Novi Testamenti Operum Tom. 2. p. m. 102. summatim historiam recensens scribit: *Vergebat jam annus, & appetebat hyems (elapsa Expiationis solemnitate) & oborta tempestate, & confracto navigio enatantes omnes evadunt in terram.* Ex dictis itaque periculosam futuram fuisse navigationem, ob anni tempestatem navigandi minus commodam, quis non videt?

§. X.

Hinc puto sufficienter responsum esse illis *Erasmi Schmidii* verbis, quibus §. 7. asserit errorem committere eos, *qui per* τὴν νηςείαν *accipiunt Jejunium quoddam solenne & publicum: quasi appropinquasset tempus Jejunii Ecclesiastici, circa quod maris intempestatem nugantur.* Quibus accedit, quod vox νηςεία de die Expiationis teste Clarissimo *Adriano Relando* antiquitatum Sacrarum veterum Hebræorum parte IV. cap. 6. §. 1. etiam in scriptis *Josephi* & *Philonis* occurrat: atque ita *Jejunium* nuncupetur a *Tertulliano* libro adversus Judæos non procul a fine p. m. 140. *Sic enim & duorum hircorum, qui*

Jeju-

Jejunio offerebantur, faciam interpretationem, &c. Cui loco alius ex libro III. adversus Marcionem p. 199. jungi potest. *Si enim &c. duorum hircorum, qui Jejunio offerebantur, faciam interpretationem &c.* Sed instat *Erasmus Schmidius, hic notari jejunium privatum nautarum horum, qui ob continuos aliquot dierum periculosos labores cibum capere non vacarunt.* Verum quid quæso nautas, quo minus in loco, καλοὶ λιμένες appellato, in quem appulisse eos textus narrat, cibum caperent, corpusque reficerent, impedivit? Valent sane huc contra *Erasmum Schmidium* ea, quæ supra ex *Sebast. Castalione* §. 3. adducta sunt: *Si jejunium voces inediam, ea esse qua poterat, cum essent in portu, & posset amplissima insula suppeditare commeatum, & paulo post dicantur navem exonerare frumento?* Neque etiam majoris facienda illa *Erasmi Schmidii*, quibus porro contra sentientes urgere vult: *Quod si autem forte jejunium aliquod Judaicum coincidisset, (ita ex abundante largior) per accidens id factum fuisset: neque Nautæ Alexandrini id multum curassent.* Die armen Tropffen hatten *Jejunium coactum.* ut & illa, quæ mox sequuntur: *contextus ergo prohibet assentiri iis; qui νηστείαν hanc de tempore solenniter & publice ritu Ecclesiastico peracto accipiunt; quum simpliciter sit inedia privata, quam necessitate exigente, illi tantum, qui tum in nave illa erant, sustinuerunt.* Nonne hoc est Andabatarum more pugnare. Quis nautas Alexandrinos jejunium, de quo noster locus, & de quo interpretes supra citati, curasse, aut curaturos fuisse dixit? ast vero tempus certum anni, festo aliquo celebriori describere quid quæso vetat? Scimus equidem Alexandrinos nautas parum fuisse de jejunio Judæorum sollicitos: at nec Alexandrini nautæ ea, quæ versu nostro continentur, aut dixerunt, aut scripserunt; verum à Judæo illa prolata sunt, cui festorum inter Judæos tempus statum satis erat perspectum, & cum aliis Judæis tempestates anni etiam per festos dies denominare non incongruum.

§. XI.

§. XI.

Verumenimvero adhuc alius *Erasmo Schmidio* hæret in voce παρέρχεσθαι scrupulus, quam per errorem *præteriisse* verti ait, cum tamen *accessisse* vertenda sit; Lectoremque ad notas suas in Matth. V. 18. ablegat. ubi cum docuisset παρέρχεσθαι primo loco significare, *ita transire, ut aboleatur & abolitum maneat*: vel *alio*, *in alium statum transferatur & mutetur*; pergit altero loco ostendere, quod idem verbum etiam notet *accedere*, sive sit hinzu tretten, sive, darzu kommen. posteriorem significationem nostro in loco ibi obtinere vult. sed ex præconcepta significationis νηστείας opinione. quam si non fovisset, certe præsentem locum nunquam hunc in sensum explicasset. Nam παρέρχεσθαι notionem accedendi hic habere, tam facile, & eodem jure refellitur, quam facile, & quo jure ab *Erasmo Schmidio* contrarium asseritur; cum potissima explicationis ratio à voce νηστεία dependeat, quod ipse *Erasmus Schmidius* haud dubie probe subodoratus est; unde nihil probationis loco ulterius ab eodem additum.

§. XII.

Sensus itaque loci nostri is esse videtur. Postquam multum diuque navigassent, nec tamen multum maris, diuturna licet navigatione sua, fuissent emensi, (id quod verbum βραδυπλοοῦντες v. 7. & vocula μόλις aperte innuunt,) atque a vento contrario, recto contendere cursu prohiberentur, (μὴ προσεῶντος ἡμᾶς τοῦ ἀνέμου,) obliquo cursu sublegere (ὑποπλεῦσαι) Cretam juxta Salmonem cœperunt. Sed & hoc non sine difficultate factum vocula commatis 8. μόλις *vix*, indicat. Præterlegentes itaque Cretam cum in locum venissent καλοὺς λιμένας Pulchros portus appellatum, prope urbem Lasæam, Paulus hortabatur Centurionem, Gubernatorem & Nauclerum atque cæteros,

in

in Creta esse manendum, quia periculosam fore navigationem vel etiam inde perspiciebat, quod jejunium Judæorum illud solenne, atque sic tempus navigationi commodum jam præteriisset. Et ita mihi quidem hic locus accipiendus videtur, alii aliter sentiant, per me licet. Finem autem huic Dissertationi imponam succinctis verbis, quæ in notis Novi Testamenti Gallico idiomate Trevoltii typis exscripti ad hunc locum leguntur: *Parce que le jeûne étoit déja passé. c. d. comme il y a dans le Syriaque & dans l'Arabe d'Erpen, le jeûne des Juifs, qui étoit le jour de l'expiation, jour fort solemnel parmi eux, tant à cause du jeûne, que des penitences qu'ils font ce jour là, qui est le dixiéme du septiéme mois appellé Tisri répondant à nôtre mois de Septembre, & quelquefois à Octobre. Les gros vents qui soufflent ordinairement dans les Equinoxes rendent alors la navigation dangereuse.**

Tu denique æterne Deus, Pater benignissime, ductu Spiritus Tui Sancti cursum navigationis nostræ in hoc turbido mundi mari ita clementissime dirige quæso, ut ab omnibus procellis, tempestatibus atque naufragiis liberati per Jesum Christum Filium Tuum unigenitum, in æternos illos. Cœli portus, vere Καλοὺς Λιμένας, tandem appellere queamus.

* Conf. de hoc argumento *Jac. Hasæi* Dissertat. Biblioth. Brem. Cl. I. Fasc. 1. §. 2. p. 17-34. & ejusdem analecta Biblic. Tom. II. Fasc. VI. p. 995. Item *P. Ad. Boysen* Eclogas archæolog. ad difficile Pauli iter. Halæ. 1713. ubi & Castalioni locum mendi accusanti satisfactum est. P. B.

* *

II.

JOH. GEORGII ALTMANNI P. P. DECAS POSITIONUM PHILOLOGICARUM

Ad illuſtrationem quorundam locorum Epiſtolæ Pauli ad Romanos.

§. I.

Rom. I. v. 14.

Ἕλλησι τε καὶ βαρβάροις, σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις ὀφειλέτης εἰμι. Cum Paulus ſe Græcorum & Barbarorum, ſapientum & inſipientium debitorem facit, utitur loquendi ratione priſcis uſitatiſſima, qui Græcos ſapientes, reliquos populos perinde omnes aut inſipientes & indoctos, aut à Græcis ſaltem edoctos habebant, itaque communiter totius terræ incolæ ſæpiſſime in Græcos & Barbaros diſtinguebantur: Mirum autem videri poſſet, Paulum ad Romanos ſcribentem Græcorum & Barbarorum mentionem feciſſe, non autem Romanorum. Notandum autem, quod poſteriori tempore Græcorum vox non tantum gentem Græcam, ſed moribus & ingenio exornatam ſæpius ſignificet, quæ enim liberalia, docta, humana & decora erant, vocabantur ἑλληνικα; quæ incondita, indocta & à moribus politis & eruditione remota, ea βαρβαρικα vulgo audiebant, ut hæc obſervat *Perizon. ad Ælian. Lib. 3. cap. 22. p. 263.* Sæpius per Græcos Paulus Gentiles communiter ſumtos intelligit, ut eodem hoc capite v. 16. quem locum ſatis infelici-

feliciter explicavit *Henr. Knobloch Thesaur. Philolog. Tom. II. pag. 501.* Cum ergo Paulus se Apostolum Græcorum & Barbarorum confitetur, tantum est, ac si diceret, se omnium populorum & gentium, quæ eum audire vellent, communem esse doctorem & ministrum. Notandum etiam, quod apud Græcos ipsos, non illi tantum Barbari fuerint dicti, qui Græca lingua non utebantur, sed etiam illi apud Græcos, qui non ita terse & suaviter Græce loquebantur, ita Ilienses *Hesychio* Barbari dicuntur, quod eorum sermo non ad Græcam loquendi suavitatem accederet, ut hæc probat *Ignatius Georgius Dissert. de Paulo in mari quod nunc Venetus sinus dicitur naufrago. p. 187.* Cum autem illi, qui Græcis imbuti erant literis & moribus, se doctos & sapientes crederent, reliquos autem tanquam stipites & invita Minerva natos haberent, ideo addit Paulus, quod sit debitor sapientum & insipientium; Cum autem addit, quod sit ὀφειλέτης, *debitor*, suam in munere suo promptitudinem exponit, licet enim debitor, voce proprio significatu sumta non esset, se tamen ad sedulam Evangelii prædicationem hac voce ita adstrictum describit, ut demonstret id ipsi officium ita incumbere, ut debitori incumbit æris alieni quo premitur exsolutio.

§. II.

Rom. III. v. 1. 2.

Τι ȣ̓ν το περισσον τȣ Ἰȣδαιȣ, ἢ τις ἡ ὠφελεια της περιτομης. Πολυ κατα παντα τροπον. Πρωτὸν μεν γαρ ὁτι ἐπιςευθησαν τα λογια τȣ Θεȣ. Demonstrat in hoc loco Paulus, quod Judæi omnino prærogativas quasdam habeant præ gentibus, primamque ponit in eo, quod Deus verbum suum Judæis tanquam pretiosum aliquem thesaurum asservandum & custodiendum tradiderit. Ex lectione autem hujus versus secundi, aliquis colligeret, quod Apostolus plures populi Judaici prærogativas

gativas velit recensere, hanc unam tamen enarrasse contentus, cum reliquas capite demum 9: 4, 5. exponat; Quis autem dixerit, quod vir divinus instituti sui immemor recensionem inchoaverit, reliquasque addere vel neglexerit, vel oblitus fuerit; Nemo autem mirabitur, Paulum unam tantum percensuisse, qui attendit voculam πρωτον non semper ad ordinem vel tempus designandum adhiberi, cum sæpissime significet, *præcipue* & *imprimis*, atque hoc sensu occurrit passim in scriptis Novi fœderis, Matth. 6: 33. Ζητειτε δε πρωτον την βασιλειαν τȣ Θεȣ. *Quarite primum, vel ante omnia regnum Dei.* Eundem significatum etiam obtinet Matth. 23: 26. 1. Tim. 1: 15. atque in aliis locis, quæ jam adducere nimis prolixum foret. Hæc Judæorum prærogativa tanta erat, ut major & eminentior inveniri non posset, ex hac enim reliquæ tanquam rivuli defluebant, erant enim hæc scripta magnificum illud fœderis gratiæ instrumentum, quo ad salutem & hæreditatem cœlestem præ reliquis gentibus evocabantur. Cum autem Paulus dicit ἐπιςευθησαν, sensus est, non tantum quod facti sint tanti thesauri depositarii, sed etiam quod Deus fidei populi Judaici verbum suum commiserit, ut illud sancte & intemerate custodirent, illudque etiam observarent. Singulari autem significatione non caret vox λογια τȣ Θεȣ, respicit enim in his Paulus haud dubie ad inanem illam Græcorum & Romanorum jactantiam, & existimantium, oracula Gentilium & folia fatidica Sybillina divinæ esse originis, cum tamen mera essent mendacia, quæque vocabant communi appellatione λογια; ut tamen Paulus hoc à Deo datum verbum à traditionibus gentilibus caute distingueret, hanc Dei revelationem λογια τȣ Θεȣ vocat, ut illam hoc modo ab omni humana & superstitiosa traditione separaret & distingueret, hinc etiam Stephanus legem in Sinai latam appellat λογια ζωντα, *eloquia viva*, Act. 7: 38.

§. III.

§. III.

Rom. *VI. v.* 23.

Τα γαρ ὀψωνια της ἁμαρτιας θανατος, το δε χαρισμα τȣ Θεȣ, ζωη αἰωνιος ἐν Χριςω Ἰησȣ τω Κυριω ἡμων. Ad locum hunc rite intelligendum neceſſe eſt omnino, ut attendamus, quæ ſit vera ſignificatio vocis ὀψωνιου, & tum liquida erunt omnia. Paulus voce utitur ex diſciplina militari deſumta, ὀψωνιον enim proprie eſt ſtipendium militum, teſte *Polyb. lib. 16.* Ὀψωνιον δε οἱ μεν πεζοι λαμβανȣσι της ἡμερας δυο ὀβολȣς, *ſtipendium pedites quidam accipiunt ſingulis diebus obolos duos*, inde etiam eadem hæc vox ſæpius occurrit in ſcriptis N. Teſtamenti 1. Cor. 9:7. τις ϛρατευεται ἰδιοις ὀψωνιοις ποτε. *Quis unquam proprio militat ſtipendio.* Et Johannes Baptiſta militibus ipſum rogantibus, quid illis faciendum incumberet, reſpondit, Ἀρκεισθε τοις ὀψωνιοις ὑμων, *contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Prolixius hæc probat *Jac. Lydius in Syntag. Sacr. de Re milit. p.* 243. ut & eruditiſſ. *Brunings Antiq. Græc. p.* 75. Quam eleganter autem & concinne Paulus hac voce in hoc loco uſus ſit comparebit, ſi attendamus, quod in præcedentibus peccatum deſcripſerit ut dominum vel regem, qui regit & gubernat hominem irregenitum; Qualis jam ſit dominus, qualis finis & exitus ejus imperii in miſeros ſervos peccati, jam exponit Apoſtolus, cum dicit, quod ſtipendium ab hoc tyranno datum ſit mors, hoc eſt exitium æternum, mors ſecunda Apoc. 20:14. Senſus ergo eſt, quod peccatum, magno ſæpe labore & induſtria conſummatum. mercedis loco nil niſi miſeriam & pœnam conferat, quia pro operibus ſuis impii hanc remunerationem vel pœnam potius accipiunt. Egregiam Paulus annectit antitheſin, cum ſubjungit, *gratuitum autem donum Dei eſt vita æterna per Jeſum Chriſtum.* Pœnam peccato debitam & gratiam opponit, peccato debetur ὀψωνιον, *ſtipendium*; ſed pietatis præmium eſt ex mera gratia, χαρις, vita æterna.

§. IV.
Rom. VII. v. 24.

Ταλαιπωρος ἐγω ἀνθρωπος τις με ῥυσεται ἐκ τȣ σωματος τȣ θανατȣ τȣτȣ. Ut hic locus recte intelligatur, videndum primo, quid veteres per ταλαιπωρον intellexerint; Ταλαιπωρος ille vocatur, qui maxima atque duriſſima premitur miſeria & ærumna, hinc *Eraſ. Schmidius* interpretatur de homine triſtiſſimo atque duro labore agitato. Veram ſignificationem vox ipſa indicat, componitur enim ex ταλαω *fero*, & πωρος, *luctus.* Qui ergo in luctu, in mærore, morbo & extrema miſeria eſt conſtitutus, ille Græcis ταλαιπωρος vocatur, ut hoc prolixius adductis ex priſcis Scriptoribus locis probat doctiſſ. *Joh. Alberti Obſervat. p. 305.* Quid autem per σῶμα τȣ θανατȣ ſit intelligendum, non omnes inter ſe conveniunt interpretes, nec certe illi ſenſum verborum Pauli exhauriunt, qui vertunt *corpus mortale*, melius illi, qui intelligunt corpus mortiferam peccati & corruptionis maſſam ſecum ferens, & hanc labem peccaminoſam & ipſe ſecum Paulus ferebat, quamdiu in carne erat, ut ipſe fatetur verſu 23. Eſt ideo exclamatio hominis regeniti, qui peccatum & miſeriam ſentit, quamdiu eſt in corpore mortis, nam corpus mortis eſt cauſa omnis miſeriæ, non quatenus eſt corpus mortale, ſed quatenus eſt corpus peccaminoſum, in cujus membris eſt lex peccati. Nec inuſitatam eſt etiam Scriptoribus Græcis ſub nomine θανατȣ omnem omnino complecti miſeriam.

§. V.
Rom. IX. v. 3.

Ἠυχομην γαρ αὐτος ἐγω αναθεμα ἐιναι ἀπο τȣ Χριςȣ ὑπερ των ἀδελφων μȣ των συγγενων μȣ κατα σαρκα. In hoc loco explanando veteres & recentiores Interpretes deſudarunt, verum quidam; quantum quidem judico,

co, parum feliciter. Verba Pauli ita mihi vertenda videntur. *Optabam autem à Christo esse anathema pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Maxima difficultas latet in voce *anathema*, quam nonnulli Interpretes tam arcte stringunt, ut illam sensu durissimo accipiendam putent. Ut quod sentio aperte dicam, displicet mihi sententia illorum doctorum virorum, qui de exitio æterno hoc anathema intelligunt; Recte hinc Rev. & Clariss *Jacobus Elsner Observ. Sacr. Tom. II. p. 44.* „ Vehementer miratus sum, inveniri „ celeberrimi nominis Interpretes, qui Apostolum „ æternam segregationem à Christo, & quidquid ab „ ira Dei proficisci possit his verbis imprecatum sibi „ existimant, quo quid durius, & tanto Apostolo in„ dignius dici queat, non video, insanit sine dubio, „ qui ut alienam salutem procuret, suam in perpetu„ um abjicit, & summis æternisque doloribus confi„ ci & excruciari exoptat; Injurius est in Deum, & „ improbissimus mortalium, qui quacunque tandem „ de causa iram Dei, & æternam à Christo distractio„ nem discidiumque deposcit & expetit. Sensus ergo verborum Pauli mihi is esse videtur, ut exoptet pro fratribus suis diram & acerbam sustinere necem, si hac morte, tanquam victima piaculari ad Christum converti possent fratres Judæi. Si vero hoc votum Pauli de perpetua excommunicatione & separatione à Christo intelligitur, illud certe pugnaret cum amore, quo Deum supra omnia diligebat, nec concipi potest, quod in Apostolo amor in fratres major fuerit, quam autem in Deum ipsum, qui actionum & amoris tanti viri erat & prora & puppis, nec hoc Deus à nobis petit, ut nostra miseria & damnatione alios servemus. Hoc equidem verum est, quod Græca vox ἀνάθεμα respondet Hebr. חרם, quodque hæc vox sæpius rem denotet diris devotam; at nihilominus verum est, quod apud Hebræos eadem hæc vox

diversum admittat sensum, indeque חרם illud sæpissime denotet, quod Deo est destinatum atque dedicatum, ut hoc probat *Joh. Andr. Danzius* in docta exercitatione de ritu excommunicat. Judæor. quam cum aliis collegit in fasciculum *Meuschenius in N. T. ex Talmude illustrato p. 617.* Hoc etiam extra omnem controversiam positum est, quod ἀνάθεμα etiam in bonam partem sæpius accipiatur, cum simpliciter, ut jam dictum, denotat rem quamcunque à communi usu remotam, & Deo consecratam, ut allatis ex priscis Scriptoribus hoc probat *Suicerus in Thesaur. Eccles. Tom. 1. p. 281.* atque secundum hanc significationem dicere possemus, sensum verborum Pauli hunc esse, se à Christo exorasse, ut possit esse Præco & Apostolus ad Evangelium fratribus suis annuntiandum, cumque hæc etiam admitti possit explicatio, illam cuique vel rejiciendam vel adoptandam pro arbitrio relinquimus: mihi autem arridet illa prima, quæ hanc vocem de acerba & cruenta morte intelligit, cur autem hanc meam faciam, ratio hæc est, quia Hebræum חרם à LXX. Interpretibus per ἀνάθημα redditur, quoties sermo est de hominibus ad mortem devotis ut Jos. 6: 17. & 7: 12.

Objiciet autem aliquis magnam esse differentiam inter ἀνάθημα & ἀνάθεμα. Hoc verum esse aliquo modo agnosco, nihilominus tamen res est etiam verissima, quod apud Scriptores Græcos hæc duo vocabula sæpissime inter se commutentur, cum ejusdem sint originis, atque nulla alia à Grammaticis distinctio facta, quam hæc, quod ἀνάθημα pro re sacra, ἀνάθεμα autem pro re devota accipi debeat, cum ἀναθήματα revera etiam sint ἀναθέματα, ut hoc prolixe probat *Schwarzius in Commentar. Ling. Græc. p. 85.* Inde etiam prisci Lexicographi & Etymologi hæc duo sæpissime confundunt vocabula. *Pollux* sacrificium ante altare mactatum, quod proprie est ἀνάθεμα ipse vocat

cat ἀνάθημα *Onomast. Lib. 1. cap. 1. p. m. 19.* Res est etiam satis cognita, quid veteres per homines devotos, quos ἀναθέματα vocabant, intellexerint. exempla plura ad manus sunt apud Græcos & Romanos, ubi unus homo se pro pluribus morti dedit, atque tales καθάρματα vocati, ut de his differit *Spencerus de Legib. Hebræor. Lib. 3. cap. 5. p. m. 1057.* ut & doctiss. *Schwarzius l. c.* nec non *Lightfotus Oper. Tom. 1. p. m. 481. in dissert. de anathema Maran atha*: atque ex his colligo, quod Paulus vitam suam pro fratribus suis sustinere lubens voluisset, si ita servari potuissent.

§. VI.

Rom. IX. v. 16.

Ἄρα οὖν οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος Θεοῦ. Alludit in his Paulus, uti haud dubie in plurimis locis, ita etiam in hoc ad illa veterum certamina, in quibus qui cursu maxime valebat, præmium consequebatur, hinc etiam frequens usus verborum λείπεσθαι & διώκειν, *relinqui & persequi*, quod utrumque cursorum est: illud dicitur de victis & fatigatis, palmam aliis jam relinquentibus, hoc autem de curforibus fatigatis equidem, sed nondum animum despondentibus, verum vires recolligentibus, ut recte observat *Lydius Agonist. Sacr. cap. 24. p. 77.* Observandum autem, hæc verba Pauli scripta esse ad Romanos, hinc etiam haud dubie ex eorum ritibus erunt illustranda. Romanis commune erat in circos suos post equitum variorumque vehiculorum certamina cursores introducere, hinc *Plin. Lib. 7. 20. Nunc quidem in circo quosdam cursores centum sexaginta millia passuum tolerare non ignoramus.* Cursores qui simul cursum eundem ad stadium decurrebant, erant quatuor, & ille qui primus curriculum absolvisset metamque attigisset, victor erat, & præmium accipiebat, *Panvin. de Lud. Circensib. Lib. 2. cap. 1.* Nudi currebant, puden-

da tantum tecti subligari, ut re nulla præpediti cursum absolverent, quorsum haud dubie alludit Paulus Hebr. 12: 1. *curramus abjecto omni pondere* &c. Apostolus utitur hac notissima comparatione, ut demonstret, quinam sint subjectum gratiæ justificantis, vocati scil. secundum propositum, & in hoc versu veram discretionis causam allegat, misericordiam Dei, falsam etiam exponit, nempe opera hominis. Comparatio consistit in antithesi, in circo ille præmium habebat, qui propriis viribus cursu valebat, in meta autem salutis consequenda vires hominis nullæ sunt, cum meritum omne dependeat à mera Dei in electos misericordia, qua per Christum sponsorem æternæ salutis coronam accipimus.

§. VII.

Rom. XII. v. 1.

Παρακαλω ὑν ὑμας ἀδελφοι, δια των οικτιρμων τȣ Θεȣ, παραςησαι τα σωματα ὑμων θυσιαν ζωσαν, ἁγιαν, ἐυαρεςον τω Θεῶ, την λογικην λατρειαν ὑμων. Rogat Apostolus Romanos per *miserationes Dei*, exprimit hoc modo diversos effectus amoris & miserationis Dei in peccatorem, unusquisque enim actus misericordiæ misero homini collatus miseratio est, unaquæque gratia, quibus nos à Deo per Christum singulis diebus cumulamur est miseratio, & in hunc censum pertinent omnia bona fœderis gratiæ, & harum consideratione Apostolus vult *nos corpora nostra sistere hostias vivas, sanctas, Deo placentes, ut cultus noster fiat rationalis.* Philologi hunc locum communiter ita explicant, ut doceant Paulum in his respectum habuisse ad ritum sacrificandi Judæorum, qui victimas ad altare adducebant, illasque Deo sacras sistebant, & hæc propria est significatio τȣ παραςησαι, hoc equidem ita verum ut verissimum, nihilominus tamen res est extra omnem controversiam posita, quod gentiles eadem voce

ce usi sint, quoties de victima diis offerenda sermo est, ut hoc productis ex veterum Græcorum locis probavit. Cl. *Schelhornius Biblioth. Bremens. Class. VI. p. 488.* Mihi equidem magis est verisimile, Paulum ad victimas gentilium potissimum respexisse, quia dici non potest, quod aliquid ἄλογον fuerit in adductione sacrificiorum Vet. Testamenti, nisi in eo demum casu, cum Judæi sine fide, propriam captantes in sacrificiis suis justitiam, victimas Deo obtulerunt, ut hoc satis patet ex Esaj. 1. Jerem. 7: 21. Malach. 2: 13. aliisque locis, in quibus Deus sacrificia Judæorum repellit, quia sine fide, sine spe in futurum Messiam oblata fuere. Est autem locutio Pauli metaphorica, desumta ex sacrificiis immolandis. Similitudo est inter victimas offerendas, & cultum nostrum spiritualem: Quemadmodum enim Sacerdotes hostias ad altare sistebant, atque Deo consecrabant, eo etiam modo præcipit, ut nos ipsos adducamus, Deo consecremus, promptos atque paratos exhibeamus ad omnem voluntatem Dei perficiendam. Corpora nominat, tum propter victimarum analogian, tum etiam quia totum corpus, omniaque ejus membra ad cultum Dei debet aptum & idoneum reddi, ne dehinc simus servi & mancipia peccati: Corpora etiam ideo nominat, quia corpus & anima à Deo sunt redemta, & una pars cum altera debet glorificari. Hunc cultum vocat *rationalem*, quia cultus Evangelicus rationi sanctificatæ est convenientissimus, constans animo & spiritu, quo corpus nostrum moveri & ad actiones Deo placentes impelli debet. Præcepta Christi talia sunt, ut se sua simplicitate & sanctitate facile ubique commendent, hinc etiam gentiles agnoscebant, victimas, dona, oblationes & omnis generis munera diis neutiquam esse accepta, nisi cordis mentisque puritas & pietas adesset. Unicum placet ex ingenti veterum testimoniorum acervo adponere, quod apud *Persium* occurrit. *Sat. 2. 71.* Dd 4 *Di-*

Dicite Pontifices, in sacris quid facit aurum?
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago,
Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto;
Hæc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.

§. VIII.

Rom. XIII. v. 13.

Ὡς ἐν ἡμέρᾳ, εὐσχημόνως περιπατήσωμεν, μὴ κώμοις καὶ μέθαις, μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις, μὴ ἔριδι καὶ ζήλῳ. Paulus in hoc loco id agit, ut demonstret Romanis ad lucem Evangelii vocatis, quod longe alia vitæ morumque institutio eos jam deceat, quam fuerat illa, quæ ante vocationem hominibus irregenitis familiaris erat, monet eos, ne deinceps vitam agant in *κώμοις καὶ μέθαις*. Hæc ut recte intelligamus, dicendum est, quod ex descriptione gentilium Comus fuerit Bacchi adjutor & sodalis, hinc *κωμάζειν* Græcis significat saltare, choreas agere, lautius & liberius vivere, hymnos cantare. Fallitur ergo *Casaubonus Lib. I. de Satyr. Poët. cap. 4. p. m. 116.* vocem *κῶμος* deducens ab Hebr. קום. Κῶμος autem est & commessatio & chorus hominum ad liberius epulum confluentium, ut hoc probat Rev. *Elsnerus Observat. Tom. II. pag. 60.* Fiebat talis commessatio jocis impudicis, risu effuso, dicteriis, saltationibus, tibiarum cantu &c. Pergit autem Apostolus ab ejusmodi conviviis, in quibus Como litabant ad *μέθην*, *ebrietatem & vinolentiam*, hoc est inordinatum vini vel omnis potus fortioris immodicum usum, potest aliquis ebrietati se dare, qui tamen conviviorum sectator non est, non ergo aliquis existimet, illam cibi potusque immoderatam profusionem peccatum non esse, in qua homines genio

nio suo liberius indulgent ; ebrietatem, quam etiam in κωμαις complecti potuisset, singulariter nominat, cum illa tales sæpius delectentur, qui fere soli ita vino se ingurgitant, atque animam corpusque suum perdunt, ac si secundum effatum Sallustii, vinum aliter effundi non posset, quam per humanum corpus. Κοιτη lectum proprie significat, sed pro concubitu sæpissime accipitur, in hoc loco & Hebr. 13 : 4. & hoc sensu etiam adhibetur à LXX. Interpretibus Lev. 18 : 32. apud exoticos hanc significationem recipit sæpissime, quod probatione non opus habet. Ἀσελγεια sub se comprehendit omne petulantiæ, libidinis, rerumque contra morum honestatem pugnantium genus, ut id prolixe admodum probat *Schwarzius Commentar. Ling. Græc. p. 200.* ut & *J. Philipp. Pfeifferus in Antiq. Græc. p. 470.* Cum autem hæc omnia essent opera tenebrarum, merito monet Paulus, ut in die ambulent.

§. IX.

Rom. XIV. v. 2.

Ὀς μεν πιστευει φαγειν παντα, ὁ δε ἀσθενων λαχανα ἐσθιει.

Locus hic aliqua omnino illustratione & investigatione opus habet. Apostolus id agit, ut unius cujusque conscientiæ & libertati relinquat his vel illis cibis pro lubitu uti. Quosdam fuisse in Ecclesia Romana discipulos, qui carnibus vesci noluerint, ex hoc loco satis colligitur. Per hos infirmos, male homines aliquo morbo laborantes intelligit *Frid. Christoph. Neubour in Stricturis Philolog. Bibl. Brem. Class I. p. 255.* insertis. Hoc equidem verum est, plurimos morbos oleribus curari, verum promiscuum olerum usum magis conducere ad sanitatem hominum infirmorum restituendam, quam autem carnium, à nullo hactenus medico quantum novi, traditum est. Quæritur ergo, quinam fuerint illi primitivæ Ecclesiæ infirmi,

qui rejecto carnium usu oleribus tantum vescebantur? *Limborchius in Commentar. ad h. l. p. 488.* existimat Judæos intelligendos esse; *Manifestum est*, inquit, *infirmum hic esse, qui nondum novit lege Christiana libertatem esse introductam à lege rituali, & qui dubitat, ille edit olera.* Et paulo post subjungit; *erant infirmi fide, procul dubio credentes ex Judæis.* Fallitur quantum video vir doctissimus, cum satis constet, quod usus carnis ex lege Mosis non absolute fuerit prohibitus, concessus enim erat cibus ex animalibus mundis, quadrupedibus atque volucribus, nullaque ideo dari potest ratio, quare fideles ex Judæis ad Ecclesiam Christianam accedentes, carne animalium saltem mundorum uti pro cibo noluissent. Mihi autem magis est probabile, per hos infirmos intelligendos esse fideles ex illis Gentilium Philosophorum Scholis ad Ecclesiam accedentes, qui ob causas sonticas cum adhuc Gentiles essent, esu carnium abstinuerant. Res est satis nota, atque extra omnem controversiam posita, quod discipuli familiæ Pythagoricæ carne potissimum abstinuerint, testis est *Porphyrius in vita Pythagoræ p. m. 37. cap. 34.* της δε διαιτης το μεν ἀριϛον ἠν κηριον η μελι; δειπνον δι αρτος ἐκ κεγχρων, ἡ μαζα, καὶ λαχανα ἑφθα καὶ ὠμα; σπανιως δε κρεας ἱερειων θυσιων, καὶ τȣτο ȣδ᾽ ἐκ παντος μερȣ. *Quod ad victum pertinet, prandium ejus favo aut melle constabat, cœna vero pane ex milio, & pulte, & coctis, crudisque oleribus, rarissime autem carne ex victimis sacrificiorum, neque ea promiscue ex quavis parte.* Alii Pythagoreos omni plane carne abstinuisse contendunt, hinc *Juvenal Sat. XV. 174.*

- - - - - Quid diceret ergo
Vel quo non fugeret, si nunc hæc monstra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulsit non omne
legumen.

Res est equidem nota, quare Pythagoras carne animalium vesci prohibuerit, rationem enim suam petebat ex dogmate de metempsychosi, posteriores autem Philosophi Pythagorici aliam omnino habebant rationem, quam salvo etiam Christianismo retinere potuerunt, & quam nobis exponit *Seneca Epist. 108. Quoniam cœpi tibi exponere, quantum majori impetu ad Philosophiam Juvenis accesserim, quam senex pergam, non pudebit fateri, quem mihi amorem Pythagoræ injecerit Sotion, docebat quare ille animalibus abstinuisset, quare postea Sextius. Dissimilis utrique causa erat, sed utrique magnifica. Hic homini satis alimentorum citra sanguinem esse credebat, & crudelitatis consuetudinem fieri, ubi in voluptatem adducta esset laceratio. Adjiciebat, contrahendam esse materiam luxuriæ; colligebat, bonæ valetudini contraria esse alimenta varia, & nostris aliena corporibus.* Fuit autem hic Sextius Philosophus Romanus, qui vixit tempore Cæsaris atque Augusti, ut prolixe ejus vitam describit Vir Clariss. atque amicissimus *Jacobus Bruckerus in Histor. Philosoph. Tom. 3. pag. 196.* Communis vero erat plurimorum veterum opinio, esum carnium suscitare libidinem, hinc etiam quidam nulla superstitione, sed sola abstinentia ducti, carnem non edebant, probat hoc etiam *Cæl. Rhodigin. Antiquar. Lection. Lib. 28. cap. 2. p. m. 1544. Scribit primo Canonis Avicenna, solitos antiquorum non paucos, mane tantum carnibus vesci, ac cœna modo panem adhibuisse, tanquam illud Hieronymi comprobarent, comedant carnes inquit, qui carni serviunt, quorum fervor despumat in coitum, & scribit in antiquitatum libris Dicæarchus, Saturni tempore carnibus rejectis, omnes frugibus ac pomis vesci solitos; Triptolemi præcepta circumferuntur tria, honorandos parentes, venerandos Deos, carnibus non vescendum. Porro, carnium esum carmine detestatur Orpheus.* Ex his atque aliis locis, quæ jam brevitatis gratia omitto, facile concludi potest, plurimos ex priscis in ea fuisse sententia, carnium esum libidinem susci-

fuſcitare, quid ergo impedit, quominus dicam, fuiſſe plurimos in primitiva Eccleſia, de quibus Paulo in hoc loco ſermo eſt, qui carnes tanquam luxuriæ & libidinis fomitem negligebant, & oleribus tantum, ad corpus domandum utebantur, & inde etiam hæc abſtinentia culpari non potuit, ex nullo quippe profecta principio ſuperſtitioſæ Philoſophiæ aut idololatriæ, ſed ideo unice ſervata, ut corpus eo aptius eſſet ad pietatis & orationis exercitium, hinc ipſe Paulus dicit, *quod proprium ſuum exerceat & ſubigat corpus. 1. Cor. 9: 27.* plura etiam huc ſpectantia contulit doctiſſ. *Chriſt. Brunings in Compend. antiq. Græc. p. 11.* ad quem lectorem remitto.

§. X.

Rom. XVI. v. 1. 2.

Συνιςημι δε ὑμιν Φοιβην την ἀδελφην ἡμων, ὑσαν διακονον της ἐκκλησιας της ἐν Κεγχρεαις. Ἱνα ἀυτην προσδεξησθε ἐν Κυριω ἀξιως των ἁγιων, καὶ παραςητε ἀυτη ἐν ᾧ ἀν ὑμων χρηζη πραγματι. καὶ γαρ ἀυτη προςατις πολλων ἐγενηθη καὶ ἀυτȣ ἐμȣ. Commendat fidelibus Romæ habitantibus Phœben, vult ut ei omnem humanitatem, benevolentiam, promptumque affectum exhibeant, & ut eos magis moveret & ſtimularet, per illam hanc Corinthi ſcriptam mittit Epiſtolam, illamque ſororem vocat, more priſcis Chriſtianis communiſſimo. Chriſtus doctor & magiſter optimus diſcipulis ſuis inculcaverat, ut vero amore ſe in vicem complecterentur, Joh. 15: 12. hinc natus fratrum atque ſororum titulus, quo non tantum mutuum declarabant affectum, ſed etiam eandem mentem, cordisque profeſſionem, eandem ſpem & futuræ gloriæ expectationem, inde etiam natum gentilium de mutuo Chriſtianorum amore proverbium; *Videte quanto amore Chriſtiani ſe invicem complectantur. Tertullian. Apologetic. c. 39.* Rationem hujus denominationis etiam ſæpius habemus apud

apud Patres, eandem se matrem terram, in quam redituri essent omnes, Patrem eundem cœlestem, ad æternæ beatitatis fruitionem illos evocantem cum haberent, merito inde nomen fratrum & sororum inter illos usurpandum esse existimabant, hinc etiam nata apud gentiles opinio, Christianos tesseras quasdam inter se habere occultas, quibus datis & cognitis tanto statim amore incenderentur, ut se omnes inde fratrum atque sororum loco haberent. Phœbæ nomen familiare fuerat quondam, occurrit Phœbæ cum marito Epidecto, filio suo monumentum statuens apud *Gruterum in Thesaur. Inscription. p. 521. 8.* Hæc autem Phœbæ *diaconissa* audit, hinc paucissima tantum de munere & officio Diaconissarum dicenda erunt. Diaconissæ antiquo tempore Διακονας & Πρεσβυτιδες, in Ecclesia vero Latina *Diaconissæ, viduæ & ministræ* dictæ. Eligebantur communiter ex viduis uni tantum viro nuptis, non ante annum ætatis quadragesimum; Virgines vero Diaconissas fuisse exempla afferri possunt, erat autem res extraordinaria. Lex etiam erat, ut vidua eligeretur, quæ liberos habuisset. Illarum officium erat 1. Baptismo fœminarum adsistere, hoc est ministro fœminam baptizandam adducere, cum decori regulæ requirerent, ut mulier vel virgo adultæ ætatis aqua immergenda, a Diaconissa prius vestibus exuatur & baptismum administranti ita tradatur, ut omnis honesti regulæ observentur. 2. Catechumenas privatim instituere, illasque post institutionem Episcopo adducere. 3. Fœminas ægrotas & afflictas in toto cœtu visitare & iis ministrare, 4. Martyribus & nominis Christi confessoribus in vinculis & custodia constitutis opem ferre, cum facilius aditus ad homines captivos mulieribus quam viris concederetur. 5. Ad introitum januæ templi, ubi fœminæ introibant ingredientes observare, & animadvertere, ut omnia ordine & ea qua convenit mode-

modeſtia agerentur; atque hæc ſunt palmaria Diaconiſſarum priſcæ Eccleſiæ officia, de quibus, qui plura petit, adeat *Lud. Anton. Muratorium in Anecdot. Græc. pag. 49.* ut & *Joſ. Binghami Origin. Eccleſ. Tom. I. p. 328.*

Fuerat autem hæc Phœbæ Diaconiſſa Eccleſiæ Cenchreenſis, quam Paulus Corinthi habitans plantaverat; Erat oppidum prope Corinthum, cui nomen Cenchreæ, ibi celebris portus Corinthi, ad Sinum Saronicum; licet vero Corinthus in Iſthmo eſſet ſita, mare tamen non attingebat, ſed gaudebat opportunitate, ut geminum portum haberet, mare verſus Jonicum & Sinum Corinthiacum portum Lechæum, ex altera parte Cenchreenſem, longius ab urbe quam Lechæus diſſitum. Hujus oppidi etiam facit mentionem Lucas Actor. 18: 18. Plura de hac urbe *Cellar. Geograph. antiq. Lib. 2. c. 13. p. m. 1174.* Huic Diaconiſſæ teſtimonium perhibet magnificum, quod fuerit προστατις πολλων; *Beza* verrit, *hoſpitium præbuit*, melius *Eraſ. Schmidius* vertit *curam habuit multorum*, optime autem *Elſnerus in Obſerv. ad h. l.* hoc epitheton per *Patronam* reddens; probat id Vir Clariſſ. variis locis, quæ exſcribere jam nolo, hoc autem ſatis conſtat, quod προστατης ſit Patronus vel Præſes cujuscunque conventus, hinc Judex dicitur *Polluci* ὁ τȣ δικαιȣ προστατης *Onomaſt. Lib. 8. Sect. 8. p. 855.* inde ἡγεμονια, προστασια, δεσποτεια & δυναστεια vocabula ſunt, eundem propemodum ſenſum exhibentia, *Pollux Lib. cit. Sect. 84. p. m. 905.* Tantum ergo valet hæc vox ac noſtrum Germanicum Gönnerin, & Gallorum *Patrone* vel *Protectrice*, ut notavit ad h. l. *L'Enfant & Beauſaubre*, in notis Gallicis ad Novum Teſtamentum.

III. JA-

* *

III.

*JACOBI LAUFFERI DISSERTATIO HISTORICO THEOLOGICA, DE HOSTIUM SPOLIIS DEO SACRATIS ET SACRANDIS.

Ut ignorantia omnium errorum mater, ita etiam superstitionis largissimus fons est. Miseræ hominum mentes superstitione semper laborarunt, nunquam tamen magis, quam cum crassa ignorantia rationis lumen extinxit, ipsæque mentes spissis tenebris implicatæ degebant. Evolvantur antiqua rerum monumenta, veritatem hujus sententiæ facile comprobabunt. Rudis scilicet & bonarum artium expers homo facillimè se fraudi paratum sistit; in rerum causas nunquam inquirit; quid verum, quid

* Est hæc illa Dissertatio, quam ὁ πάνυ LAUFFERUS anno 1717. publicæ Luci exposuit, & pro consequendo Ministerio S. sub præsidio Eximii Theologi J. ROD. RODOLPHI adversus personatos Literaturæ & elegantioris Doctrinæ hostes publice defendit: Dignam judicavimus, ut omnia sunt, quæ ab acri & limato doctissimi Viri ingenio profecta sunt, quam ab oblivione & interitu assertam hic denuo typis exscriptam publicaremus. P. B.

quid falsum, ignorat; naruralia à supernaturalibus distinguere nescius proprio judicio nunquam stat, alieno semper utitur; & quia rerum causas nescit, metuit, quæ minime metuenda, & vicissim spem haurit, ubi nullus locus spei. Ita à quovis vento facile circumagitur, astutusque, ingenio & eloquentia pollens homo, qui aliorum errores in lucrum suum vertit, illorumque credulitate abutitur, sine ullo labore huic imperito, quæ vult, persuadet; metu inani sæpius illum terret; sæpius etiam spe vana lactat; ducit cæcum quo vult.

Nondum litteræ fuerant inventæ, infinitæ fabulæ jam tum erant. Tristis ignorantia toti incubuit orbi; exoptatum superstitioni tempus, quo miseris mortalibus ingenii vires nunquam tentantibus persuasit, quæ voluit. Nondum Pythagoras suos numeros invenerat; Leucippus & Democritus suas atomos; illarum inclinationem Epicurus; nondum Thales principium omnium rerum aquam dixerat; Plato mentem; nondum Anaxagoras suas hoëmerias excogitaverat, & veram Eclipsium rationem tradiderat; nondum de vita recte instituenda disseruerat Socrates; nondum Demosthenes eloquentiæ vi Athenienses flexerat, quo voluit; nondum sublimis Sophocles, & divinis in horrida caverna compositis Tragœdiis Euripides, spectatores variis turbarant affectibus; nondum Pyrrho, Arcesilas & Carneades dubitationem in Philosophiam invexerant, cum jam triceps Cerberus latratu suo horribili tristes umbras terreret; cum furiarum angues rigentes sibilarent; cum miser Tantalus in medio aquarum sitiret; cum jam severissimus Rhadamantes & incorruptibilis Minos inferis jus dicerent. Hæc omnia ante literas fuerunt inventa: nullis literis, nec bonis artibus ullis imbutæ hactenus mentes hominum, jam infinitis captæ erant superstitionibus.

Jam

Jam tum relligio pavidos terrebat agrestes. (*a*)
Invalescente deinde literarum amore horum pleraque in fumum abierunt, ad meticulosas anus, pueriles animos rejecta fuerunt & ad imperitum & indoctum vulgus.

Falsarum religionum nulla est, quæ non tenebricosis seculis orta, & per ignorantiam stabilita auctaque sit. Romanis scilicet olim pastoribus, indoctis & feris, nihil est, quod persuaderi non potuerit, ac dici vix potest, quanta animi levitate pro veris quidvis acceperint. Jactat nempe Romuli mater, quia culpæ causa honestior Deus erat, ut Livius inquit, se à Marte compressam Romulum & Remum peperisse: statim fidem invenit. Affirmat Faustulus pastor gemellos hos expositos à lupa fuisse nutritos: creditur. Narrant postea Patres, occisum ab ipsis Romulum, vi tempestatis & maximo turbine in cœlum fuisse raptum: cum applausu audiuntur. Prodit in concionem Julius Proculus, Romulumque sibi apparuisse nuntiat. *Mirum,* inquit Livius, (*b*) *quantum illi viro nuntianti hæc fides fuerit: quamque desiderium Romuli apud plebem exercitumque, facta fide immortalitatis, lenitum sit.*

His tam leviter creditis, jam audentior factus, qui religionem & pietatem præ se ferens, dominandi libidinem astute tegebat Numa Pompilius; & jam de facilitate credentium securus, majora aggreditur. Asperis enim illis & feris animis frænum injiciendum ratus, Deorum metus ingerit; superstitionibus duros homines terret; secreta colloquia non tantum, sed & connubium cum Dea Ægeria comminiscitur; & qua facilitate illis de hac Dea sua figmentum, eadem reliqua omnia persuasit: nempe & ignem æternum, & Palladium & cœlestia arma Ancilia, impe-

(*a*) Virg. Æneid. lib. 1. (*b*) Lib. 1.

rii arcana, & dies fastos nefastosque, & ceremonias omnes Deorum, & sacrificia & locos sacris faciendis, & sacerdotes, & justa funebria; & prodigiorum interpretamenta & infinita alia. His figmentis splendida Romanorum religio ortum debet: quæ postea dictis convellere, summum fuit nefas, summa blasphemia. Ita qua animi levitate ignorantiaque primum suscepta, etiam deinde propagata fuerunt.

Quin etiam veneranda & celeberrima Herruscorum disciplina, quæ non semel summam imperii Romani Majestatem, fascesque ejus ante pedes suos projectos vidit, inter rusticos nata est. Pudendus ejus ortus, in credulitatis humanæ opprobrium adduci posset, si instituti nostri ratio id pateretur. Videatur Cicero. (c.) Auguria non minus ruricolis ortum debere, satis verosimile est. Idem dicendum de superstitionibus Ethnicorum omnibus.

De Muhamedanorum religione, idem rursus affirmari potest. Illam enim seculo ad Barbariem vergente in Arabiæ desertis, inter prædones ortam, constat: & unde originem, indidem etiam incrementum habet; ab ignorantia cœpit; ab ignorantia robur sumit. Callidus enim impostor palantibus, vitamque raptô tolerantibus, agrestibus, nullis bonis literis imbutis, quæ voluit, facile persuasit; sentiensque quantum rebus suis momentum afferat ignorantia, literas in perpetuum exulare jussit; vetuit de religione unquam disputare. Hoc rationi veritatique obice semel positô, per tot jam sæcula felix stat falsa ejus religio.

Una religio Christiana præ cæteris omnibus gloriari potest, se florentibus literis natam, stabilitam, restauratam esse. Tempore enim quo victores Romani totum orbem habebant, quo literæ, subactâ Græciâ, Romam fuerunt apportatæ; quo amore & ingen-

(c.) De Divin. Lib. 2.

ingenti eruditionis desiderió fuerunt accensi ; quo urbanitate ac humanitate mentes limârunt agrestes ; quo victricia arma per Asiam & totum circumferentes orbem, populorum humaniorum commercio fuerunt politi, Philosophiæque, Oratoriæ, &c. studium vigebat maxime, prædicata est Sancta nostra religio, & cooperante Spiritu S. summo cum applausu recepta, incredibilique propagata successu.

Duravit religionis splendor, quamdiu literarum duravit amor : Cedente illo ignaviæ, cessit etiam errori veritas. Quo magis invalescebat ignorantia, eo magis etiam in animos hominum descendit dira superstitio ; atque in immensum aucta, cum socia Barbarie rem tandem eo perduxit, ut miserum orbem spissis merserit tenebris, testes Dei fideles in saccis Prophetare coëgerit, ablatô candelabrô furem in domum Dei introduxerit ; qui religion's faciem fœdè deformavit, sacrilegô impetu in jus Dei involavit, miseroque modo turbavit omnia. Renascente deinde literarum amore, & ex Græcia postliminio reducto rursus, tenebris pulsis, nitere cœpit religionis puritas. Ut *igitur Barbaries superstitioque individuo nexu hærent, ita amicô vinculô junguntur semper literarum amor sanaque religio.* Idque haud abs re, nec enim lux contraria est luci, nec veritati veritas. Vera nostra religio non ignorantiæ tenebras cum superstitione quærit, sed aperta mentis luce gaudet.

Κλεπτῶν γάρ ἡ νύξ, τῆς δ᾽ἀληθείας τὸ φῶς. (*d.*)
Nox enim furum, veritatis vero lux est.

Etsi hæc manifesta satis sint, multi tamen etiam ex nostris, bona quidem intentione alii, alii ignorantiæ invidiam miscentes, desidiæque præsidium quærentes, Philosophiæ, Oratoriæ, operam dare, elegan-

(*d.*) Eurip. Iphigeniæ in Tauris Orestes.

elegantiori literatura mentem limare, Christiano indignum esse, magnum ex studiis humanioribus periculum religioni imminere; sua exteris relinquenda, nec profana Sacris jungenda, exotica omnia ne legenda quidem, multo minus in Sanctuarium inferenda, continuo fremunt, in literas, quæ in tam clara luce nos posuerunt, ingrati; injurii in religionem quantum fieri potest maxume.

Ego, quæ singula καιροῖς ἰδίοις peragit, divinâ providentiâ rerumque eventu edoctus, secutus autoritatem magni Pauli, Patrum primitivæ Ecclesiæ, beatorumque Reformatorum, existimo, tantum abesse, ut studia exotica religioni noceant, ut potius valide illam confirment, eique ornamento sint maximo: tantumque abesse, ut sint negligenda, ut potius ex illis, quæcunque ad illustrandam S. Scripturam, ad usum Ecclesiæ ejusque ædificationem facere possunt, sint adducenda. Idque occasione argumenti, *De Spoliis exteris ab Israëlitis ereptis Deoque dicatis*, mihi præscripti, demonstrare laboro. Habebit ergo præsens Dissertatio duas Partes: Altera considerandа nobis dabit, per summa tantum capita, quæ Israelitæ ex hostium spoliis Deo sacrarint: Altera, quæ nobis ex spoliis exterorum Deo dicare liceat, ostendet. Adsit cœptis nostris summum Numen.

PARS I.

Quodcunque hosti detrahitur Spolii nomine venit. Hebr. שלל significat Spoliare, denudare, hinc שולל nuditas מוליך יעצים שולל *ducens consiliarios denudatos, sive sine consilio*, Job. 12: 17. Distinguebant Latini inter *Spolia* & *Manubias*. Spolia erant, quibuscunque hostem privavit hostis; hinc *vitâ*, *libertate*, *bonis spoliare*: Manubiæ vero argentum ex venditis spoliis redactum, quod vel in ærarium tulerunt, vel ad tem-

templa, Diis ante prælia, aut in ipſa acie vota, extruenda, vel in dona illis portanda, vel ad arcus triumphales erigendos, &c. impenderunt. Habebant etiam Romani *opima* ſua *ſpolia*, quæ dux detraxit duci, quæque Jovi Feretrio (vel à feriendo, vel potius à donis ipſi latis ſic dicto) ſacrarunt. Ter tantum, ſtante Republica, hoc contigit. (*e.*) Prima opima ſpolia Romulus, cæſo manibus ſuis Rege Cininenſium, Jovi Feretrio tulit. (*f.*) Trecentis poſtea annis, Cor. Coſſus, Tribunus militum, de Rege Vejentum Larte Tolumnio ſacravit ſpolia opima Jovi. Tertia Cl. Marcellus de Britomaro Gallorum Rege dicavit. Eum, inquit, Plutarchus (*g*), ante prælium προσεύξεσθαι τῷ Φερετρίῳ Διὶ κάλλιστα τῶν παρὰ τοῖς πολεμίοις ὅπλων καθιερώσειν, *voviſſe, pulcherrima inimicorum arma Jovi Feretrio ſacrare.* Eundem deinde, viſo Britomaro Gallorum Rege, fulgentibus ſuperbiente armis, equum ſtatim in illum convertiſſe, occiſum exuiſſe armis, manuſque cum ſpoliis cœlum verſus tendentem Jovem Feretrium ita allocutum eſſe: Μαρτύρομαί σε Ῥωμαίων τρίτος ἄρχων ἄρχοντα καὶ βασιλέα στρατηγὸς ἰδίᾳ χειρὶ τὸν δὲ τὸν ἄνδρα κατεργασάμενος καὶ κτείνας σοι καθιερῶν τὰ πρῶτα καὶ κάλλιστα τῶν λαφύρων. *Teſtor te, quod ex Romanit Imperatoribus tertius ducem & Regem dux, propria manu tollens atque occidens, tibi conſecrem Spoliorum prima atque pulcherrima.* Hæc ſpolia maxima pompa deinde Templo Jovis Feretrii illata.

Diſtinctionem etiam faciebant Græci inter λάφυρα & σκῦλα annotante Grotio. (*h.*) Illa erant publica, quæ populo vel ſummo imperanti cedebant, quæque poſt certamen erant detracta; hæc vero erant ſingulorum, quæ durante certamine eripiuntur hoſti. Ex illorum numero erant, quæ Alexander Perſis detraxit, quibusque honeſtiſſimam inſcribere juſſit inſcriptio-

(*e.*) Liv. Lib. 1. (*f.*) Idem. Lib. 4. (*g.*) In Vita Marcelli. (*h.*) De Jur. P. & B. Lib. 3. cap. 6. 24. 4.

tionem (*i.*) Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου καὶ οἱ Ἕλληνες πλὴν Λακεδαιμονίων ἀπὸ τῶν βαρβάρων τῶν τὴν Ἀσίαν κατοικούντων. *Alexander Philippi, Graecique, exceptis Lacedemoniis ab Asiam inhabitantibus Barbaris.*

Hostes spoliare jure gentium omnium licet (*k.*): Νόμος ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιός ἐστιν, ὅταν πολεμούντων πόλις ἁλῷ τῶν ἑλόντων εἶναι χρήματα. *Æterna lex est inter omnes, hostium urbs cum capitur, capientium esse res.* Cum enim extrema mihi intentet hostis, extrema etiam inferre licet; hinc Anus apud Euripidem. (*l.*)

. . . ὅταν τις πολεμίους δρᾶσαι κακῶς
θέλῃ τις, οὐδεὶς ἐμποδὼν κεῖται νόμος

Quando quis hostes male mulctare vult, nulla lex impedimento est. Cui majus licet, ipsi licet etiam minus. Hostem vita privare possum jure, quidni spoliare ipsum etiam possem omnibus, quae prae vita vilia sunt. Caesar apud Lucanum ita milites suos alloquitur (*m*)

- - - *arma tenenti*
Omnia dat, qui justa negat - -

Hinc etiam Deus jus praedae non improbat, sed Israëlitis urbem pacem repudiantem, expugnatam deinde, diripiendam dat. (*n.*) *Mulieres tantum & infantes & pecus omne, quod in illa civitate erit, omne spolium diripies tibi, & edes praedam inimicorum tuorum, quam dederit tibi Jehovah Deus tuus.*

Solicite jam inquirere nolumus, cui spolia acquirantur, an singulis capientibus, an vero populo, vel summo imperanti. Distinctionem facit Clariss. Grotius (*o*) inter illa, quae in publico ministerio aperta acie, sub Imperatoris ductu hosti detrahuntur, & inter

(*i.*) Plut. in Vita Alex. (*k.*) Xenoph. Lib. 5. de Instit. Cyr. (*l.*) Trag. Jon. (*m.*) Lib. 1. (*n.*) Deut. 20: 14. (*o.*) De Jur. P. & B. Lib. 3. c. 6.

inter illa, quæ quis durante bello, non in procinctu ſtans, palanti ex. gr. hoſti eripit; Illa populi eſſe, hæc ſingulorum capientium. Sed hanc diſtinctionem noſtram non facimus.

Nec enumerare volumus, in quos diverſos uſus ſpolia ceſſerint; variantibus circumſtantiis & legibus, variabant etiam hi uſus. Sæpius integra in ærarium fuerunt redacta, ut videre eſt paſſim apud Livium. Sæpius diripienda tradita militibus, Captis Vejis rapiebant omnia milites, nihil in ærarium à Camillo redactum præter argentum ex captivis. Nonnunquam militibus diſtributa, idque vel ſecundum merita, vel ſecundum ſtipendia. Aliquando pars data iis, qui ſarcinarum cuſtodiam habuerunt, quod fecit David 1. Sam. 30. quodque poſtea in morem tranſit. Aliquando dimidiam prædam accipiebant, qui in expeditione fuerunt, dimidiam univerſus populus. Talis partitio fuit ſpoliorum Midianiticorum Num. 31. Sæpius ſociis pars data. ex. gr. (p.) Ætolis in bello ſocio cum Romanis contra Philippum urbes & agri, Romanis autem captivi & res mobiles cedebant. Nonnunquam etiam viduis, pupillis ſenibusque 2. Macch. 8: 28. 30. Sæpius etiam pars prædæ illi, quem honorare voluit victor, miſſa; Id fecit David ex præda Amalekitarum Senioribus Judæ partem mittens, dicendo הנה לכם ברכה משלל איבי יהוה (q.) *Ecce vobis benedictionem ex præda hoſtium* Jehovæ. Idem fecit Alexander M. victis ad Granicum Darii ducibus. (r.) *ἴδια μὲν τοῖς Ἀθηναίοις ἔπεμψεν τῶν αἰχμαλώτων τριακοσίας ἀσπίδας; nam miſit Athenienſibus in proprium trecentos captivorum clypeos.* Sæpius etiam ſpoliorum pars Deo ſacrata, & hoc eſt, quod accuratius nobis conſiderandum, figentibus tamen in tranſitu pauliſper pedem.

(p.) Liv. Lib. 28. (q.) 1. Sam. 30: 26. (r.) Plut. in Vita Alex.

Eminentiam Dei infinitam quotus quisque con,ſiderat, quæ à miſeris mortalibus ſacrati ipſi ſolent, nimium humana imbecillaque inveniet eſſe omnia. Plerique enim, præcipue qui revelationem ducem non habent, ad immenſum illud intervallum, quo Creator creaturaque diſtant, animum non advertentes, illum ex ſe ipſis judicant. Quo ab affectibus ſuis abripiuntur, eodem Numen abripi ſibi imaginantur: falſiſſime. Transferunt in Deum neceſſitudines ſuas, curas, voluptates, omnia; illumque modo, quo ipſi coli vellent, colunt. En veſanas illorum cogitationes. Donis apud mortales omnia pervia vident; hinc donis & ipſos Divos flecti poſſe autumant. Quid abſurdius? Et famam, & fidem, & virtutem, & omnia ſpernunt homines præ divitiis; propterea nec Deos easdem aſpernari putant: nihil inſulſius. Ut pectus gaudio ſuffuſum haberent! ut exultarent! ut ſerenâ fronte acciperent! ſi quis fulmen, pateram, coronas aureas dono illis ferret. Ut pacatos ſe redderent etiam inimiciſſimis, ſi tam ponderoſa reconciliatio adhiberetur! Non minus ergo Numen ſimilibus donis ſibi devincire, iratumque placari poſſe ſperant. Quæ dementia? Non cogitant, nihil niſi luxuriam cum ſocia vanitate divitias deſiderabiles facere, & ne ſapientem quidem hominem, naturam intra juſtos ſuos limites arctantem, illis obnoxium ſe dare, multo minus Deum immortalem, nullius rei indigentem, illis moveri poſſe.

Dicite Pontifices in Sancto quid facit aurum. (*s.*)
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine pupæ

Paciſcuntur homines inter ſe, cum Numine non minus paciſci volunt ſtulti, *des ut dem*, dicunt. Nihil gratis faciunt, ita dii (*t.*) ὐδὲν ὧς ἔτυχεν ἀμισθὶ ποιοῦσιν, ὧν ποιοῦσιν. Ἀλλὰ πωλοῦσι τοῖς ἀνθρώποις τ' ἀγαθά, καὶ ἔνεστι πρία-

(*s.*) Perſ. Sat. 2. (*t.*) Lucian. περὶ θυσιῶν.

πρίασθαι παρ᾽ αὐτῶν, τὸν μὲν ὑγιαίνειν εἰ τύχοι βοιδίου, τὸν δὲ πλουτεῖν βοῶν τεττάρων, τὸν δὲ βασιλεύειν ἑκατόμβης. Τὸν δὲ σῶον ἐπανελθεῖν ἐξ Ἰλίου ἐς πύλον ταύρων ἐννέα. Καὶ τὸν ἐκ τῆς Αὐλίδος ἐς Ἴλιον διαπλεῦσαι παρθένου βασιλικῆς. *Nibil ut videtur, horum quæ faciunt, ſine mercede faciunt, ſed vendunt hominibus bona: licetque ab ipſis emere ſanitate frui ſi contingit bucula: divitem evadere, bubus quatuor: Regnare, hecatombe: Salvum verò ex Ilio in Pylum redire, tauris novem: & ex Aulide in Ilium trajicere Virgine regia.*

O curvæ in terras animæ & cœleſtium inanes
Quid juvat hoc: Templis noſtros immittere mores,
Et bona diis ex hac ſcelerata ducere pulpa. (*u.*)

Hinc etiam Deus O. M. manifeſtæ puerilitatis omnes damnat, qui ſacrificiorum oblatione donisque externis illum moveri poſſe exiſtimarunt Pſalm. 50. Eſaj. 1. &c.

Interim tamen etiam, quæ ex bonis noſtris caducis ipſi ſacrantur, modo id fiat animô, quô fieri debet, non rejicit. Non lapides pretioſos, non aurum, non argentum, non boves, non agnos reſpuit: Quæ ex propria ſubſtantia, imò etiam, quæ & aliena ſunt, ex ſpoliis hoſtium ſuorum & Eccleſiæ, quæ ſumma ejus eſt condeſcendentia, non faſtidit. Scilicet cum homine humano more agit; accipit, quæ dare poteſt, cum meliora non poſſit. Non tamen dona reſpicit, ut jam dictum, ſed donantis animum. Iſraëlitarum, qui tam pronô animô contulerunt aurum, argentum, reliquaque omnia ad Tabernaculi ſtructuram, fidem gratam habuit, non materiam. Lætantem Davidis animum, quod dignus habitus ſit, qui tot auri argentique, ex hoſtium ſpoliis, talenta, ad Templum, Chriſti typum, extruendum conferat, reſpexit, non auri argentique pondus. (*x.*) Πίστει πλείο-

(*u.*) Perſ. Sat. 2. (*x.*) Hebr. 11:4.

να θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάιν προσήνεγκε τῷ Θεῷ, Pro fidei magnitudine valebant dona, non pro rei pretio. Hinc fideles, quærentes, quid Deo dignum offerant, tale responsum tulerunt: (*y.*) *Indicavit tibi, ô homo, quid bonum; & quid Jehovah requirat à te, scilicet, judicium facere, diligere gratiam, humiliterque ambulare cum Deo tuo.* Senserunt id etiam Gentilium Sapientiores, etsi lumine naturæ tantum ducti. (*z.*) Ἡγῦ δὲ τῦτο εἶναι θῦμα κάλλιςον καὶ θεραπείαν μεγίςην, ἐὰν ὡς βέλτιςον καὶ δικαιότατον σεαυτὸν παρέχῃς. Μᾶλλον γὰρ ἐλπὶς τῦς τοιῦτυς, ἢ τῦς ἱερεῖα πολλὰ καταβάλλοντας πράξειν τι παρὰ τῶν θεῶν ἀγαθόν. *Hoc enim sacrificium pulcherrimum cultumque maximum esse puta, cum quam optimum justissimumque te ipsum exhibes: Major enim spes est horum, quam illorum qui multa sacrificia offerunt, vota à diis exauditum iri.* Idem dicit Seneca: (*a.*) *Non est ergo beneficium ipsum, quod numeratur & traditur, sicut nec in victimis quidem, licet opimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum est honos, sed piâ ac rectâ voluntate venerantium.* Ita etiam Israëlitæ, quoties, profligatis hostibus, præsentissimum Numinis auxilium experti, lætantes in propugnaculo suo, in arce, in turri sua validissima, prædaque onusti domum redierunt Deoque spoliorum partem cum fide gratoque animo sacrarunt, gratum id haud dubie habuit Jehovah Zebaoth.

Redeat jam nostra, unde digressa est, oratio. Quæ ex hostium Spoliis Deo dicabantur, fuerunt homines captivi, armenta & greges, quæ Græci λείαν, cum proprie loquuntur, vocant, res immobiles & mobiles. (*b.*) Abrahamus ex præda, quam Kederlaomero sociisque ejus eripuit, decimam Sacerdoti Dei altissimi Melchisedeco dedit. Idem fecit Camillus ex spoliis Vejorum decimam partem Apollini vovens. (*c.*) *Cumque Tribuni militum aurum non invenirent, matronæ Roma-*

(*y.*) Mich. 6: 8. (*z.*) Isocrat. ad Nicocl. (*a.*) Lib. 1. cap. 6. de Benef. (*b.*) Gen. 14: 20. (*c.*) Livius Lib. 5.

Romanæ communi decreto pollicitæ Tribunis militum aurum, omnia ornamenta ſua in ærarium detulerunt . . . Pondere ab ſingulis auri acceptô, æſtimatoque, ut pecunia ſolverentur, crateram auream fieri placuit, quæ donum Apollini Delphos portaretur. (*d.*) Ita Cartalo Malei ducis filius à Carthaginenſibus miſſus, qui decimas Herculi Tyrio ex præda Sicilienſi, quam pater ejus ceperat, ferret.

Ex Midianiticorum ſpoliorum parte, quæ duodecim illis, qui expeditionem fecerant, millibus ceſſerat, quingenteſimam ſibi vindicavit Deus, quæ ovium 675. boum 72. aſinorum 61. hominum 32. ſummam confecit. Ex altera parte, quæ univerſo ceſſit populo; quinquageſimam Levitis miniſtris ſuis partem dari voluit. Præter hæc Tribuni militum Centurionesque, quæ hoſtibus detraxerunt, monilia, ornamenta, vaſa aurea ſanctuario intulerunt, in perpetuum victoriæ gratitudinisque ſuæ erga Deum, quod nemo ex illis in acie ceciderit, monumentum. Pondus auri hujus 16750. ſiclorum fuit. Ita etiam Græci ἀριστεῖα ſua diis dicarunt in vanitatis ſæpius quam pietatis gratitudinisve documentum. Ejusmodi fuit tripos aureus à Pauſania poſt pugnam apud Platæas Apollini ſacratus cum hoc Epigrammate.

Ελλήνων ἀρχηγὸς ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων
Παυσανίας Φοίβῳ μνῆμ᾽ ἀνέθηκε τόδε

Græcorum Dux Pauſanias, quod Medorum deleverit exercitum, Phœbo monumentum hoc poſuit. (*e.*) Superbam hanc inſcriptionem exſculpſerunt Lacedæmonii, neque aliud ſcripſerunt, quam nomina earum civitatum, quarum auxiliô Perſæ erant victi. Ita etiam Athenienſes Delphis poſuerunt (*f.*) Παλλάδιον χρυσοῦν ἐπὶ φοίνικος χαλκοῦ . . . ἀνάθημα τῆς πόλεως ἀπὸ τῶν Μήδων.

(*d.*) Juſtin. Lib. 18. c. 7. (*e.*) Corn. Nep. Pauſ. c. 1. (*f.*) Plut. in Nicia.

Μηδικῶν ἀριςείων. *Palladium aureum ſuper palmam æneam, donum civitatis ex Medorum ſpoliis.*

Moris fuit fere apud omnes gentes deviċtorum hoſtium arma Numini ſacrare in Templisque ſuſpendere. Gladius Goliathi veſtimento involutus in ſanċtuario poſitus fuit; (*h.*) haud dubie in perpetuum monumentum tam inſignis certaminis auxiliique divini. Sic etiam Philiſtæi poſt infelicem Iſraëlitarum cladem arma Saulis poſuerunt in domo idoli ſui Aſtarot. Ad hunc morem reſpexit Virgilius (*i*)

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma:
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum; & portarum ingentia clauſtra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque roſtra carinis.

Ad eundem morem alluſit forſan divinus Canticorum Scriptor Cant. 4: 4. *Ut turris Davidis collum tuum ædificata in molem pinnarum. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Lucanus (*k*), ubi Scævam fortiſſimum alloquitur occiſum.

Non tu bellorum Spoliis ornare Tonantis
Templa potes

Hinc Romani poſt Cannenſem cladem ad ſocios Latinumque nomen ad milites ex formula accipiendos mittunt, arma, tela, alia parari jubent; (*l.*) *Et vetera hoſtium ſpolia detrahunt templis porticibusque.* De ſpoliis opimis jam ſuprà diximus. Idem obtinuit apud Græcos. (*m.*) Argis in Templo Cereris Pyrrhi Epirotarum Regis ſcutum, qui in Argorum expugnatione tegula caput iċtus periit, affixum cernebatur.

Sic

(*g.*) 1. Sam. 21: 10. (*h.*) 1. Sam. 31: 10. (*i.*) Æneid. Lib. 7. (*k.*) Lib. 6. (*l.*) Liv. Lib. 22. (*m.*) Pauſan. in Corinth.

Sic in Templo Junonis prope Mycenas positum est illud scutum, quod Euphorbo Menelaus in bello Trojano eripuit. (*n.*) Insignem adhuc locum ex Plutarcho adduxisse juvabit, quo Græcorum hac in re consuetudo manifesta satis fiet. (*o.*) *Simulque cum fama victoria Timoleon Corinthum misit captorum armorum pulcherrima; patriam suam hominibus, qni spectarent, omnibus desiderabilem esse volens*, ἐν ἐκείνῃ μόνῃ τῶν ἑλληνικῶν πόλεων τὰς ἐπιφανεστάτας ναὰς, ἀκ ἑλληνικοῖς κεκοσμημένας λαφύροις. In Græcarum urbium una illa celeberrima Templa *non Græcis exornata spoliis, neque à cognatorum cæde & contribulium donis recordationem ingratam habentia, sed barbaricis spoliis, pulcherrimis Inscriptionibus significantibus cum fortitudine etiam victorum justitiam: Quod Corinthii & Timoleon Imperator, Græcos Siciliam habitantes cum liberarent, à Carthaginensibus gratitudinis dona diis posuerint.*

Universa aliquando præda Deo cessit: factum id fuit in expugnatione Jerichuntis; devovit enim Josua infelicem civitatem Jehovæ his verbis (*p.*) והיתה העיר חרם היא וכל אשר בה ליהוה *Et sit civitas hæc devota, & omne quod in illa Jehovæ.* חרם sive ἀνάθεμα, vel Deo penitus sanctificabatur, vel destruebatur ut abominabile quid; utrumque locum habuit in destructione Jerichuntis; opes omnes Deo sanctificabantur, illatæque sunt in thesaurum Jehovæ נתנו אוצר בית יהוה *dederunt in thesaurum domus Jehovæ.* (*q*) Internecioni contra dabatur quodcunque spiritum habebat. Sic Israëlitæ contra Regem Arad votum nuncuparunt: si dabis populum hunc in manum meam, devovebo civitates ejus. Num. 21. Homo devotus redimi non poterat, sed morte mulctandus erat secundum legem Lev. 27: 29. Idem rursus obtinuit apud exteras gentes. Hermunduri Cattorum aciem Marti

&

(*n.*) Idem Ibid. (*o.*) Plutarch. in vita Timoleon.
(*p.*) Jos. 6: 17. (*q.*) v. 14.

& Mercurio sacravere quô votô equi, viri, omnia hostium occidioni dantur. Cremabantur arma, diis ab Imperatoribus devota. (r.) Ita P. Æmilius peractô bellô Macedonicô *clypeis æreis in naves impositis cætera omnis generis arma cumulata in ingentem acervum precatus Martem, Minervam Lucinamque matrem & cæteros Deos, quibus spolia hostium dicare jus fasque est, ipse imperator face subdita succendit.* (s.) Ita olim Tarquinius *spoliis hostium* (*votum id Vulcano erat*) *ingenti cumulo accensis pergit &c.*

Nuncupari quidem potuerunt vota, sed non promiscue & pro cujusvis lubitu. Quibus res cedebant devotæ, Sacerdotum erat pronuntiare, an rite sint peracta. Hinc iterum apud Romanos, Consules priusquam paludati in hostes exirent, vota præeunte Pontifice concipiebant; Formulam nuncupati à Senatu voti præeunte Pontifice Max. nobis suggerit Livius: (t.) SI DUELLUM QUOD CUM ANTIOCHO, &c. Collegium quoque Pontificum de votis cognoscebat. Nec Lex supra allegata eò extendi debet, ut votis sæviri potuerit in innoxium quodvis caput. Devoveri poterant; sed supplicio digni. Non satis securitati publicæ cautum fuisset, si vita ex. gr. filii servique ab absoluto patris & domini, quod sæpius stimulante irâ, aliove affectu in transversum abripitur, arbitrio pependisset. (u.) *Periculosum fuisset in tot humanis erroribus solâ innocentiâ vivere.* Intervenire debuit autoritas publica, antequam quis ritè devoveri potuerit. Hinc temerarium fuit Jephtæ votum. Hebræique nominatam legem de Ecclesiæ hostibus interpretantur, præcipuè de septem illis populis à Deo internecione & totali destructione damnatis.

Durum quidem videtur gentem ab alia gente, quam nunquam lacessivit nec injuria affecit unquam, cujus

(r.) Liv. Lib. 45. (s.) Idem Lib. 1. (t.) Lib. 36.
(u.) Liv. Lib. 1.

cujus contra Majores advenas benigne excepit tolleravitque, sedibus suis pelli : eandem ab altera opibus omnibus spoliari durum : durum integram nationem devoveri letoque promiscue omnes dari ; hinc durissimum miseros infantes parentum ruinæ involvi, fatumque imbecillis senum mulierumque turbæ, quibus victores etiam sævissimis sæpius parcere solent, violentô præcipitari casu, extinguique quodcunque spiritum habet. Haud dubie Israëlitæ non se tuebantur jure naturæ & lege fortioris, quâ se apud Legatos Romanos quærentes, quare Clusium oppugnaret, defendere conatur Brennus : ἀδικοῦσιν ἡμᾶς ἔφη κλουσίνοι, γῆν καὶ χώραν ὀλίγην μὲν γεωργεῖν δυνάμενοι, πολλὴν δὲ κατέχειν ἀξιοῦντες καὶ μὴ μεταδιδόντες ἡμῖν ξένοις οὖσι καὶ πολλοῖς καὶ πένησι; *injuria, inquit, nos afficiunt Clusini, quod terram & regionem exiguam colere cum possint, amplam tamen possidere velint, nec partem dare nobis, qui & peregrini sumus, & multi, & pauperes :* (x) Idem, quod ipse faciat, fecisse Romanos in multas gentes τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν νόμων ἀκολουθοῦντες, ὃς τῷ κρείττονι τὰ τῶν ἡττόνων δίδωσιν, ἀρχόμενος ἀπὸ τοῦ θεοῦ καὶ τελευτῶν εἰς τὰ θηρία. *Antiquissimam legum sequentes, quæ potiori det, quæ sunt infirmiorum, incipiens à Deo exiensque in bestias.* Sed expresso Dei mandatô tueri se potuerunt. Exscindere gentes has funditus jussit justissimus judex, illorum erat, mandata ejus exequi. Deus est Dominus totius terræ, dat regiones, dat regna, cui vult : auferre voluit terram Canaan his populis ; juste id potuit. Dominus supremus est opum, quas quivis possidet ; mea sunt, quæ possideo, quamdiu summus hic rerum arbiter mea esse vult ; sed simul ac alterius esse vult, nihil juris in illa habeo amplius. Exscindere illos non jussisset, nisi meruissent exscindi : ad summum enim nequitiæ culmen eos pervenisse, inde patet, quod Deus eos obduravit, ne pacis conditiones acciperent : at neminem

(x.) Plut. in Vita Camil.

nem obdurat, qui non ante se ipse obduravit. Ruinæ parentum involuti sunt miseri infantes: hinc Deus jus suum parentum peccata in liberis puniendi probat. Æternæ mortis rei erant parvuli hi omnes, cur temporali vitâ privari non potuissent. Tandem severissimum simul ac justissimum hoc judicium æternô gentibus omnibus documentô est, longanimitate Numinis abutendum non esse.

Concessit quidem, quod gentes omnes ursurparunt, jus prædæ Israëlitis summus Deus; hostium spolia in usum suum convertere, imò & Deo sacrare poterant, sed non omnia. Memorabilem exceptionem facit Jehova Deut. 7:25. *Sculptilia Deorum illorum comburetis igne: Non concupisces aurum & argentum super illis neque sumes tibi; ne forte illaqueeris in illo, &c.* Nempe Deus, qui cœlum & terram fecit, præter quem alius nullus est, fuit Deus Israëlis: hic peculium suum beare, bonisque omnibus cumulare statuit, in eoque gloriam suam posuit. Fuit אל קנא *Deus Zelotes;* adeo gloriam hanc alteri dare noluit, ut ne quidem ex falsorum Deorum destructione emolumenti quid ad Israëlitas redundare voluerit. Præterea idola fuerunt אלילים *nihil* οὐδὲν ἐστιν ἐν τῷ κόσμῳ, *nihil sunt in mundo* 1. Cor. 8:4. Hinc quia nihil repræsentarunt, aboleri ea jussit penitus. In idololatriam quàm maxime proni fuerunt Israëlitæ: Trophæum Gideonis, bona quidem intentione ex hostium manubiis erectum in decipulam illis cessit; quid non fecissent, si gentilium idola domibus suis inferre licitum fuisset: hinc omnem peccandi occasionem eis eripere voluit optimus pater, destructioneque idolorum significare, nihil unquam boni ab illis expectandum esse. Contrarium fecerunt, qui non Rempublicam religioni, sed religionem Reipublicæ accomodarunt Romani. Hi pro religione nunquam, pro imperio semper decertarunt: & ut victi jugum inviti,

sic

ſic victores religionem devictorum lubentes ſuſceperunt: inimicorum Deos ad ſe evocarunt, ut F. Camillus Vejos obſidens. (y.) *Te Juno Regina*, inquit, *quæ nunc Vejos colis, precor, ut nos victores in noſtram, tuamque mox futuram urbem ſequare: ubi te dignum amplitudine tua templum excipiet.* Capta urbe delecti ex omni exercitu juvenes, pure lotis corporibus candida veſte, ſummâ reverentiâ Junonem Romam deportarunt, ædes in Aventino ipſi extructa, &c. Solemnem evocationis formulam ſi quis velit, adeat Macrob. Saturn. lib. 3. cap. 9. SI. DEUS. SI. DEA. EST, &c. Hæc fuerunt olim imperii arcana: nunquam vetus Roma in tantam excreviſſet magnitudinem, ſi ad ſenſus ſuos victos cogere omnes voluiſſet: nunquam Ægyptii, Armenii, Syri, Græci cervicem ſubmiſiſſent, ſi terribile Inquiſitionis Tribunal jam fuiſſet erectum, ſi contra naturam hominis, vi, ferrô, flammaque illis alios Deos perſuadere voluiſſent Romani: nunquam tantum imperium tam diu ſtare potuiſſet, ſi Ægyptius non ſuam Iſin, Phrygius bonam Matrem, Junonem ſuam Argæus, Mygdonius Rheam, Venerem Paphius, Cretenſis Jovem, populi quivis Deos ſuos patrios Romæ inveniſſent. *Hæc in tranſitu.* Non tamen ſemper Deorum imagines aſportarunt. Fab. Maximus oblatis opibus & divitiis Tarentinorum (z.) τὰ ἀγάλματα μένειν εἴασεν *imagines manere permiſit*; celebratum illud ſubjungens: ἀπολείπομεν γὰρ ἔφη τοὺς θεοὺς τούτους τοῖς ταραντίνοις κεχολομένους, *relinquimus enim, inquit, hos Deos Tarentinis iratos.*

Non tantum idola Cananæorum aboleri, ſed etiam aras deſtrui, ſtatuas confringi, lucos ſuccidi & comburi juſſit Deus Deut. 12: 2. Eo ipſo tamen violentiam in religionis negotio non probavit. Fana & delubra idololatrarum deſtrui juſſit, ſed illorum, qui & ipſi extinguendi erant; ad religionem Iſraëlitarum

(y.) Liv. Lib. 5. (z.) Plut. in Vita Marcell.

profitendam Gentilium cogi juffit neminem; noluit æternum rerum ordinem fubvertere; nunquam enim violentiâ, fuftibus, igne veritas animis hominum ingeri poteft, nec ulla vi humana alicui perfuaderi poteft, verum effe, quod verum effe minime credit. Terram fanctam inhabitare, populum ab idololatriæ labe purgatum habere, hinc cum incolis prioribus veftigia fuperftitionum omnia deleri voluit.

Spolia hoftibus detracta luftrari debuerunt fecundum expreffum Dei mandatum Num. 31. v. 21. &c. Varias veterum luftrationes per ignem, fulphur, aquam, exponere jam non vacat. Dicemus tantum, quomodo fpolia fuerint purificanda. Nempe, quæ ignem pati potuerunt aurum, argentum, æs, ftagnum, plumbum, &c. igne purganda erant & במי נדה *Aquis fœditatis* expianda. Quæ vero ignem non ferebant, traducenda fuerunt per aquam. Habuit haud dubie hæc ceremonia, ut reliquæ omnes, δήλωσιν fuam πνευματικήν; fignificabat, quæ Gentiles habent, impura effe omnia; hæc tamen illis erepta ab Ifraëlitis, etfi impura, recte tamen poffideri, imo & Deo facrari poffe, modo purificentur. Purificatio illa fieri debuit per ignem & aquam fœditatis, five quæ auferebat fœditatem. Aqua illa fuit ex fluento, poft templi ædificationem ex fonte Gihon fumta, mixtaque cum cinere vaccæ rubræ, de qua Num. 31. Mactanda à facerdote erat hæc vacca extra caftra, ftante templo, in monte olivarum, fanguis illius fepties fpargendus contra tabernaculum vel templum, corpus ejus comburendum per hominem purum ante facerdotis oculos; Sacerdos in incendium conjiciebat lignum cedrinum, hyffopum, coccinum; vaccæ cineres colligebat vir purus extraque caftra ponebat in loco puro. Aqua ergo cum hoc cinere mixtâ afpergendi erant, qui faucium gladio, aut mortuum, aut fepulchrum,

chrum, &c. attigerant. Significabat, fine dubio; aqua hæc, mundas illas aquas, quibus aſperſurum ſe promittit Deus Iſraëlem Ezech. 36: 25. fontem illum apertum pro peccato & pro fœditate Zach. 13: 1. Sanguinem Chriſti pretioſum, qui, ut fideles purificabat ab omni peccato 1. Joh. 1: 7. ita impura, quæ poſſidebant, pura reddebat omnia. Docebat ergo hæc purificatio: quod hoſtes Eccleſiæ vicerint Iſraëlitæ, quod ſpolia illis detraxerint, ſalvique & triumphantes domum redierint, efficaciam ſanguinis Chriſti eſſe; docebat, illis qui loti ſint ſanguine Chriſti pretioſo & Spiritu promiſſionis ſancto pura eſſe omnia, etiam quæ hoſtibus eripiuntur: docebat eodem ſanguine, qui præ Abelis ſanguine meliora clamat, aſpergenda eſſe, quæ Deo ſacrantur: nihil Deo gratum eſſe poſſe, quod ſanguine hoc non ſit purificatum. Igne purificanda erant etiam ſpolia; ignis ſæpius Spiritus S. ſymbolum fuit. Linguæ igneæ videbantur in Apoſtolis in effuſione Spiritus S. Act. 2: 3. Promittebat Joh. Bapt. illum, qui poſt ſe ſit venturus, baptizaturum fideles Sancto Spiritu & igne Matth. 3: 11. Igne ergo Spiritus luſtranda erant ſpolia; implendi erant Iſraëlitæ fide & fiduciâ à Spiritu S. cum decertarent, fide ſpolia & ſpirituali lætitia Deo ſacranda erant; tunc demum ipſi grata futura. Tendebat ergo hæc ceremonia ad roborandam fidelium in Salvatorem fidem.

Spolia, quæ Deo ſacrabantur, in diverſos uſus fuerunt impenſa. Sæpius ſacerdotibus ceſſerunt: pars ſæpius etiam Levitis, ut de ſpoliis Midianitarum; ſæpius in theſaurum Jehovæ poſita fuerunt, vel in perpetuum monumentum, qualia fuerunt Centurionum ſupra memoratorum; vel in varios Tabernaculi Dei uſus. Memorabile certe eſt, quod pleraque Tabernaculi Templique vaſa ex hoſtium ſpoliis fuerint con-

(a) Tit. 1: 15.

fecta. Dubium nullum eſt auri argentique, quod Iſraëlitæ ad extruendum Tabernaculum obtulerunt, majorem partem ex Ægyptiorum ſpoliis fuiſſe. Ex tot iterum auri argentique talentis, quæ David ad Templum ſacraverat, & ex quibus plurima confecta ſunt vaſa, major pars è ſpoliis hoſtium Eccleſiæ fuit. Hoc non ſine ratione factum videtur; ſaltem Iſraëlitæ fideles inde amplam meditandi fidemque exercendi occaſionem habuerunt. Sciebant Tanernaculum & Templum, ut corpus Chriſti, ita etiam Dei Eccleſiam ſignificare, in qua ſpiritu ſuo & gratia habitare velit. Sæpius enim vocatur domus Dei קדש משכני עליון *ſanctum habitationum altiſſimi* Pſal. 46:5. Sciebant ex altera parte promiſſionem Abrahamo factam, in ejus ſemine benedicendas eſſe omnes gentes terræ. Sciebant Japetum alliciendum in Semi tentoria Gen. 9:27. Benjaminum ſciebant veſperi diſtributurum ſpolia Gen. 49:27. Converſionem ergo Gentium ignorare non poterant. Templum habere varias partes, vaſa varia; ita etiam Eccleſiam ex variis vaſis & membris conſtructam ſciebant. Videbant plurima vaſa in Templo ex ſpoliis hoſtium confecta, quidni etiam fide præſumere potuerint, in ſpirituali Dei domo multa olim vaſa electa ex gentilibus, ex hoſtibus Dei futura: quidni ſpe ſua ſe extenderint ad beatum illud tempus, quo paries intergerinus fuit tollendus & ex Judæis & gentibus non niſi unum ovile faciendum; ad illum idem, *quo Iſraël populi Dei tertia pars ſit futurus cum Aſſure & Ægyptio, benedictio in medio terræ.* Sufficiant hæc quoad primam diſſertationis partem.

PARS II.

De præda, quam Iſraëlitæ Deo ſacrarunt, ſummatim egimus; reſtat, videamus, an & nobis hoſtium ſpolia in ſanctuarium inferre liceat. Chriſtianorum quivis, ſi hoſtem Chriſti & Eccleſiæ ſub obedientiam

tiam fidei captivum ducere poteſt, haud dubie gloriam ſibi ducet eſſe maximam. Rurſus ex temporalibus, ſi, quæ hoſti eripiuntur, in pios uſus vertuntur, non male agitur. Fecit id Conſtantinus M. ſtatuas idolorum aureas argenteasque Eccleſiæ donando, quæ poſtea illi à Juliano ademtæ, à Valentiniano & Gratiano reſtitutæ ſunt. (*b*) Idem Conſtantinus Ethnicis Templa ademit, & cum illis haud dubie etiam illorum reditus, Chriſtianisque adjudicavit. Imitati id ſunt alii Imperatores & Reges, hoſtiumque bona Eccleſiæ donarunt. Idem fecerunt reformati Principes in principio Reformationis, bona quibus Papiſtæ ad idololatriam & ſuperſtitionem abutebantur, in pios uſus & ad Eccleſiæ ædificationem vertendo. Quo tempore impleta eſt ex parte Prophetia Eſaiæ 23: 18. *Mercimonium* (Tyri) *& quæſtus fiat Jehovæ, & non ponatur amplius in ejus theſauris, neque ab ea poſſideantur, ſed ſedentibus coram Jehova cedat &c.*

Occurrit hic quæſtio, armis in utramque partem multique ſanguinis profuſione ventilata: an quæ Numini ſemel ſunt ſacrata, in profanos verti poſſint uſus. Reſpondemus 1. Quæ hoſti diverſum Dei cultum habenti ſacra eripiuntur, profana fiunt omnia. *Cum loca capta ſunt ab hoſtibus, omnia deſinunt ſacra eſſe* ait Pomponius Juris conſultus citante Grotio. (*c*) 2. Quæ Deo ſacrantur omnia, eo ipſo non deſinunt eſſe publica: hinc etiam in uſus politicos in caſu neceſſitatis verti poſſunt; quod fecit Sulla, Pompejus, Cæſar, Heraclius, vaſa Eccleſiæ in nummos vertens; fecerunt idem alii. 3. Si, quæ ad Dei cultum deſtinata fuerunt, in abuſum cedunt, ad idololatriam propagandam, ad luxuriam cum deſidia nutriendam &c. à ſummo Imperante ipſo jure, quia publica ſunt, in alia melioraque impendi poſſunt. 4. Bona ſacra à

 ſocie-

(*b*.) Euſeb. in Vita Conſtant. (*c*) De Jur. P & B. Lib. 3. cap. 5: 2.

societate quadam possessa, cum deseruntur ab illa, vacuaque fiunt, cedunt Principi.

Superest, ut consideremus, an &, quæ animi bona habent hostes, jure ipsis detrahi, & in commodum nostrum verti possint. Sæpius Philistæorum armis Israëlitæ vicerunt Philistæos: cur nobis non liceret hostibus Ecclesiæ suis ipsorum armis bellum inferre? Pretiosa plurima, aurum, argentum, gemmas hosti detractas Deo dicarunt; cur multo pretiosiora, egregia mentis illorum dona sacrare non liceret. Multa in sanctuarium inferenda dico; omnia non dico. Illa tantum quæ ad linguarum cognitionem, ad explicandam S. Scripturam, ad mores corrigendos, ad convincendos hostes facere possunt. Hæc ex Ethnicorum scriptis sua fecerunt primitivæ Ecclesiæ Patres Justinus Martyr, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Lactantius, Augustinus &c. artesque humaniores Ethnicorum paulatim omnes in Ecclesiam invectæ sunt.

Utebantur primo Christiani Philosophia, deindè abutebantur, vitiô generis humani, modum raro tenentis: adeo enim per tenebricosa secula invaluit Philosophiæ Peripateticæ studium, ut multas absurdas impiasque quæstiones in Theologiam invexerit, limpidos veritatis fontes turbârit, autoritatemque S. Scripturæ oppresserit misero modo; ut Evangeliorum loco Aristotelis Ethica in quibusdam Germaniæ templis lecta sit, dixeritque Cardinalis Pallavicinus; absque Philosophia Aristotelis esset, careret Ecclesia quodam modo quibusdam fidei articulis.

Habemus etiam nos multos adhuc terminos technologicos in Theologia nostra ex Scholastica Philosophia, vel quia apti sunt ad sensum Scripturæ exprimendum, vel ob adversariorum importunitatem. Ita etiam ex nova Cartesii Philosophia argumentum,

jam

jam olim ab Anshelmo Archiepiscopo Cantorburiensi Seculo XII. pro Dei existentia prolatum, *quod ens summe perfectum necessario involvat existentiam*, avide arripuerunt Theologi nostri, reliquaque, quæ de idea Dei innata, de animæ immortalitate &c. disseruit Cartesius. Philosophandum Christiano sed modice, nec unquam ratio supra revelationem extollenda. Apponere lubet hic judicium de studio philosophico autoris haud publici saporis Cl. Bælii: (*d*) *Il n'y a personne, qui en se servant de la raison n'ait besoin de l'assistance de Dieu, car sans cela, c'est un guide qui s'égare; & l'on peut comparer la Philosophie à des poudres si corrosives, qu'apres avoir consumé les chairs baveuses d'une playe, elles rongeroient la chair vive & carieroient les os, & perceroient jusqu'aux mouëlles. La Philosophie refute d'abord les erreurs; mais si on ne l'arrête point là, elle attaque les veritez; Et quand on la laisse faire à sa fantaisie, elle va si loin, qu'elle ne sçait plus où elle est, ni ne trouve plus où s'asseoir.*

Logica etiam à Gentilibus inventa in sanctuarium illata est; ex cathedra auditur, auditur è suggestu. Optandum tamen, ut etiam id fiat modice. (*e*) Cl. Heidanus hac de re ita sentit: *Neque ab Analysi*, inquit (*nisi valde dextre instituatur*,) *illud auxilium ad intelligendos quoscunque autores . . . sperandum, quod multi imaginantur; videas enim sæpe auctores hoc pacto equuleo imponi, ut quod de istorum sensu analyticus præsumserat, id per Analysin dicere eos cogat. Veteribus certò incognitum fuit hoc artificium (quod Patrum memoria Logicæ quidam ardor in Theologiam invexit) qui doctâ paraphrasi contenti, strictius autoris mentem presserunt & secuti sunt, quam analytici nostri.*

Etiam Rhetoricam attigerunt nostri; docuit illam Nicomediæ Lactantius, Augustinus Mediolani & plures

(*d*.) Lex. Hist. & Crit. Artic. Acosta. (*e*.) De Orig. Error. Lib. 2. c. 3.

plures alii. Adhiberi jure potest etiam in orationibus sacris, sed rursus cum moderamine. Non fucum sapiat sacer sermo, non affectationem; castam contra spiret severitatem evangelicamque simplicitatem & claritatem. Sed quia in ipsa simplicitate sermonis τὸ ὕψος maximè elucet, arsque major non est in eloquentia, quam ubi latet. Longinum, Quintilianum aliosque Rhetores legisse, forsan non nocebit. Non enim scripturæ dicta, absque ullo nexu dictis cumulasse sufficit, quod multi faciunt, sed oportet, adsit lucidus rerum cogitationúmque ordo; & etsi ejusmodi sacri sermonis fructus à Spiritus S. efficacia pendeat omnis, nihil tamen ex nostra parte negligendum, quod ad auditorem movendum, convincendum, persuadendum facere potest. Valeat tamen judicium literati *de Vigneul Marville.* (*f.*) *Il n'y a qu'une chose dont on ne se moquera jamais en fait de Sermons, c'est quand on ne prechera que l'Evangile tout pur & sans ornemens étrangers.*

Poësin etiám suam fecerunt nostri. Ita studium historicum non parum momenti adfert ad intelligendam Scripturam: cum enim de Imperiorum revolutionibus in Prophetiis multus sit sermo, difficile implementum illarum ostendet, qui historiam temporum ignorat. Studium porrò linguarum, præcipuè illarum, in quibus divina oracula scripta sunt, multum juvat. Ita etiam non pigebit scivisse mores & ritus veterum, ad quos sæpius alludunt divini scriptores. Adduci tandem etiam possunt, quæ sensu communi & experientia nituntur. Certè hac in re præeuntem habemus magnum Gentilium Apostolum, qui, ut amplissimos triumphos de hostibus Ecclesiæ egit, & innumeros captivos Christo adduxit; ita etiam ex scriptis illorum spolia legit optima. Post illum nunquam pudebit afferre, quæ in usum nostrum faciunt;

(*f.*) Melange d'Hist. & de Lit. Tom. 2. pag. 75.

unt: nunquam pudebit Chriſtianum cum Anaxagora, interrogato; quænam ſit ſua patria, manus cœlum verſus tendere, hæcque mea patria eſt, reſpondere: nec cum Pythagora Numinis eſſe ἀληθεύειν καὶ ἐυεργετεῖν dixiſſe, pigebit unquam. Imo quod Epicurus dixit τὸ ἐυ ποιεῖν ἥδιον εἶναι ἢ πάσχειν. *Dare beneficium jucundius eſſe, quam accipere*, poſt Chriſti effatum, meum facere nullus dubito; & infinita alia.

Certe quo magis veterum ſcripta volvo gentilium, eo magis admiror in illis τὰ λείψανα imaginis divinæ: eo magis verum deprehendo, quod Apoſtolus dicit, quod (g.) νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσὶ νόμος, οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τῦ νόμυ γραπὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, *legem non habentes, ſibi ipſi ſint Lex, qui opus legis cordibus ſuis inſcriptum oſtendunt.* (h.) Deumque יסר גוים *refrænantem gentes* ubivis invenio. Si ex altera parte fluctuationem illorum circa ſummum bonum, diverſiſſimasque de eo ſententias conſidero, ſtatim occurrit, quod Apoſtolus dicit ἄθεως ἐν τῷ κόσμῳ fuiſſe Eph. 2:12. ſi titubationem eorum de rerum origine, de animæ immortalitate, ſi ἐποχὴν, ſi ἀκαταληψίαν, ſi veritatis deſperationem etiam in ſapientiſſimis invenio, tunc demum intimis ſentio medullis, quantum beneficium ſit, Chriſtianum natum eſſe, revelataque gaudere luce. Juvat in magnis his viris conſiderare, quousque ingenium humanum, divinâ revelatione deſtitutum ire poſſit. (i.)

Suave mari magno, turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius ſpectare laborem.
Non quia vexari quemquam eſt jucunda voluptas,
Sed, quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.

Quietem ſuam ex aliorum erroribus colligere juvat;

(g.) Rom. 2: 14. 15. (h.) Pſal. 94:9. (i.) Lucret. Lib. 2. ab init.

juvat in clara luce positum, spectare, quomodo per tenebras vacillent alii, titubentque & offendant, indeque felicitatem suam æstimare.

Etsi autem in plerisque misere aberrarint veteres, multa tamen dixerunt egregie, quæ ad ingenium acuendum, ad superstitionem mentibus eximendam, ad mores formandos, imo ad S. Scripturam explicandam facere possunt: quæ ad humanitatem, ad divitiarum, honorum, &c. contemtum; quæ ad animi tranquillitatem ducunt multa, multa quæ societatem spectant, quæ bonas leges, quæ ad virtutem, ad justitiam, temperantiam, &c. excitant, multa quæ ad Eloquentiam, ad Philosophiam bonasque artes omnes faciunt. Cur autem hæc omnia in usum nostrum convertere non liceat, videre non possum. Non mihi vitio vertent, qui literas amant, si paulo latius in argumento me extendero.

Sunt viri pii & docti, qui miro verbi divini amore flagrantes, in illo meditando tempus omne consumunt. Quid Spiritus S. dicat unice intenti, quæ homines omnes dicant, nihil curant, in sacris literis toti, fastidiunt reliqua omnia. Optimum est: laudo. Unum hoc est necessarium. Cuivis horum dixerim: Macte virtute esto, ἐρεύνα τὰς γραφὰς, ne desistas, fontem largissimum atque inexhaustum omnis instructionis habes, consolationisque; habes thesaurum immensum, ex quo depromere potes, quæcunque ad felicitatem temporalem facere possunt & æternam. Christum noscis; satis est. Horum unumquemque omni honore dignum judico.

Sunt tamen & alii, qui præter solidum sacrarum literarum studium in disciplinas humanas excurrere amant; honesta mentis oblectamenta quærentes animum applicant ad Philosophiam, Eloquentiam, elegantiorem literaturam, &c. nec hos contemnendos

existumo, modo unum ita fiat, ut alterum non omittatur; est, qui domum bene fundatam, rectoque munitam, quo adversus aëris tempestatumque injurias tutus esse possit, possidere satis habet. Hoc non contentus alius, domum variis tabellis, picturis, historiis exornat, rerumque monumentis, quo mens ex objectorum varietate eo magis oblectetur: neutrum horum damno. Est alius, qui natali suo solo affixus, per totam vitam pedem ulterius non profert: tranquillam vitam amat; patrios mores scire, secundumque illos vitam instituere sufficit; quid apud exteros obtineat, laboriose non inquirit, an easdem habeant consuetudines, an contrarias. Pervagatur alius exteras nationes, scrutatur omnia, quem cultum, quos mores; quid honestum illis, quid turpe; variorum hominum commercio mentem limat, illamque variis rebus instruit; quæcunque in usum suum facere possunt, sibi applicat. Hac in re quemque naturæ suæ ductum, illæsa pietate, sequi posse censeo. Sunt qui πνεῦμα τῆς πίστεως *spiritum fidei* habent; hi contenti, credidisse Deo revelanti, in salutare Dei reclinantur. Habent alii λόγον σοφίας *sermonem sapientiæ*; veritatum divinarum connexionem ostendunt ad conscientiam, refutant falsitates, &, ad quem finem omnia fiant, perscrutantur. Alii habent λόγον γνώσεως *sermonem cognitionis & circumspectionis*, quo probant potiora, quo inquirunt, quæ bona, quæ mala, & cum cognitione judicant. Varia sunt dona, unus est Spiritus; abundet quisque suo sensu.

Occurrendum hic obtrectatoribus illis, quos ignavia loquaces facit, qui simulata pietate ignorantiam suam tegunt, & quæ nunquam legerunt damnant omnia. Hi continuo clamant elegantiori literatura opus non esse: quid exteri senserint, nihil ad nos pertinere; salvos fieri posse, etsi nesciamus, an Athenæ unquam fuerint; scire, Sparta an urbs fuerit, an femina,

mina, an fruticis genus, parum referre: quid juvet supervacanea addiscere in tanta temporis egestate. Sed supervacanea minime sunt dicenda, quæ mentem acuunt, ornant, instruunt. Salvos fieri posse absque elegantiori literatura fateor, sed argumentum, quod nimium probat, nihil probat. (k.) *Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit*: salvi fieri etiam possumus absque Philosophia, absque jurisprudentia, absque medicina &c. argumentum ergo hoc, si urgere velles actum esset de scientiis humanis omnibus.

Vellem, studium rerum exoticarum tanquam πάρεργον consideretur, non principale. Ea est naturæ nostræ imbecillitas; ut ad seria continuo non sufficiat; horas ergo, quibus animi relaxatione opus est, lectioni Xenophontis, Euripidis, Senecæ, &c. qui delectando instruunt, Musæo inclusum impendere, quam per vicos cursitare, domuum rimari secreta, frivolis quibusvis urbis rumoribus animum nutrire, sermones inanes, famam proximi sæpius lædentes, patulis auribus excipere, cum gaudioque audire, satius semper duxi, innocentiusque.

At impudica multa & lasciva occurrunt in scriptis veterum, quæ bonos corrumpere possunt mores. De his tenendum, quod Deus præcipit de mercede meretricia: *Non inferes meretricis mercedem vel canis pretium in Domum Jehovæ*, Deut. 23: 19. Deinde permagni interest, quo quisque animô ad libri cujusvis lectionem accedat. Ex eodem prato, quo apes mel suum legunt, sugunt viperæ noxium suum venenum. Lasciva hæc animum corruptum, ægrum, libidine flagrantem movere possunt; severum, castum, timore Dei munitum, non nisi sententiarum pondus quærentem, non possunt: contra cum horrore hic rejicit illa, statimque occurrit terribile Dei judicium in gen-

(k.) Horat. Serm. Lib. 2. Sat. 3.

gentes, de quo Paulus. (*l.*) Διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν. Autorum tandem horum bona non ſunt rejicienda, quia malis ſunt permixta, ſed prudenter diſcernenda. Hic rerum humanarum ordo eſt: perfectio ipſis denegatur; nec uſum rei tollendum eſſe propter ejus abuſum, conſentiunt omnes homines.

Multa dicunt idololatrica inveniri in his libris, ſuperſtitioſa multa. Sed multa etiam inveniuntur, quæ ſuperſtitionem omnem animis eximere poſſunt. Unius Ciceronis de Natura Deorum & divinatione libri ſufficiunt ad ſubvertendam omnem Gentilium religionem. Interim in his rurſus obſervanda lex ſpoliorum de idolis penitus abolendis. Nihil ergo inferendum quod ſuperſtitionem ſapiat.

His & ſimilibus objectionibus patrocinium ignaviæ quærunt multi, imperitisque glaucoma objiciunt, barbariem denuo in Eccleſiam illatam, craſſaque mentes hominum ignorantia merſas vellent, an quia ſui ſimilem quisque amat; an quia ex ignorantia aliorum ſui æſtimationem quærunt; an vero quia æquis animis ferre non poſſunt eruditionem aliorum?

Riſum mihi movent, qui dici amant religioſi ac devoti homines, quoties, quæ ſine ullo labore etiam ſomniantibus venit, ignorantiâ ſuperbiunt: quoties eruditionem, quam vel natura & animi hebetudo, vel negligentia denegat, faſtidiunt, & cum vulpe in fabula, quæ conſequi non poſſunt, ſpernunt. Simplices ſane, etſi ſanctam ſimplicitatem præ ſe ſemper ferant, minime dicendi, qui ex quo alii merito ſpernuntur, ignavia, maximam ſibi gloriam comparare poſſunt. Serenas nolunt vigilare noctes, chartis impallere non poſſunt, nullum laborem impendere volunt, & tamen, nihil agendo, ſui æſtimationem

(*l.*) Rom. 1; 24.

quærunt: nihil commodius. Placeant ſane ſibi, ſi ita ſtat ſententia, in ſancta ſua ſimplicitate: vertant, ſi velint, negligentiam ſuam in maximum honorem. Non invideo. Quieſcant ſecuri in deſidiæ portu: nihil repugno. Ignorantiam ſuam virtutis nomine donent: non moror. Ruſticitate valeant: habeant ſua ſibi: nunquam intercedam. Modo non religionem prodant, & eandem cum ſuperſtitione faciant: modo illam non tanquam eruditioni inimicam traducant: modo non, dum famæ ſuæ conſulunt, religionis famam diminuant, illamque ignaviæ ſuæ accommodent, cum potius ipſi religioni ſe accommodare deberent. Tanti enim cum tecta ſua vanitate non ſunt, ut illorum cauſa religio in ſuperſtitionis ſuſpicionem veniat. Nam ſi & ipſa religio ignorantiam amat & ſtupiditatem, ſi ſerena mentis luce non gaudet, ſi & ipſa rationem extinctam vult & animi tenebras quærit; jam ſuperſtitionis nomine mihi venit. Dum igitur homines non minus vani, quam ſuperſtitioſi ignorantiæ præſidium in religione, quæ tamen in rationali Dei cultu conſiſtit, quærunt; dum inſtinctu Spiritus S. ſe duci jactant, cum potius ignaviam ducem ſequantur; dum eruditos modis omnibus infamant; dum illos tanquam Atheos, profanos, periculoſos traducunt, qui ſub humilitatis ſpecie luxuriant & larvatâ ſimplicitate imponunt, ipſi periculoſiſſimi, viciſſim bilem mihi movent.

Satis jam, imo nimium, funeſta ignorantia pullulat, etſi religionis nomine non commendetur: ſatis in illam proni ſunt homines, etſi tanquam laudabilis, imo divina non proponatur. Rariſſimi ſemper ſunt homines, qui bonam mentem amant, illamque excolunt, & rerum cauſas indagant, etſi religionis ſcrupulus, ac ſi nefas eſſet ratione ſua uti, ipſis nunquam injiciatur. Naturalis ignavia ad hæc omnia ſuffi-

ſufficit: non opus eſt, religio ut in auxilium veniat. Major ſemper erit, ne timeant, hominum agreſtium, ignobile otium præ induſtrio labore eligentium, turba, etſi religione non moveantur. Si humiles ſunt, ne aliis eruditionem invideant, ſi manſueti, ne virus & calumnias contra doctos evomant: habeant ſua ſibi; ſaltem à convitiis abſtineant. Si gloria vana non moventur, ne indigne ferant, ſi ab eruditis ignorantes & indocti æſtimantur. Satis grave malum ignorantia, etſi malitia & invidia ipſi non jungatur. Sed nihil ago; eadem ſemper eſt natura hominum, pauperes divitibus fortunam, indocti eruditis doctrinam ſemper invident, & quos nec ingenio, nec induſtriâ & labore æquare poſſunt, linguâ & dicacitate ſuperare ſtudent: convitiis & calumniis proſcindunt, quibus ratione nocere non poſſunt.

Vetus jam hoc malum: clariſſimos quosvis veteres & doctiſſimos, tanquam Magos, Atheos traduxit ignorantia. Jam olim conqueſtus eſt Boëtius Philoſophiam alloquens: *Atque hoc ipſo affines fuiſſe videmur maleficio, quod tuis imbuti diſciplinis.* Semper ſuperſtitionum magiſtri odiô plusquam vatinianô perſecuti ſunt doctos & perſpicaces homines; omnibus contra viribus ignorantiam plantarunt, auxerunt, irrigarunt. Athenienſibus ſacerdotes perſuaſerunt, nefas eſſe, inquirere, quomodo Deorum res ſint comparatæ: hinc Anaxagoram nimis perſpicacem aliosque in exilium egerunt. Vetabant Judæorum magiſtri חכמה יונית ſapientiam Græcorum literaturamque omnem exoticam. Muhamedani nullam patiuntur Typographiam, ne librorum lectione erroris & ſuperſtitionis nebulæ diſpergantur, Imo Takiddin author Muhamedanus dicit: (*m.*) *Fieri non poſſe, quin Deus certas de Almamone pœnas ſumeret, quod ſcientiis philoſophicis introductis Mohamedanorum pietatem interpellaverit.*

(*m.*) Apud Bælium Lex. Crit. Art. Takid.

rit. Fuit etiam ex Lutheranis Hoffmannus Academiæ Juliæ Theologus, qui sustinebat Philosophiam exterminandam esse, tanquam disciplinam perniciosam, secundum quam multæ theologicæ veritates sint falsæ. De Pontificiis mox dicemus. Nempe doctorum erroris permagni interest, ut præjudicia non deponantur; inde enim pendet illorum autoritas & quæstus uberrimus: mirum ergo non est, quod doctos persequuntur.

Nam solida eruditione & solerti rerum indagatione superstitioni major pestis non datur: hanc enim propius inspicere audet illa: audet ipsi divinitatis larvam detrahere & nudam turpemque menti hominum sistere. Literati semper tarda est fides; cuivis rumori facile non fidit; quibus autoribus fama incerta vulgetur examinat: res cum rebus, rationes cum rationibus, ideas comparat cum ideis; temere nihil judicat. Nullam relationem inter avis volatum ad dextram & inter prosperum successum, inter pulli tripudium & inter victoriam, inter tonitru ad lævam & inter eventum felicem videt, nullum etiam scrupulum hæc omnia ipsi injiciunt. Plurima, quæ in portentorum numero ponuntur, ad naturales suas causas transfert. Solis radios ab interveniente luna interceptos videt; nihil timet. Duo soles videntur hominibus; radiis solaribus in glacialem nubem incidentibus, & ad oculum nostrum reflectentibus adscribit. Sudant statuæ marmoreæ vel æneæ; non admiratur; scit enim vapores volitantes commotosque propter calorem, facile ejusmodi statuæ adhærere; motuque impeditô, coalescere & guttatim destillare. Sanguine pluit; vapores à Sole in aërem attractos ex commixtione quorundam mineralium rubrum colorem sibi contrahere potuisse putat. Monstrum nascitur; non stupet, veras ejus causas inquirit. Ubi alicujus rei causam dare non potest, ignorantiam ingenue

genue profitetur. *(n.) Sanguinem pluisse Senatui nuntiatum est, atratum fluvium fluxisse sanguine, Deorum sudasse simulacra: num censes his nuntiis Thaletem aut Anaxagoram aut quemquam Physicum crediturum fuisse? nec enim sanguis, nec sudor, nisi è corpore est; sed & decoloratio quædam ex aliquâ contagione terrena maxime potest sanguinis similis esse: & humor allapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus, austro sudorem incitari.*

Ita animo nunquam turbatur literatus; terretur nunquam: idem semper est. Superstitio cum omni suo apparatu terribili, cum Cerbero, cum Furiis metum incutere non potest: hinc illæ lachrymæ, odiumque superstitionis implacabile. Gaudet ille almâ luce: superstitio contra ut lucifugus bubo tenebras quærit, in opacis lucis se abscondit; coram & talis, qualis est, videri non vult: nimis enim ridicula foret, & deformitas ejus cuivis fastidium crearet. Ignorantiam amat superstitio, eandem pellit literatus; metum, credulitatem animis ingerit illa, hic exuit: propterea illis nunquam convenit; æternum inter illos viget bellum: ubi literæ florent, ibi superstitiones plures solum vertere coguntur: unde literæ exulant, ibi superstitio superbe dominatur.

Timeant ergo literas, quibus superstitiones aliorum quæstui sunt; fures timeant lucem & impostores: cur qui veram profitentur religionem timeant, nescio. Non sentiunt hi, se dum literas persequuntur, idem facere cum impostoribus omnibus, nullamque inter religionem & superstitionem differentiam statuere. Superstitioni nocet literatura, non veræ religioni. Quid periculi à bonis literis, à mentibus doctrinâ imbutis immineat veritati, non video: quæ vero mala ignorantia in Ecclesiam introduxerit, quam fœde illam deformaverit, in propatulo est. Age ergo

(n.) Cic. de Divin. Lib. 2.

go deducamus rem ad eventum, qui etiam ſtultorum magiſter dicitur; & videamus, quid inconſideratum Patrum literas humaniores damnandi zelum inſecutum ſit; ex præteritoque judicemus de futuro.

Nata eſt religio Chriſtiana florentibus literis, & plantata ubivis; à ſuperſtitionibus manſit pura, quamdiu manſit literarum amor; ſed ſimul ac ignorantia & ignavia ſubrepere cæperunt, gliſcebat paulatim etiam ſuperſtitio, tantumque brevi aucta eſt, ut totius religionis faciem immutarit. Origo harum calamitatum à Gothis, Hunnis, Vandalis &c. qui torrentis adinſtar omnia inundantes, & Imperium Romanum miſere lacerantes, ferrum, ignem, vaſtitatem, quacunque incederent, circumtulerunt. Maximam intulerunt cladem Romanorum rebus, majorem adhuc illorum animis: cum Majeſtate Imperii Romani amorem literarum omnem proculcarunt, & in mores ſuos barbaros omnia verterunt ſævi victores: & quod adhuc triſtius eſt; per quos ſtare debuiſſet, prodita eſt miſera eruditio. Antiſtites enim religionis Chriſtianæ, tantum abeſt, ut ingruenti barbariei ſe oppoſuerint, ut potius omnibus viribus illam adjuvarint, & miſeros homines infelicibus tenebris mergere allaborarint. Primus Gregorius M. Pontif. Rom. præpoſtero, & nobis adhuc luendo zelo in excellentiſſimum Tit. Livii opus flamma ſæviit; damno eo majori, quia irreparabile. Idem (ſi fidem adhibere velis Joh. Sariſberienſi, longe celeberrimam Bibliothecam Palatinam, ab ipſo Auguſto fundatam, Vulcano immolavit. Imo non tantum in Livium & reliquos Ethnicorum libros, ſed in ædificia, ſtatuas & alia Romanorum monumenta ſuperſtitioſe graſſatum eſſe Gregorium dicunt: in horum omnium locum dialogos ſuos, infinitis fabulis & anilibus miraculis, ſomniis, revelationibus puerilibus refertos, Chriſtiano orbi obtruſit. (o.) *Per maleferiatum zelum Corn. Tacitus*

(o.) Toland. Adeiſidaim: p. 82.

tus (pro Judæorum honore vindicando) mutilus ad nos pervenit : sic Ciceronis de Nat. Deorum libri tertii pars major & potior periit, non Christianis modo sed & Ethnicis (testante Arnobio) turpiter igne grassantibus in egregium illud volumen. Omnes Gentilium libros non semel abolere decreverunt Patres Christiani : solis tamen postea Episcopis & aliis deinde Ecclesiasticis est talis lectio sub certis conditionibus permissa. Imo in Concilio Carthaginensi An. 400. etiam Episcopis lectione scriptorum gentilium interdixerunt Patres. Eadem vertigine abreptus Gregorius Nazianzenus, Homerum, Lyricos, cœterosque Poëtas ablatos voluit, in illorum locum alia de Sacris & Sanctis carmina composuit. (*p.*) *Audiebam* (inquit Medicis Cardinalis) *etiam puer ex Demetrio Chalcondyla, Græcarum rerum peritissimo, Sacerdotes Græcos tanta floruisse auctoritate apud Cæsares Byzantinos, ut, integra illorum gratia, complura de veteribus Græcis, Poëmata combusserint, imprimisque Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis, Alexis fabellas, & Saphus, Erinnæ, Anacreontis, Mimnermi, Bionis, Alcmanis, Alcæi carmina intercidisse. Tum pro his substituta Nanzianzeni nostri poëmata, quæ etsi excitant animos nostrorum hominum ad flagrantiorem religionis cultum, non tamen verborum Atticorum proprietatem & Græcæ linguæ elegantiam edocent. Turpiter quidem sacerdotes isti in veteres Græcos malevoli fuerunt, sed integritatis & religionis maximum dedere testimonium.* Hanc sententiam habet homo pontificius.

Ita, quæ sponte in animis hominum pullulat, tristem ignorantiam omni modo irrigarunt & auxerunt. Hoc semel obtento, majora agressi, ipsum sacrum Codicem, qui salutis viam pandit, & ignorantiam excutit exitialem, manibus laicorum extorserunt egregii pastores ; cultum divinum peregrina lingua peregerunt ; ultimum tandem, quod restabat, telum, rationem miseris subditis ademerunt, invenientes fidem

(*p.*) Apud Pet. Alcyonium in Med, legato priori fol. c. 3.

dem implicitam, ne quis unquam in veritatem inquirat: credenda omnia, quæ Ecclesia dicit ipsis persuaserunt; ita pedibus manibusque vinctos ignorantiæ & imposturæ indignissimis modis vexandos tradiderunt.

Nunquam vita hominum fœdius jacuit; nunquam major barbaries ingenia humana oppressit: nunquam spissiores tenebræ orbem mœstum texerunt, nec pertinaciores unquam: integris enim novem seculis, vel etiam pluribus durarunt: ita ut dubium sit, an ira Dei his temporibus fuerit major, an ejus longanimitas. Nullus amor literarum: bonarum artium cultura nulla: nulla ingenii cura. Tristia tempora, quibus eruditionis amor hæreseos & magiæ damnabatur. Ingenio pollere tunc temporis in manifestum mortis periculum ducebat: quid hoc tristius dici potest? simul ac quis absurda omnia probare noluit, flamma & ferro in ipsum sævitum: simul ac exigua quædam lux orta est, ab infestis tenebris rursus mergebatur. Mussitare nemo audebat, dicebat quisque.

Dii bene fecerunt inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi; raro & perpauca loquentis.

Ita æternam timuerunt secula noctem. Una vox ubivis audiebatur: O sancta ignorantia! sancta simplicitas!

Ex quo ergo hominum vecordia & stoliditas in virtutem versa est, nihil fuit, quod miseris persuaderi non potuerit. Absurda quævis & nefanda sunt ausi impostores, ausisque potiti. Nempe mortuorum ossa deosculanda proponunt, devote deosculantur simplices; quodvis ligni frustum pro crucis ligno adorandum tradunt; adoratur: peregrinationes instituendas, dicunt; per longissimas vias corpora ægre

gre trahunt miſeri ſubditi. A certis cibis abſtinendum eſſe; religioſe abſtinent: corpora caſtiganda, & pœnitentiam agendam; indignis modis in ſe ipſi ſæviunt, violentasque ſibi inferunt manus. Animorum ſecreta ſcire volentes impoſtores, ut inde timeantur, Confeſſionem auricularem inveniunt; abſcondita animi omnia pandunt ſtulti laici. Bonis illorum inhiantes, indulgentias & peccatorum veniam, Purgatorium, &c. mentiuntur: credunt omnia ſeducti, ſeductoresque bonis ſuis ditant. Jam Papam eſſe infallibilem, claves habere cœli & orci, ex purgatorii flammis eximere quos velit, pro lubitu veniam peccatorum dare, cœlum aperire; in infernum detrudere; omnes judicare, judicari vero à nemine; infinitis ſceleribus contaminatum Spiritus tamen Sancti inhabitatione gaudere & oracula certiſſima pandere. Hæc omnia, ut propoſita, ita etiam religioſe credita fuerunt.

Tunc demum patuit, quousque hominum credulitas & vecordia ire poſſit; patientia illorum, quovis modo tentata, nunquam repugnavit: fallendo citius ſunt fatigati impoſtores, quam ſeducti credendo. Audita eſt olim vox Tiberii Cæſaris è curia egredientis & viles Romanorum animos, qui indigno modo ipſi adulabantur, ſpernentis: (*r.*) *O homines in ſervitutem paratos!* Idem de plumbeorum horum ſeculorum hominibus dici poteſt: ſuperbiſſimam enim tyrannidem non tantum in bona, famam, corpora, ſed etiam in conſcientiam, quam ipſa natura liberam clamat, paſſi ſunt ſerviles animi. Dicere potuerunt, quod olim Romani: (*s.*) *Dedimus profecto grande patientiæ documentum, & ſicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate eſſet, ita nos, quid in ſervitute; adempto per inquiſitiones & loquendi audiendique commercio.* Hæc potuit ignorantia.

(*r.*) Tacit. Annal. Lib. 3. (*s.*) Idem in Vita Jul. Agric.

Post tam tristem experientiam longamque malorum seriem, qui ignorantiæ patrocinetur, innocentemque damnet literaturam, nemo erit. Fallor. Erunt, qui ignaviæ patrocinium in se suscipient, donec erunt homines. Enormia quævis crimina religionis nomine abuti audent, desidia cur non auderet? Interim eorum, qui rerum eventum spectant, nullus erit, qui se fraudi, verbisque simulatæ pietatis obnoxium dabit: terrent vestigia. Non defuerunt ad infamandam eruditionem speciosi prætextus veteribus, quo rem seculorum tractu perduxerint tandem, vidimus. Lugeant ergo literaturam florentem, quorum interest, ut mentes obruantur tenebris: impostores, superstitionum magistri, qui lucem ferre non possunt, lugeant; lugeant Pontificii, quorum superstitioni eruditio maximum intulit damnum, & adhuc dum infert. Nobis, qui veritatem profitemur, perspicacitas solidaque eruditio minime est timenda. Premenda potius vestigia beatorum Reformatorum, Calvini, Zvvinglii, &c. heroum nostrorum, qui exotica evolvere dedignati non sunt, quique inde egregia spolia in sanctuarium intulerunt: tunc enim temporis Ciceronem, Livium, Plutarchum, &c. legisse pietati contrarium non erat; & scripta illorum testantur, quantum in politiori literatura versati fuerint.

Tota res huc redit: exulet livor & invidia; cum ingnavia & superstitione; exulet dira ignorantia; floreat contra literarum & solidæ eruditionis omnis amor; religionis veritas floreat. Conferat quisque, pro ingenii modulo, quæ ad Dei gloriam Ecclesiæ ædificationem facere possunt. Vaticinetur qui προφητείαν, qui interpretationis donum habet interpretetur: qui in exterorum scriptis oblectamentum quærit, faciat; sed cum moderatione: inferat inde spolia, consecretque Deo; sed purificata Sanguine Christi pretioso, veraque in Salvatorem fide; sibi dictum putet,

puret, quod Paulus Corinthiis, dicit. Ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα, *Æmulamini vero potiora dona.* 1. Cor. 12:31. obſervetque in exotico ſtudio ſapientis Solonis τὸ μηδὲν ἄγαν.

* *

IV.

JACOBI BRUCKERI

Diſſertatio Epiſtolica

De

Meritis in Rem Literariam, præcipue Græcam, *Viri Celeberrimi*

DAVIDIS HOESCHELII,

Gymnaſii ad D. Annæ Auguſtæ Vindelicorum quondam Rectoris & Reip. Bibliothecarii:

ad

Virum plurimum Reverendum atque Clarisſimum

D. PHIL. JACOB. CROPHIUM, P. L. C.

Gymnaſii Annæani Rectorem & Bibliothecarium.

§. I.

Etſi ſemper, SOCER DESIDERATISSIME, Te maximopere colui, ex quo non præceptorem tantum Te olim nactus ſum, qui in decurrendo bonarum literarum ſtadio auctor mihi atque hortator exſiſteret, ſed & Socerum Te mihi junxit,

xit arctissimus sanguinis nexus; etsi semper de tua salute gavisus sum maximopere, Deumque nunquam non piis flagitavi precibus, ut cœlestis gratiæ imbribus charissimum caput tuum inundet; crescit tamen singulis annis animi lætitia, quando redeuntibus faustis luminibus te canitie venerandum, annisque graviorem, sartum video per divini numinis benevolentiam atque animo corporeque incolumem. Unde dum te septuagesimum secundum onomastici sideris ortum celebrare, cum tuis plaudo lætorque, vota, quæ tibi mea in te pietas debet, publica Scriptiuncula solvere, eo magis jucundum est, quo magis tibi de re publica literaria tot nominibus merito fausta quæque precantur, quotquot literas amant, meritisque pretium statuere norunt. Nec dubito, in id consensuros omnes, qui te exoptatum Augustanis sidus amant & suspiciunt, gratesque tibi deberi profitentur, qui tot veros doctos educasti, quorum prudentia & eruditione Respublica & Ecclesia regitur, ut tibi omnigenam felicitatem, senium ad seram usque immortalitatem decurrens, canos honore meritisque venerabiles, familiam omni bonorum genere exsatiatam, dignaque tot meritis præmia mecum toto animo precentur, Deumque rogent, ut tranquilla senectute gavisus Calendas Majas sæpius adhuc integris animi corporisque viribus auctaque indies salute revisas. Ne vero privata tantum pietate hæc se tibi commendet pagina, sed & benevolus Lector aliquid offendat sua curiositate dignum, placuit pauca *de meritis* celeberrimi Antecessoris tui *Davidis Hæschelii in bonas literas præcipue Græcas* differere. Etsi enim à te promissam Gymnasii Augustani Rectorumque ei præfectorum historiam impatienter adhuc expectat orbis eruditus, & mecum otia atque Procerum favorem ad elegantissimum argumentum hoc excutiendum toto precatur animo; integrum tamen erit, hanc

inte-

interim particulam, tanquam brevem quandam symbolam conferre, eamque memoriæ civis meritissimi præstare operam, quam Occonibus, Ehingero, Gassero, Schrœckio lubens præstiti. Favet vero huic meo instituto eo magis vir per totum literatum orbem celeberrimus, quo magis in te vivam tanti viri recolo imaginem. Tu enim non solum iisdem præes muneribus, quæ tanta diligentia & dexteritate ornavit Hœschelius, & scholasticas Annæani Athenæi Musas regis, thesaurique patriæ literarii, celeberrimam bibliothecam innuo, curam geris accuratissimam; sed & eandem eruditionem foves, eadem felicitate juventutis emolumenta promoves, eadem cura librariam Augustæ supellectilem, illatis Schrœckianis libris, augere studuisti, eodemque meritorum numero & forum & templum doctis viris replevisti, annos plures quam quos Hœschelius exegerat, in stadio scholastico decurrens, adeo, ut vel ipsa invidia teste, vere de te dicere liceat, quod de Hœschelio dictum novimus:

Mille dedit foro juvenes, bis mille ministrorum
Adjecit numero purpureæque togæ.

Dabis itaque de Hœschelianis meritis pauca quædam commentaturo eo magis patientes aures, quo magis exiguum est (*a.*) quod hactenus de tanto viro legit eruditorum curiositas.

Gg 5 §. II.

(*a.*) Etsi de orbe literato magnopere meruit Hæschelius, nemo tamen hactenus fuit, qui tanti viri Vitam accurate describeret. Quæ enim apud *Freherum* in *theatro vir. illustr. p. 1511.* leguntur pauca sunt nec accurata; *B. Spizelius* vero in *templo honoris reserato* elogium tantum dedit magni Philologi, *p. 328. seqq.* Ex his vero reliqui hauserunt, quicunque de vita Hœschelii meminerunt, *Clarmundus in Vitis*

§. II.

Quemadmodum ſcilicet mature ſe produnt magna ingenia, animique impetum ita detegunt, ut ad quæ nata ſint, vel ex primis adoleſcentiæ veſtigiis colligere liceat, ita & Hœſcheliana virtus in ipſo puero enituit, ut quis futurus ſit, quantum ipſi Græcæ literæ olim debituræ ſint, præceptoribus & patronis facile patuerit. Anno enim poſt reſtitutam humani generis ſalutem milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo ſexto III. Id. April. patre Petro natus (*b.*) & mature diſciplinæ traditus, magnam præceptorum expectationem excitavit, & ita in ſtudiorum ſtadio progreſſus fecit, ut magnos Mæcenates inveniret, qui ad ingenii ad ſublimia tendentis curſum promovendum liberali manu beneficia adoleſcenti porrigerent (*c.*). His adjutus talem præceptorem nactus eſt, qualis

Vitis P. V. ſæpius lapſus, *Lex. Erudit. p. 991. Witte* in *Diario*, *Lex. Hiſt. T. II. p. 802. Bayle Dict. T. II.* art. *Hœſchel. Jo. Fabricius Hiſt. Biblioth. ſuæ T. I. p. 319. J. C. Wendlerus de merit. Reip. Aug. Diſſ. I. §. 12. p. 47. ſeqq.*

(*b.*) Vid. *Praſch. Epitaph. Aug. P. I. p. 180.* ubi Epitaphium Hœſchelii hodienum in Xyſto templi D. Annæ in monumento Hainzeliano ſuperſtes exhibetur, quod repetii in *Comm. de vita Eliæ Ehingeri p. 46. not. S.* unde erant, qui in 14. Aprilis diem natalem Hœſchelii referunt.

(*c.*) Inter eos maxime deprædicat Matthæum Welſerum, Ædilem & Scholarcham, cujus patrocinio & liberalitate ſtudia continuare ſibi licuerit, vid. Dedic. *Damaſceni de transfig. J. C.* Inter plures enim proceres literis tum faventes Welſeriana familia maxime enituit, immo ea tum fuit Auguſtæ felicitas, ut ſummi viri genere & muneribus illuſtres certatim ſtudiis elegantioribus manus porrigerent, & neque favore neque ſumtibus in alendis & juvandis viris

lis de literatura Græca optime meriturō requirebatur, *Hieronymum Wolfium* (*d.*) quem in Græcis tradendis literis & Scriptoribus Græcis interpretandis aliis ſui temporis palmam præripuiſſe, nemo ignorat, niſi qui in eruditorum hiſtoria plane hoſpes eſt (*e.*). Ab hoc magno

ris doctis parcerent: inter quos præter Welſeros, Marcum, Antonium, Matthæum, Paulum, Carolus Rehlingerus, Wolfgangus Palerus, I. Georgius Oeſterreicherus, Albertus a Stetten, Matth Erhardus, aliique viri generoſiſſimi enituerunt; immo in eo totius illuſtris Senatus Auguſtani cura tota fuit, *ut magna gererent bonarum literarum cauſa*, teſtante Noſtro in *Dedic. Opuſc. Philonis.* Quam Senatus Auguſtani tunc temporis magnificentiam, his verſibus extulit *Salomo Frenzelius* Vratislav. in *adumbratione Auguſtæ Vind.* rariſſima:

Non vero ſatis eſt; multos diſcrimine nullo
Accumulare libros, doctis eſt inſuper omnis
Vrbs ornanda Viris, quibus hæc reſpublica felix
Affluit.

Et paulo poſt:

Præterea egregiis fora, templa, ſcholasque magiſtris
Inſtruit, & pubem ſtudia ad graviora coërcet,
Educens terris magno & plantaria cœlo.
Hinc eſt doctorum tam pulchra corona virorum,
Tot docti proceres, hinc doctus & ipſe Senatus.

Egregia certe Auguſtæ felicitas, cui invidiam noſtrorum temporum merito precamur. Hœſchelium vero hac Senatus munificentiſſimi benevolentia adjutum in Dedicatione Orationis laudandæ ipſe fatetur, *miſſum ſe & ablegatum in alium locum, ut huic potiſſimum ſtudio vacaret Reip. alumnus.*

(*d.*) Hunc paſſim *præceptorem ſuum colendum vocat*, vid. *Dedic. Opuſc. Philonis.*

(*e.*) Videnda, brevitatis cauſa, quæ collecta exhibent *Hi-*

magno Viro magnum formatum Hœſchelii ingenium, qui potuit aliter, quam ſtupendos in omni doctrinarum genere, præſertim vero in Græcis literis, quas apud diſcipulos maxime urgebat Wolfius (*f.*) facere progreſſus? In hoc adoleſcente ſponte ad ſumma currente qui potuit aliter, quam feliciſſimis enitere progreſſibus Wolfiana dexteritas, quæ in inſtituendis juvenibus parem vix habuit (*g.*)? Inde magna illa eruditionis copia; inde lectio in antiquis ſcriptoribus ad ſtuporem magna & copioſa, inde exquiſitum de auctoribus veteribus judicium, quæ omnia Noſter poſtea in egregiis ad auctores Græcos annotationibus copioſe prodidit, inde Iſocrateus dictionis nitor, quem Attico lepore in Epiſtolis Græcis Hœſchelius paſſim exhibuit. (*h.*) Non mirum itaque, mature Noſtrum ingenium ad Græcas potiſſimum literas excolendum natum & formatum publico ſpecimine demonſtraſſe. Celeberrimo enim, quod tum quidem Lauingæ florebat, Gymnaſio ex Auguſtano Lyceo

laria Scholaſtica Ven. *Soceri p. 8. ſeqq. Vitam* ſuam ipſe deſcripſit *Wolfius*, quam manu Hœſchelii deſcriptam cum poſſideat Ven. *Pav. Ambergerus* Paſtor Veingartenſis in Palat. Sup. hanc ab eo merito expetimus tandem vulgandam.

(*f.*) Videndi libelli *H. Wolfii de Scholæ Auguſtanæ inſtauratione* & *de docendi diſcendique ratione Aug. Vindel. 1578. 8.*

(*g.*) Hoc elogio paſſim in *Actis Scholaſticis mſc.* Dnn. Scholarchis commendatur; eo connitens, *ut ſi fieri poſſet uno anno omnem eruditionem ſuam cum diſcipulis communicet, & quaſi infundat.*

(*h.*) Earum quasdam ad Margunium Cytherorum Epiſcopum exaratas opuſculis Græcis ab Hœſchelio editis præfixas invenire licet, vid. *Greg. Nyſſeni Opuſcula, Maximi Myſtagogia, Dedicatio Græca Vitæ Antonii ad Velſerum* &c.

(*i.*) Di-

ceo illatus Græca Oratione *de humani generis lapsu* (*i.*) probavit, non frustra a se lectos Scriptores in hac lingua optimos, nec inanem præceptoris fidelissimi in eo fuisse industriam, ita enim Atticas veneres in hac Scriptiuncula juvenis viginti annorum expressit, ut vel ex hoc ungue futurum leonem facile colligas, & qualis Noster in his literis fuerit intelligas. Et iisdem quoque vestigiis institit, Hœschelius in Academiam delatus, jam tum totus ἑλληνίζων; in eo omnis ejus cura vertebatur, ut libros Græcos ubique perquireret, optimorum auctorum lectione animi divitias augeret, collatis codicibus msc. judicium firmaret, sicque & studii Theologici, cui dicatus erat, & artis critices, & antiquitatis rationes intime pernosceret (*k.*) Hæc perspecta non esse non poterat juvenis eruditissimi diligentia, nec deesse commendatio præceptoris Wolfii, qui commisso Lyceo de Viris verę doctis præceptoribus constituendis sollicite providebat

(*i.*) Dicendum de ea infra, ubi de scriptis Nostri. Edita vero est 1577. Cal. Jan. Docuit vero tam in celebri hac schola *Philippus Heilbrunnerus*, Jacobi frater.

(*k.*) Adduntur his in *Lex. Hist. l. c.* Hœschelium etiam exteras regiones invisisse, ubique Codices msc & antiquitatis reliquias perquisivisse; nec tamen unde ea probentur additur, vixque mihi videtur verisimile, anno 1577. enim adhuc in Gymnasio versatur, 1581. Scholæ jam præficitur, quod quadriennium in Academia tantum exegisse merito creditur, imprimis cum parciori penu parentum instructo ex publica beneficentia Senatus Aug. & aliorum patronorum vivendum ei fuerit. Nec quicquam eorum meminit Noster in epistolis ad Viros doctissimos passim exaratis alias ad id digitum intensurus, si eos coram convenisset. In Academia vero Magistri Phil. titulo & honoribus auctum esse passim ex adjecto nomini titulo videre est. Vid. *Hymni Margunii.*

(*l.*) De

bat (*l.*) Hujus in Hœschelio nostro oculi, in hoc commendando patribus patriæ ejus industria fuit eo effectu, ut 23. Martii anni sesqui millesimi octogesimi primi, quintæ Classi, (*m.*) quæ supremæ, cui tum præerat *Simon Fabricius*, (*n.*) proxima est, plaudentibus Musis, gaudente Gymnasii Ephoro, (*o.*) meritissimo Wolfio, præficeretur. In hoc munere fideliter obeundo omnem industriam Hœschelius posuit, nec indignam sua eruditione scholasticam spartam ratus, sed exemplo præceptoris sui, magni Wolfii, cui tunc Georgius Henischius, eruditione illi suppar (*p.*) jun-

(*l.*) De quo consultationes Wolfianæ & typis expressæ & inter Acta Scholastica latentes loquuntur, virique de publica salute maxime solliciti curam satis testantur.

(*m.*) *Acta Scholast. msc. Vol. I. p 235.*

(*n.*) Vid. Comment. nostr. *de Vita Eliæ Ehingeri p. 54.* & ibi laudatos.

(*o.*) Ille enim præter Præceptores classicos, quos regebat post Matthiam Schenckium Fabricius, Ephorus & Professor Gymnasio præfectus erat, suoque maxime consilio cuncta regebat & disponebat.

(*p.*) Et hunc virum celebrem, Mathematicæ & Medicæ disciplinæ laude inclytum Professorem adjunxit seni & morborum, præsertim calculi insultibus vexato & exhausto Wolfio Patrum patriæ cura omni laude etiam apud gratam posteritatem superior. Quanta ejus in rem literariam Græcam merita fuerint, *Aretæus* ex Cod. Aug. editus docet *Aug. Vind. 1603. fol.* meliori, quam antea, habitu & integriore ornatu, conf. *Fabricius Bibl. Græc. Vol. III. p. 102.* quibus vero laboribus Mathesin sibi devinxerit ex *Vossio de Scient. Math. Cap. LIII. §. 6. p. 323.* discere licet. Omnium tamen maxime de philologia Germanica, *thesauro* sub meruit, de quo ut & reliquis ejus circumstantiis legisse neminem pœnitebit, quæ V. C. & præmaturo fato

junctus erat, cum Primario Fabricio, viro eruditissimo, (*q.*) in id imprimis incumbebat, ut eandem eruditionis viam, quam ipse felicissimis avibus ingressus fuerat, juventutem duceret, & imprimis ad auctorum optimorum lectionem veramque χρηστομαθείαν perduceret. Id quod tanta dexteritate & fidelitate præstitit, ut Viri doctissimi non sine magna in eruditionem Hœschelianam fiducia filios suos illi educandos committerent, quod grato semper Noster agnovit animo, & tum publica confessione (*r.*) tum fidelissima institutione, cujus specimina passim extant (*s.*), & qua tum pietatem, tum philologiæ sacræ & profanæ fundamenta jaciebat, sibi maxime cordi esse sincere testatus est.

§. III.

Tantis de Scholastica juventute meritis conspicuus Hœschelius, non potuit non gravissimo Scholarcharum collegio esse commendatissimus. Unde cum anno sesqui millesimo nonagesimo tertio die 5. Julii Fabri-

fato nobis ereptus *Jo. Georgius Lotterus*, Professor Petropolitanus, doctissime commentatus est in den Critischen Beyträgen, *Tom. I. P. VI. art. 3. p. 572. seqq.*

(*q.*) Primarius Fabricius Vir certe ingenio præstans dicitur *Wolfio Act. Schol. Vol. II. p. 172.*

(*r.*) Vid. *Dec. Opusc. Gregorii Nysseni* ad Wolfg. Palerum, & *Rhodii de affectibus* ad Ad. Occonem, M. Windium & Georgium Laubium Medicos Augustanos.

(*s.*) Passim ejusmodi specimina mihi visa sunt, quibus loca optimorum scriptorum discipulis tradidit Hœschelius, explicationi prolixiori inservitura: cui negotio uti par fuit Noster, ita Wolfianis potissimum vestigiis institit; hinc tanta ubertas Virorum Græce doctissimorum circa hæc tempora.

(*t.*) Vid.

Fabricius mortalitatis exuvias deponeret (*t.*), unanimi Scholarcharum nutu Rector Gymnasio Annæano præfectus est (*u.*). In quo gravi munere obeundo non antiquum tantum obtinuit atque pristinum se præstitit Hœschelius, sed & ampliorem provinciam nactus, merita indies augere, & de republica patria atque literaria optime mereri omni nisu ſategit. Ad id vero quam maxime contendit, ut post divinas literas, & quæ ex iis hauriri debet, pietatem, ad optimarum artium disciplinam, & præcipue Græcas & Latinas literas juventutem fidelissima manuductione duceret. Qua dexteritate & industria effecit, ut non tantum primariæ dignitatis Viri ejus institutioni filios suos traderent (*x.*), sed & *è variis Germaniæ, Italiæ, Belgiique civitatibus Hœschelii gratia se Augustam conferrent, quibus viri hujus institutione uti, inque lingua Græca proficere curæ cordique fuit* (*y.*). Inclaruit itaque tanto Rectore felicissimum Gymnasium, novo ædificio sub nostro magnifice ornatum (*z.*) discipulosque patriæ, immo orbi quoque literato reddidit, ut omni artium cultura expolitos, ita præcipue Græce doctissimos. Quibus modis de Græcis potissimum literis institutione & doctrina Hœschelius optime meruit, donec XIII. Cal. Nov. anni supra millesimum sexcentesimum decimi septimi ad cælestem Academiam evocare-

(*t.*) Vid. *Heupoldi* Beschreib. der Lat. Schule. *Prasch. Epitaph. T. I. p. 205. Spizel. templ. hon. ref. p. 329.*

(*u.*) Primarius audiebant Schenckius & Fabricius, quia illis Wolfius Ephorus præfectus erat; post ejus vero obitum omissa Ephori sparta & Rectoris titulus ac dignitas in Hœschelium collata.

(*x.*) Vid. dicta *not.* (*r.*)

(*y.*) Hæc fide *B. Spizelii* refero *l. c. p. 329.*

(*z.*) Conferenda *Hilaria Scholastica Gymn. Aug. p. 75.*

(*a.*) Vid.

caretur (*a.*), & immortalitatem beatam adiret. Æternum vel hoc nomine Auguſtæ patriæ decus, & ſcholæ ornamentum, quod per triginta ſex annos in Scholaſtico pulvere de juventute & bonis literis mereri, patriæque inſervire, quam oblatum ſplendidum Profeſſoris munus in alma Noricorum Academia ſuſcipere maluit. (*b.*)

§. IV.

Satis vel hoc nomine de Græcis literis, & omni etiam eruditione meritus erat Hœſchelius, ut dignum Muſa virum vetaret mori: ſed ampliorem ei aperuit bene merendi campum Procerum voluntas, ex quo ſplendidiſſimæ Bibliothecæ Reipublicæ Auguſtanæ Bibliothecarius præfectus eſt (*c.*). Huic ſe intime diu jam junxerat, eamque ſibi reddiderat familiariſſimam; in hac codices veteres, præcipue Græcos

(*a.*) Vid. Epitaphium ſupra adductum ex *Praſchio l. c.* illatus vero eſt monumento Hainzeliano repoſitus ad latus præceptoris Wolfii, conf. *Vita Ehingeri p. 40.* Errant itaque qui diem emortualem faciunt d. 20. Septembris. Succeſſorem habuit Ehingerum.

(*b.*) Hoc ipſius Noſtri teſtimonio conſtat in *Dedic. Procopii* ad Illuſtres Duumviros Reip. Norimbergenſis.

(*c.*) Dubitabat de eo olim *Wendlerus* Diſſ. I. *de meritis Reip. Aug. in rem liter. p.47.* ſed immerito; in Actis enim Scholaſticis expreſſis verbis Bibliothecarius dicitur; evincit vero id vel unus Catalogus Mſc. à Noſtro confectus. Hanc vero ſpartam ei mature poſt Wolfii obitum traditam fuiſſe inde patet, quod 1589. Eſprincardo Bibliothecam monſtraverit, unde hunc ille Bibliothecarium maxime laudat apud *Colomeſium Bibl. ſel. p. 203. Opuſc. p. 492.* ubi aliud quoque Covrelli teſtimonium exhibetur. Recte itaque eum recentiores *Spizelius*, *Bayliusque* Bibliothecarium faciunt.

(*d.*) Vid.

nocturna diurnaque manu versaverat (*d.*); hanc consilio & commendatione apud inclitum Senatum juverat, totumque se thesauro huic literario dicaverat; Henischio itaque ætate ingravescente, qui Bibliothecarii munus post Wolfium (*e.*) susceperat, munus hoc felici eventu Hœschelio traditum est. In quo obeundo an vel fide & dexteritate candidiorem, vel eruditionis literariæ, præsertim Pelasgæ divitiis ampliorem, vel inserviendi officiis promtiorem bibliotheca hæc celeberrima nancisci unquam potuerit, merito dubites. Certe amplissimus Nostro campus hic apertus fuit de Græcis literis potissimum optime merendi. Cum enim apud magnos viros Joannem & Marcum Velseros, Christophorum & Quirinum Rehlingeros, Octavianum Secundum Fuggerum, Jo. Jacobum Remboldum summis tum Duumviratus dignitatibus functos (*f.*) plurimum valeret, facile impetravit, magno potissimum Marco obstetricante, ut optimis libris augeretur thesaurus hic librarius; unde tanta vis librorum præsertim Græcorum ei illata est, ut vix alia bibliotheca tanto cumulo præstantissimorum librorum Græcorum superbiat. Nec dubito, quin ejus quoque hortatu factum sit, ut Marcus Duumvir, triennio ante Nostrum fatis functus, amplissimam bibliothecam suam testamento juberet publicæ inferri, quod & sub Nostro factum est. Nec hoc unum erat, quo hoc animarum ἰατρεῖον juvare contendit, sed & jussu & auctoritate Amplissimi Senatus, consilio vero & auxilio Marci Velseri, tum Reip. Consulis novum Codicum Græcorum msc. ab Antonio potissimum Eparcho ære redemtorum indicem

(*d.*) Vid. *Dedic. Opusc. Philonis*, itemque *Homiliarum PP.*

(*e.*) Mortuus is 1580. vid. *Vita Ebingeri p. 54.*

(*f.*) Vid. *Histor. Regim. August. ad calcem.*

(*g.*) Vi-

dicem conficit (g.), pristino vel disparente, vel satis hiulco (h.), ut scilicet *tam, quæ in illa κειμήλια, qui probæ notæ auctores servarentur, constaret, quam, quicunque codex in rei literariæ commodum, ut antea, petenti εἰς χρῆσιν daretur, aliique βιβλιοτάφοι ad idem bene de literis merendi studium incitarentur.* (i.) Neque in iis, quæ tam magnifice obtulit Illustris Senatus Augustanus viris doctis, beneficiis exhibendis socors fuit Hœschelius vel μισάνθρωπος, sed cum viris quoque doctissimis lubentissime communicavit, quicquid ex thesauris literariis in usus suos ab ipso petierant (k.). Cujus exemplum potissimum *Henricus Savilius* eques Anglicanus est, qui in edendo splendidissimo scriptorum Chrysostomi opere ex bibliotheca Augustana obstetricante Hœschelio maxime est (l.) Quam quoque inserviendi promtitudinem Casaubono, (m.) Margunio, Sylbur-

(g.) Videatur *Præf. ad Hieron. Comelinum*, de ipso Catalogo infra dicere commodius licebit.

(h.) Titulus Catalogi paucissimis visi & duabus tantum plagulis constantis hic est: *Catalogus Græcorum librorum, manuscriptorum, Augustanæ Bibliothecæ: quem, ea respublica, ideo edendum curavit: ut eos, vel viris doctis interpretandos: vel diligentibus typographis conferendos, modo de iis sartis tectis suo tempore restituendis, caveant, ad augenda rei literariæ commoda, communicaret. Aug. Vind. ex offic. Mich. Mangeri, anno 1575. 4.* Tituli vero tantum librorum sunt brevissimi; unde Hœschelius ampliorem eorum rationem reddidit. Esse vero Wolfii opus nullus dubito, is enim hoc tempore bibliothecæ curam gessit.

(i.) Verba hæc sunt Hœschelii, qui pristinam quoque invitationem ad Viros doctos iterum præfixit.

(k.) Conf. *Spizelius l. c. p. 331.*

(l.) Vid. omnino *B. Reiserum* ad *calcem Catalogi Msc. Bibliothecæ Augustanæ.*

(m.) Vid. *Casaubon. Ep. 482.*

(n.) De

Sylburgio, Grutero aliisque viris celeberrimis exhibuit. Quod vero merita Nostri de Græcis literis omnium maxime ornat, quodque forte paucissimis notum est, illud est, quod ejus consilio celeberrima typographia ad insigne pinus ab Illustri Marco Welsero primum erecta, magnisque à viris summis sumtibus ad vitæ Nostri finem sustentata est, quod ab anno 1595. factum esse non sine probabili argumento conjicio; in ea enim, elegantissimis typis Græcis & Latinis, operam suam commodantibus egregiis typographis Joanne Prætorio, Davide Franckio & Michaele Mangero, præstantissimi libri non Hœschelii tantum, sed & aliorum virorum doctorum, in charta pulchra, firma & candida mundissimo habitu prodierunt, Nostro in id potissimum contendente, ut exirent emaculatissimi; unde Augustani magnam de hac re laudem reportaverunt. (*n.*)

§. V. Sa-

(*n.*) De typographeo ad insigne pinus altum apud eos, qui historiam literariam rei typographicæ excusserunt, silentium est. Nec in ipsa Augustanorum urbe certi & indubitati quid, quantum quidem mihi adhibita omni industria constat, reperire est. Dabo tamen quæ non vana conjectura assequi licuit. Hujus vero typographei initia recte ad annum 1595. referri, vel ex una *Præfatione Hœschelii ad Cat. Msc. Græcorum* Marci Velseri jussu editum probatur, ait enim; *Hunc typis novis editum Tibi Commeline clarissime inscribere volui.* Et sub his typographei initiis solum Velserum sumtus suppeditasse, Noster iterum prodit, quando in *Dedicatione Horapollinis ad M. Welserum scribit*: Te auctore atque hortatore laborem hunc suscepi; *Tuo solius beneficio typis adeo elegantibus mystica hæc ποιημάτια prodeunt.* Hinc expressis verbis *typos Velserianos* vocat *J. Lipsius* in *Ep. ad Nostrum* inserta *Notis ad Photium p. 929.* Ubi tamen & hoc ex *Dedicatione Photii ab A. SCHOTTO Latine facti ad M. Velserum* tene-

§. V.

Satis, puto, hæc omnia loquuntur, Hœschelium de bonis, præcipue vero Græcis literis immortaliter fuisse meritum; multo tamen magis erudi-

tenendum, fratres hujus Antonium, Matthæum ac Paulum re quoque, id est ære suo hac in re eruditos juvisse. Quoniam vero magni sumtus requirebantur, typis Welserianis libros Græcos excudere, & typothetarum pariter operam & chartam redimere, accessere tum alii Viri graves, & numis instructi, qui sumtus ad libros ad insigne pinus excudendos subministrarent. Hoc imprimis factum est, ubi Photii Bibliotheca magnum & carum opus edendum erat. In id enim ex ipso ærario quosdam sumtus factos esse, *Dedicatio ad Duumviros Quir. Rehlingerum & Marc. Velserum* his verbis suadet: *in hac urbe vestro auspicio recentibus iisque pervetustis typis alia atque alia utriusque linguæ πονημάτια brevi temporis spatio excusa sunt.* Imprimis vero suppeditabat sumtus *Bonaventura Bodeccerus* Elcoviæ Dominus, S. Cæsareæ Majestati a Consiliis, qui ab Ejus affine *Carolo Rehlingero* Scholarcha magnoque Hœschelii patrono Nostro conciliatus sumtus liberaliter exhibuit. Ita enim in *Epistola præfixa Notis in Photium* Hœschelius ad eum: *Has tuis auspiciis in lucem prodire patiaris Vir magne, qui nulli sumtui pepercisti, quo thesaurus hic e tenebris erutus juris tandem publici fieret*, id quod anno 1601. factum. Anno sequente *Chrysostomi opusculum contra Judæos* Hœschelius his typis edidit, in cujus *Dedic. ad Gasp. & Melchiorem Erhardos* ait: *hunc neque æri suo parcere voluisse, quo hac editio maturari posset.* Anno insequente 1603. edidit Noster *Eclogas legationum*, in quarum Dedicatione profitetur, eam editionem deberi *liberalitati Marci Velseri, Duumviri.* Origenem vero biennio post *Caroli Rehlingeri liberalitate typis evulgatum esse* Noster iterum gratus in *Ep. Præf.* profitetur. Hunc sequebatur biennio post Procopius; in cujus præfa-

tissima ejus scripta testantur, absque adulatione in epitaphio Nostro posito Hainzelios fratres eum vocavisse: *Pelasgæ literaturæ antesignanum.* Tot enim de hoc eruditionis genere titulos meruit, ut inter Germaniæ nostræ viros summos paucos habeat, qui cum eo comparari queant, superiorem vero fere neminem.

tione editor Hœschelius monet, *sumtus ad maturandam editionem suppeditasse ornatissimos cives Augustanos Jo. Georgium Oesterreicherum, p. m. Joannem Huep-her, & Volfgangum Emekofer, quos honoris causa nominat, ut eorum exemplis NB. alii ad similiter Reip. literariæ opem ferendam allectentur & invitentur.* Inde cum audiret curante Daniele Heinsio Lugduni Batavorum imprimi Procopium, optat, ut certior factus fuisset, *ne damno esset iis, quorum ære & charta & operæ conductæ sunt*, in *Ep. ad Jungermannum post Hottomannianas p. 456.* Hæc, nisi fal or testimonia, satis dicta confirmant. Cum vero alios libros David Franckius, alios Michael Mangerus, alios Joannes Prætorius excuderint, inde necessario conjiciendum est, illos docto huic & munifico librorum Græcorum edendorum consortio operam suam sed typis illius commodasse: quod ne suis sumtibus fraudetur, de privilegio tum Cæsareo tum Regis Christianissimi sibi prospexit. Et hinc *subobscura Elegia Jani Gruteri Photio præmissa* lucem capit. Typos vero hos *ad invidiam elegantes* jure vocat *Lipsius l. c.* Insigne vero pinus à civitatis tessera, quæ pinum refert, desumtum esse, cum hac epigraphe: *Honos erit huic quoque pomo*, qui libet videt. Nos hanc Augustanarum literarum felicitatem tantorum virorum consilio, ope, ære & benevolentia promotam merito in cælum extollimus, nostrisque temporibus ad depellendam, quæ imminere videtur, barbariem, multos Velseros, Bœdecceros, Rehlingeros, Stettenos optamus, certi, non defuturos iis Hœschelios.

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.

(o.) Col-

nem. Id si testimoniis eruditorum, qui omni tempore, usque ad hæc nostra amplissimis laudibus illum extulerunt, conficiendum esset, nubem testimoniorum de Hœschelianis in rem literariam meritis hic facili manu congererem; verum id ab aliis ita factum est (*o.*), ut haud difficile sit in eruditorum scriptis versato, illa multum augere. Nobis duorum nostra ætate magnorum Virorum testimonia sufficiunt, *Petri Balii*, cui (*p.*) *vir longe doctissimus* audit, & *Jo. Alberti Fabricii* (*q.*), qui *post Camerarium se neminem nosse ait, qui inter Germanos tantum Græcas literas amplificaverit, atque in lucem protractis variis præclaris Græcis monumentis eorumque collectionibus tam bene fuerit de elegantioribus studiis promeritus, quam Davidem Hœschelium; Augustanum.* Unde merito in tanto eruditorum de Hœschelianis in Græcas literas meritis consensu mireris, *Josephum Scaligerum*, Hœschelio alias amicissimum, & in extollendis ejus meritis alibi satis liberalem. (*r.*), quem tot officiis sibi Noster devinxerat, *pædagogi & mediocris Græci* titulo eum onerasse (*s.*). Id quod tamen Hœschelianis meritis non magis officit, quam alia iniqua judicia in viros magnos temere ab eo in-

 ter

(*o.*) Collegere judicia de Hœschelio *Th. Pope.. Blount in Cens. celebr. auct. p. 900. seq. Magirus Eponym. Crit. p. 450. Wendlerus Diss. laud. p. 48. 49.* quibus addi possunt ea, quæ *Hilaria Scholastica* exhibent. *p. 10.* Quibus adjiciatur *Bœcler. Bibliograph. crit. p. 162. Jo. Fabricius Hist. Bibl. suæ T. I. p. 319.* & quos laudat.

(*p.*) *Loc. Cit. p. 782.*

(*q.*) In *Bibl. Græc. Vol. XIII. p. 532. conf. Vol. IV. p. 475.*

(*r.*) Vid. *Epistolæ Scaligeri in fronte & fine Photii, Chrysostomi, Procopii*, & passim in Scriptis Nostri extantes, conf. *Epp. p. 389.*

(*s.*) Vid. *Scaligerana secunda p. 112.* bene tamen est, quod nec doctrinam, nec diligentiam ei deneget.

(*t.*) Hos

ter commensalium licentiam jactata eorum laudibus obsunt. Nos testes in contrarium habemus non communem tantum eruditorum per sesquiseculum consensum, sed & patrocinia à Viris maximis & proceribus Reipublicæ summis Hœschelio non denegata, (*t.*), amicitiam item Virorum, quos ut in omni eruditione summos, ita in Græcis literis principes & sua & nostra ætas jure extulit (*u.*) Nec diffitebitur, quisquis literas Græcas propius novit, immortaliter Hœschelium de illis meritum fuisse. Hujus etiam indefessæ

(*t.*) Hos supra magnam partem jam nominavimus. Ex exteris imprimis patroni Hœschelii notandi sunt *Georgius Herwartus*, Cancellarius Bavaricus, Bonaventura Bœdeccerus, Jo. Matthæus Wackerus à Wackenfels, Eq. Consil. aul. Cæs. imo inclitus quoque Senatus Noricus. Falsum itaque est Hœschelium Augusta ejectum fuisse, nisi eum tueretur Velserus, quod nugatur Scaliger; alia omnia loquuntur hactenus adducta.

(*u.*) Inter eos primas tenet Maximus Margunius Cytherensium Episcopus, cui amicissima cum Nostro consuetudo intercessit. His proximus fuit Isaacus Casaubonus, qui magnum Hœschelii amorem & verbis & officiis toties testatus est. Adjungo his Joannem Livinejum, Andream Schottum, Janum Gruterum, Georgium Remum, Conradum Rittershusium, Thomam Segetum, quibus adjiciendi sunt Græci Constantinus Lucaris, & Leontius Eustratius, qui in Epistolis ad Hœschelium exaratis, quæ præfixæ sunt *Chrysostomi Orationibus contra Judæos*, Græcam eruditionem ejus ita extollunt, ut non erubescant fateri, Græcas literas ex Græcia exulantes in Hœschelio Augustæ domicilium esse nactos. Addendi his sunt præter Jos. Scaligerum Justus Lipsius, cujus amicissima Epistola in not. *ad Phot. p. 929.* extat, Paulus Merula, & Bonav. Vulcanius, Joannes item Meursius: at quanti in Græcis, & in omni doctrinæ genere viri!

(*x.*) *Co-*

fessæ diligentiæ tot producta in lucem ex carcerum & pulveris squalore debemus scripta veterum Græcorum; ejus accurato in arte critica judicio acceptæ referendæ sunt tot emendationes felicissima Minerva in Græcis Scriptoribus plurimis factæ: ejus amori in Græcas literas gratiæ referendæ sunt, quod in annotationibus suis; *in quibus nihil superflui esse* recte vir quidam doctus monuit (*x.*), tot ἀποσπασμάτια ex codicibus msc. nondum edita nobiscum communicaverit. Ejus in conjectando merito miramur εὐστοχίαν & ἀγχίνοιαν, quas locis desperatis sæpe sola ingenii felicitate & Græcæ linguæ usu ac lectione adjutus medicinam attulit; & vastam simul jure deprædicamus lectionem, quæ per omnes veterum libros vagata παραλληλισμὸν veterum plerumque vel ad oram Scriptorum vel in margine annotavit. Quæ ut satis evincunt, Hœschelii merita in rem literariam, & præcipue Græcam, fuisse maxima, ita ad hanc nostram ætatem Nostro partam studio & eruditione laudem merito conservarunt, & conservabunt, quamdiu honos erit bonis literis.

§. VI.

Sed ut plenam tandem fidem Lectori faciam, meritis in Pelasgam eruditionem, fere neminem habuisse superiorem Hœschelium; enarranda jam doctissima ejus scripta sunt, & ita luculenta demonstratione evincendum, sine adulatione egisse viros doctissimos, qui Hœschelianam Musam in cœlum laudibus evexerunt. Quo labore eo lubentius perfungor, quia Hœschelianæ Græcorum Scriptorum editiones pleræque raræ sunt, nec ubivis inveniuntur, ut inspici queant, qui vero eorum dedere indices, mancos plerunque exhibuerunt (*y.*). Sequar vero, quantum indagare licuit, annorum ordinem & seriem.

Hh 5 *Oratio*

(*x.*) *Colomies Bibl. choisf. p. 493. Op.* ed. Fabric.

(y.) Pleraque Hœscheliana Scripta in Bibliotheca Augustana

1577.

Oratio Græca de humani generis lapſu ejuſdemque reſtitutione : recitata ſub initium anni 1577. publice in celeberrima ſchola Laugingana, autore Davide Hœſchelio Auguſtano, Lauingæ 4. 2. pl. Dedicatio ad Matth. Welſerum, Chr. Paumgartnerum, Septemviros, Carolum Hoſium Senatorem, ut ſpecimen ſtudiorum præcipue in Græcis literis alumnus ederet.

1587.

PHILONIS Judæi opuſcula tria, 1. quare quorundam in ſacris literis mutata ſint nomina; 2. de formatione Evæ, ex Adami latere, & de utriusque lapſu; 3. Somniorum Joſephi, Pharaonis, pincernæque ac piſtoris allegorica expoſitio, Græce nunc primum edita ſtudio & opera Davidis Hœſchelii A. M. ejusdemque notatiunculis alicubi illuſtrata, ex Bibl. Aug. Francof. apud Jo. Wechelum. 8. pl. 18, (z.)

In Dedic. ad Senatum Aug. Philonis eruditionem laudat, & cum Petro collocutum eſſe putat, totumque Philonem nitori ſuo reſtituere promittit. Textui in margine adjecit loca ſcripturæ, in calce notas, quibus partim quæ ipſe auctor alibi traderet vel eadem vel dilucidius, partim PP. teſtimonia nonnulla ex mſc. inſeruit, & errores quoque Philonis detexit. Nominat

extantia indicantur in *El. Ehingeri Cat. Bibl. Aug.* & ex eo in *Ant. Reiſeri Catal. Libr. mſc. Bibl. Aug. Append. II.* Syllabum quoque Scriptorum ejus contexuit *Spizelius l. c.* ſed imperfectum; omnium vero accuratiſſime de Hœſchelianis libris, qui Græcos auctores reſpiciunt, egit *B. J. Alb. Fabricius Bibl. Græc. Vol. XIII. p. 532. ſeqq.*

(z.) Vid. *Fabricius Bibl. Græc. Vol. III. p. 109.* propter emendationem quandam in notis allatam plagii Noſtrum inſimulat *Petrus Faber*, præcipitanter notante *Jac. Thomaſio de plag. liter.* §. 497. p. 208.

(a.) Loc.

nat vero se tironem & in hanc arenam modo descendentem.

1587.

Ομιλίαι θεοφόρων τίνων πατέρων, *Homiliæ quædam sacræ Basilii M. Gregorii Nysseni, Nazianzeni, Joan. Chrysostomi, Cyri Germani in præcipuas ferias: cum fragmento Cyrilli Alexandrini: studio & opera Davidis Hæschelii A. è libris calamo exaratis partim emendatiores, partim nunc primum editæ, cum ejusdem notatiunculis, rerum item ac verborum indice. Augustæ typis Mich. Mangeri. Cum Priv. Cæs.* 8. 1. alph. pl 14. Et hanc collectionem Senatui Aug. cujus codd. adjutus erat inscripsit, plura integritati restituit. Diligenter hanc Collectionem recenset *Fabricius*, quem vide. (*a.*)

1588.

S. JOANNIS DAMASCENI Presbyteri Oratio Græco-Latina in transfigurationem Domini & Servatoris nostri J. C. ad msc. codicis Augustani fidem emendata & integritati restituta. Accessit Appendix complurium locorum Philonis, Basilii M. Nazianzeni, Athenæi, & aliorum auctorum, qui partim corriguntur, partim redintegrantur, opera Davidis Hæschelii A. M. Aug. typis Mich. Mangeri 8. pl. 9. Inscripta Matthæo Welsero Ædili & Scholarchæ. Et hunc libellum enarrat *Fabricius.* (*b.*)

1589.

Γαμικὰ παραγγέλματα καὶ ἕτερ' ἄλλα ἔπη. *Præcepta conjugalia & alia quædam carmina in honorem nuptiarum Cl. & Doct. Viri Dn. D. Georgii Laubii* (*c.*), *Medici Augustani δευτερογαμοῦντος, edita à Davide Hæschelio Augustano M.* 4. pl. 3. Maluisse se, ait, versus veterum in hono-
ni

(*a.*) *Loc. Cit. Vol. XIII. p. 534. seqq.*
(*b.*) *Ib. p. 541. seq.*
(*c.*) Vide, quæ de hoc Medico dixi in *Prolusione ad Hist. Vitæ Adolphorum Occonum §. XIII. p. 23. seq.*

(*d.*) Ha-

rem nuptiarum excudendos curare, quam versus scribere Musis non afflatum. Sunt vero carmina ista, Psalmus 128. Græco metro expressus, conjugalia præcepta *Gregorii Nazianzeni* ad Olympiadem, Ej. Carmen Jambicum de providentia, aliud Ejus de tolerantia, & de paupertate philosophante & supplicationes ad Christum.

1591.

S. GREGORII Episcopi Nysseni Oratio de Filii & Spiritus S. Deitate, e codice msc. Reip. Augustanæ nitori atque integritati restituta, studio & opera Davidis Hœschelii 8. Aug. Vind. per Mich. Mangerum. pl. 2. Gr.

Inscripsit Jo. Georgio Hermanno, discipulo (*d.*), ut testaretur, quanti suos faceret, sibi in disciplinam traditos. In fine additur catalogus operum Gregorii Nysseni, asteriscis notatis iis, quæ excudit Mich. Mangerus, indicatis quoque msc. ubi inveniantur. Prodierat antea cum versione *Joach. Camerarii Lips. 1563. 8.* (*e.*)

1592.

MAXIMI MARGUNII Episcopi Cytherensis Poëmata aliquot sacra, Græce nunc primum publicata studio & opera Davidis Hœschelii A. M. e bibl. Reip. Aug. 1692. 8. ex off. Plant. pl. 2.

Quanta inter hunc Græcum Episcopum (*f.*) & Hœsche-

(*d.*) Habebat is patrem Hieronymum, proavum Jo. Georgium, Kaufbyranum, cujus amicitiam, teste Nostro in Dedic. magnus ille Des. Erasmus, Olympia F. M. & alii docti coluerunt. Dixi de eo potiora in progr. de meritis Fuggeriadum in bonas literas, ex instituto vero Cel. *Schelhornius Amœn. Hist. Eccles. T. I. p. 700. seqq.*

(*e.*) Conf. *Fabricius Bibl. Græc. Vol. VIII. p. 157.*

(*f.*) De hoc Episcopo Græco, ad cathedram Cytherorum in Insula Cypro 1574. evecto, qui antea Manuel dicebatur,

Hœſchelium intercesserit amicitia, frequentiſſimæ eorum teſtantur epiſtolæ, plerisque opuſculis Hœſchelii præmiſſæ: & huic quoque amicitiæ plura Græcorum ſcripta debemus liberaliter a Maximo cum noſtro communicata. Hos hymnos Latinis verſibus expreſſit, & Græco-Latinos edidit *Conradus Rittershuſius* Græca Epiſtola Hœſchelio inſcriptos. *Aug. 1601. 8.* pl. 9. apud Jo. Prætorium.

1593.

D. GREGORII NYSSENI Opuſcula quinque I. De profeſſione Chriſtiana: II. De perfectione, & qualem Chriſtianum eſſe deceat; III. Anagogica vitæ Moſis enarratio; IV. Contra Apollinarium; V. De fide. Græce nunc primum edita ſtudio & opera Davidis Hœſchelii Aug. Lugd. Bat. ex Off. Plant. 8. pl. 12.

Inſcr. Wolfg. Palero & ultima duo G. Remo Conſ. Nor. Uſus eſt autem codice Aug. & Margunii, cujus quatuor Epiſtolæ Græcæ hic inſertæ ſunt. Adjecit & huic libello catalogum opp. Nyſſeni, quem inde recudi fecit. *B. Fabricius.* (g.)

1594.

D. JOANNIS CHRYSOSTOMI Archiepiſcopi Conſtantinopolitani Oratio in diem natalem Servatoris noſtri J. C. edita nunc primum ſtudio & opera Davidis Hœſchelii Auguſtani ex Bibl. Aug. A. V. typis Mich. Mangeri 8. pl. 2.

Inſcripſit Joachimo & Philippo Camerariis, non numero plures eſſe, quod innuit *Fabricius* (h.) ſed unam titulus prodit & inſpectio.

AN-

tur, ejusque ſcriptis videndus Cel. *Fabricius Bibl. Græc. Vol. X. p. 532. ſeqq.* qui cum carminum Maximi editionem Rittershuſii non notaverit, ex his ſupplendus eſt.

(g.) *Bibl. Græc. Vol. XIII. p. 538. ſeqq.*

(h.) *Bibl. Græc. Vol. VII. p. 654.*

(i.) Conf.

1594.

ANDRONICI RHODII Peripatetici Philosophi libellus περὶ πάθων, id est, de animi affectionibus, & Anonymus de virtutibus & vitiis, editi opera Dav. Hæschelii Aug. Vind. typis M. Mangeri 1594 8. pl. 3. Gr.

Inscripsit Adolpho Occoni nepoti, Marco Windio, Georgio Laubio Medicis Augustanis. Nactus est apographum à Margunio, & aliud Schotti à Frid. Sylburgio. Laudat istos Medicos à Græcarum literarum eruditione. Præmissa est epistola Margunii. Versionem Latinam paraphrasi Nicomacheorum Aristotelis adjunxit *Heinsius* (*i.*)

1595.

Catalogus Græcorum Codicum, qui sunt in Bibliotheca Reip. Augustanæ Vindelicorum, quadruplo, quam antea auctior. Aug. Vind. ad insigne pinus cum privilegio Cæs. perpetuo. 4. (*k.*)

Inscriptus est Hier. Comelino: in ipso Catalogo accurate notata initia opusculorum, & inscriptiones, in margine indicata, quæ edita sint, quove loco, editore, & typographo. Hunc Catalogum passim laudari videas. (*l.*)

1595.

Hieroglyphica HORAPOLLINIS a Davide Hæschelio

(*i.*) Conf. *Fabricius Bibl. Græc. Vol. II. p. 151. Bœcler. Bibliogr. cr. p. 629.*

(*k.*) Recusum esse 1605. *Conringius de Bibl. Aug. p. 162.* & *Labbeus in Bibl. Bibliothecar. p. 37. Wendlerus Diss. cit. p. 49. Cave Hist. Lit. Scr. Eccl. prol. fol. XXV.* asserunt, verum neminem novi, qui hanc editionem se vidisse professus sit, certe Augustanis ignoratur.

(*l.*) Vid. *Anton. Possevinus appeud. ad appar. S. Colomies Bibl. Choif. p. 492. Bayle Dict. l. c. Fabricius Bibl. Græc. Vol. XIII. p. 533. not.*

schelio fide Codicis Augustani msc. correcta, suppleta, illustrata, Aug. Vind. ad insigne pinus 4. 1. alph. pl. 5.

Inscriptus M. Velsero, cujus typis edita sunt. Versio est Bernardini Trebatii, non vero Joannis Merceri, uti in aversa titulo pagina dicitur. Merceri vero notas suis junxit Hœschelius. (*m.*)

1595.

NICOLAI CABASILÆ Oratio in fœneratores, Græce edita à Dav. Hœschelio 4. (*n.*)

Non tamen integra, codicem subministravit Margunius.

1597.

LAMPRIAS de scriptis Plutarchi Chæronensis, & Gr. & Lat. nunc primum editus A. V. ad insigne pinus, exc. Jo. Prætorius, 4. pl. 4.

Recudi fecit B. *Fabricius* (*o.*) Calamo exaratum ab Andr. Schotto acceperat Hœschelius (*p.*), & dicavit Fr. Raphelengio.

1597.

HERMETIS TRISMEGISTI Jatromathematica ad Ammonem Ægyptium, à Dav. Hœschelio Gr. & Lat. edita fide msc. codicis emendata, suppleta, cum notis. Aug. Vindel. typis Mich. Mangeri 8. pl. 4.

Ad calcem adjecta est Jo. Stadii interpretatio liberior (*q.*).

1597.

MATTHÆI CAMARIOTÆ συνοπτικὴ παράδο-σις

(*m.*) Conf. *Fabricius Bibl. Græc. Vol. I. p. 51. Morhof. Pol. T. I. p. 725.*

(*n.*) *Idem. Vol. V. ad Allatium de Nilis p. 74.*

(*o.*) *Bibl. Græc. Vol. III. p. 333.*

(*p.*) Hinc corrigendum apud *Fabricium l. c.* eum hunc catalogum nescio e qua Italiæ Bibliotheca accepisse.

(*q.*) Vid. *Fabricius Bibl. Græc. Vol. I. p. 59.*

ϛες τῆς Ῥητορικῆς, *Compendium Rhetoricæ, editum cura D. Hæſchelii Aug. Vind. 1597. 4.*

Et hic Margunium opitulatorem habuit. Recudi fecit hanc Synopſin ab Hœſchelio editam *Jo. Scheffe-rus Hamb. 1675. 8.* de qua Editione videndus *Fabricius.* (*r.*)

1599.

Appiani Illyrica Græce, ex Cod. B. Aug. edidit Dav. Hæſchelius 4. (*s.*)

1599.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI de Sacerdotio Libri VI. Gr. & Lat. DCC. amplius locis emendati, aucti, illuſtrati ope librorum mſſ. ex bibliothecis Palatina & Auguſtana, Opera D. Hæſchelii Aug. Aug. 1599. è Mangeri typographeo, ſed typis, ut collatione patet, ad inſigne pinus; quod tamen additum non eſt.

Inſcripſit Alb. à Stetten, ob ejus liberalitatem in ſuſtentandos ingenuarum artium ſtudioſos. Præfixa eſt Epiſtola Margunii, & præmiſſa notis judicia veterum & recentiorum de Chryſoſtomo & Baſilio, quocum ille in his libris colloquitur. (*t.*)

1599.

S. MAXIMI Martyris Myſtagogia ex Codd. mſc. Reip. Aug. & Maximi Margunii Græce nunc primum edita cum interpretatione Latina. Ejusdem S. Maximi definitiones integritati reſtitutæ, opera D. Hæſchelii Aug. Aug. ex offic. typographica J. Prætorii 8. pl. 11.

Inſcripſit Græca Epiſtola Margunio, à quo duæ Epiſtolæ præfixæ ſunt, una ad Noſtrum, altera ad antiquitatis ſacræ ſtudioſos. Notulæ paucæ ſunt. Latina Verſio *Gentiani Herveti* eſt (*u.*) typi inſignis pinus adhibiti.

(*r.*) *Idem. l. c. Vol. IV. p. 475.*

(*s.*) *Idem. Vol. III. p. 396.*

(*t.*) Vid. *Fabricius l. c. Vol. VII. p. 651.*

(*u.*) *Fabricius Vol. VIII. p. 732. 740.*

1599.

S. GREGORII Nazianzeni definitiones rerum simplices, Græce primum ex Aug. Bibl. editæ à Davide Hæschelio, cum ejusdem notis & Latina versione Jo. Leunclavii V. C. nunc recusæ. Ex officina Mich. Mangeri 8. pl. 2. Græci typi Velseriani videntur esse.

Inscripsit Petro Steurnagelio & Jo. Stirzelio: additæ *Anonymi definitiones*, itemque *Maximi Martyris (x.)*

1600.

Geographica Marciani Heracleotæ, Scylacis Caryandensis, Artemidori Ephesii, Dicæarchi Messenii, Isidori Characeni, Omnia nunc primum, præter Dicæarchi illa à Dav. Hæschelio Aug. ex msc. codd. edita A. V. ad insigne pinus pl. 13.

Dedicavit Jo. Georgio Hervvarto ab Hohenburg. Cons. Bav. intimo & Statuum Bavariæ Cancellario, qui codicem ei tradiderat conferendum cum apographo Velseriano. Præmissa est Is. Casauboni Epistola ad Hœschelium, & suffixum schediasma *H. Stephani de Dicæarchi Opere Geographico (y.)*

1601.

ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ ΤΟΥ ΦΩΤΙΟΥ *Librorum, quos legit PHOTIUS Patriarcha excerpta & censuræ. Quatuor msc. codicibus ex Græcia, Germania, Italia, Gallia collatis. David Hæschelius Augustanus primus edidit, notas, in quibus multa veterum fragmenta antehac inedita illustravit. Aug. Vind. ad insigne pinus. fol.* alph. 8. pl. 6.

Inscripsit Duumviris Augustanis Quir. Rehlingero, Marco Velsero, annotationes vero Bonav. Bodeccero, qui sumtus exhibuit. Quanta laude elegantissima hæc editio, quam typorum nitore, chartæ

(x.) Anonymi definitiones repetiit, multasque similes collegit *Fabricius l. c. Vol. XIII. p. 544. seqq.*

(y.) Vid. *Fabricius Vol. III. p. 33.*

munditie & toto habitu magnifico paucæ superant, excepta sit, Epistolæ Casauboni, Scaligeri, Lipsii, insertæ, & præfixa elogia virorum doctissimorum loquuntur (z.). Accessere etiam Epistolæ Photianæ. De ipso opere & hac editione videndus *Mart. Hanckius* (a.) & *J. A. Fabricius*. In notis emendationes quoque Scaligeri & Casauboni insertæ, ad quos folia miserat excusa.

1602.

ADRIANI Isagoge in Scripturam S. primus ex eod. msc. græce vulgavit David Hæschelius Aug. Vind. 1602. 4. adjecta sunt argumenta duodecim Prophetarum, quæ Hesychium Hierosolymitanum auctorem habent. (*b.*)

1602.

D. JOANNIS CHRYSOSTOMI contra Judæos Homiliæ VI. Græce nunc primum III. mss. Codd. Palatino, Augustano & Cyprio inter se collatis, Latine partim modo, partim emendatiores ac integriores, quam ante editæ opera Dav. Hæschelii Aug. Augustæ è typogr. Jo. Prætorii 8. præmissæ Epistolæ Margunii, Constantini Lucani, Leontii Eustrathii, Josephi Scaligeri. In fine additur *Isidori Pelusiotæ Epistola de abolita Judæorum politia* (*c.*) Typi Welserianos referunt. Dedic. Erhardis fratribus.

1603.

Eclogæ Legationum Dexippi Atheniensis, Eunapii Sardiani, Petri Patricii & Magistri, Prisci Sophistæ, Malchi Philadelphensis, Menandri Protectoris, cum corollario excerptorum è libris Diodori Siculi amissis. Omnia è MS. Cod. à Davide Hæschelio Augustano edita, Aug. Vind. typis Jo. Prætorii ad insigne pinus 4.

Inscrip-

(z.) Conf. *Dan. Heinsius in præf. Aristarchi.*
(a.) *De Script. rer. Byzantin. p. 395.*
(b.) Vid. *Fabricius Bibl. Gr. Vol. IX. p. 381. 382. B. Buddeus Isag. in Hist. Theol. lit. p. 1429.*
(c.) *Fabricius Bibl. Græc. Vol. VII. p. 651.*

Inscripsit egregium opus Jo. Matth. Wackero à Wackenfels, Eq. S. C. M. Conf. aul. debetur hæc editio liberalitati M. Welseri. Quo beneficio iste Consiliarius Imperatoris Nostrum, in reip. literariæ commodum ornarit, uti in Dedicatione fatetur, incertum. Ex quibus codicibus ista hauserit peculiari pagina indicavit, & veterum judicia præfixit, annotationes vero nullas adjecit. (d.)

1604.

Ecclesiasticus, recensitus ad vetustissimas membranas Bibl. Aug. & quatuordecim praeterea exemplaria tum MSC. Codd. Palatinos tum varios editos, addita versione vulgata latina ex editione Romana & notis suis editus à Davide Hæschelio Aug. Vind. 1604. 8. Inserta est hæc editio Græca notæque *Criticis sacris Anglicanis.* (e.)

1605.

ORIGENIS contra Celsum libri VIII. & Gregorii Neocæsar. Thaumaturgi Panegyricus in Origenem, à Davide Hæschelio ex bibliothecis Elect. Pal. Boja & Aug. Græce & Latine nunc primum editi. Accessere notæ & indices. Aug. Vind. ad insigne pinus. 4. imprimebat Dav. Franck. alph. 5. pl. 11.

Inscriptus liber Carolo Rehlingero, Dn. in Burckvvalden, Scholarchæ, cujus liberalitate typis vulgatus est. Interpretatio est *Sigismundi-Gelenii*, passim tamen correcta: in margine variantes lectiones & loca veterum adjecta, in notis ἀποσπασμάτια veterum, imprimis Origenis ex Philocalia inserta: additæ quoque in fine breves notæ *Laurentii Rhodomanni* (f.).

Ii 2 *PRO.*

(d.) *Fabricius Bibl. Gr. Vol. VI. p. 230. 491.*

(e.) Vid. *Jo. Fabricius Hist. Bibl. suæ T. I. p. 278. Le Long Bibl. Sacr. P. I. p. 440. Jo. Frid. Mayer Biblioth. Bibl. diss. ult.*

(f.) Conf. *Fabricius Bibl. Græc. Vol. V. p. 219.*

1607.

PROCOPII Cæsariensis Historiarum libri VIII. nunc primum Græce editi, accessit liber de ædificiis Justiniani, fere duplo quam ante auctior, Aug. Vind. fol. alph. 4. pl. 18. Editus è Codd. Bojo, Scaligeri & Casauboni: sumtus libro typis Velserianis edito subministrarunt Jo. Georg. Oesterreicher, Jo. Knebher, Wolfgangus Emekofer. Inscriptus est Duumviris Reip. Norimbergensis (g.).

1610.

Alexiados libri VIII. ab ANNA COMNENA de rebus à patre gestis scripti, nunc primum à Davide Hœschelio A. ex Aug. Reip. bibliotheca editi, Aug. Vind. ad insigne pinus 4. alph. 1. pl. 1. Dicavit Duumviris Augustanis M. Velsero, Jo. Jac. Remboldo. Laceræ tamen hæ reliquiæ & male passim habitæ, quod in monitione præfixa indicat, & Latinorum de Annæ fide judicia adjungit (*b.*)

1611.

S. ATHANASII vita S. Antonii Eremitæ, è Codice Boico nunc primum edita, cum Davidis Hœschelii Augustani interpretatione ac notis Aug. Vind. ad insigne pinus imprimebat David Franck 4. pl. 21. (*i.*)

Inscriptus libellus Græca Epistola Antonio Velsero.

1614.

PHILO περὶ τῆς ἑβδόμης de numero septenario, Græce editus à Dav. Hœschelio; A. Vind. 4. Adjecta fragmenta

(*g.*) *Idem Vol. VI. p. 251.* ubi excepta ex epistola Nostri ad Jungermannum notanda.

(*b.*) Vid. *Hanck. de Script. rer. Byzantin. P. I. p. 513. Baecler. Bibliogr. crit. p. 311.* & præcipue *Fabricius Bibl. Græc. Vol. VI. p. 391.*

(*i.*) *Idem Bibl. Græc. Vol. V. p. 302.* Ingolstadii editam male, ut in aliis quoque, *Spizelius l. c.* asserit.

menta duo libri eiusdem *de providentia*; deinde *Nicetæ de septem mundi admirandis*, denique locus *Hippocratis de septem gradibus vitæ humanæ*, & *Gregorii Nysseni ex sermone de Pentecoste de numero septenario* (*k.*).

§. VII.

His potissimum laboribus ingeniique ad optimam eruditionem nati & formati fœtibus Hœschelius immortalem sibi nominis gloriam peperit. Plura enim de eo mihi non constant (*l.*), etsi triennium adhuc

 super-

(*k.*) *Fabricius Bibl. Græc. Vol. XIII. p. 302.*

(*l.*) *Homilias septem Chrysostomi contra Eunomianos* cum interpretatione Erasmi emendata se publicaturum, sexque alias cum duobus msc collatas recudendas curaturum, Hœschelius *ad oram Catal. msc. Bibl. Aug.* notavit. Nihil tamen earum editum esse reperi, nec notavit diligentissimus *Fabricius*, qui *Bibl. Græc. Vol. VII. p. 654.* Homiliarum editiones recenset. In eo factum esse conjicio, quod circa illa ipsa Hœschelii tempora & Fronto Ducæus Parisiis, & Henricus Savilius in Anglia in edendo Chrysostomo industriam ponebant, qui etiam eas expresserunt, vid. *Cas. Oudinus de Script. Eccl. T. I. p. 702. seq.* Plutarchum quidem ab Hœschelio editum esse, personatus *Clarmundus* in *Biographiis vernacula editis P. V. p. 22.* asserit, verum is sine dubio Lampriam de scriptis Plutarchi patris cum Plutarcho confudit. Quod si *B. Spizelii* relatione in *templo honoris reserato p. 334.* standum est, edidit quoque Hœschelius *Terentii Afri Comœdias sex, Germanico-Latinas, una cum Matth. Schenckio Augustæ 1624. 8.* Sed nec aliquid earum videre licuit, & admodum omne illud mihi suspectum est. Obiit enim Schenckius 1571. quo tempore Noster adhuc inter discipulorum subsellia versabatur; ut taceam anno 1624. utrumque diu vivis ereptum fuisse; &, nisi me conjectura fallit, confunditur cum Nostro *Bernardus Heupoldus*, Gymnasii sub Hœschelio Præceptor, quem

ſupervixit, ſed cum anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto finem ſcribendo impoſuiſſe videtur, quo anno Muſæ, imprimis Auguſtanæ, mortale vulnus per mortem Marci Velſeri acceperunt. Tum enim typographeum Velſerianum, ex quo ab anno 1595. optimos auctores edidit Noſter, finem habuiſſe probabile eſt, rebus domeſticis magni viri poſt ejus funera nonnihil impeditis. Verum & tempus relinquendum erat Hœſchelio ad æternitatem meditandam & colligendas tanto itineri ſarcinulas, Ejus interim nomine atque honore & laudibus ſemper manſuris. Qui cum Te, Venerande SOCER, ſucceſſorem nactus ſit, qui veſtigia Hœſchelii de Gymnaſio & Bibliotheca inſigniter merendo premis, reviviſcit in Tua imagine, & ominantur mecum, quotquot Te amant, Teque norunt, Tibi æternam nominis gloriam. Scrib. Kaufbyræ Cal. April. A. S. R. M.DCC.XXXVIII.

DUm vero finem impono huic diſſertationi, commodo in manus incidunt *Marquardi Gudii* & *Claudii Sarravii Epiſtolæ*, quibus junctæ ſunt aliæ virorum doctorum, editæ à *C. V. Petro Burmanno*. In elegantiſſimæ enim hujus collectionis *Tom. I. p. 187. ſeqq.* occur-

quem Terentium ita edidiſſe recordor. Id quod etiam ad *B. Fabricii Bibl. Lat. T. II. p. 45.* notandum, qui eadem ex Spizelio retulit. Ceterum in manibus eruditorum varia mſc. à Hœſchelio deliteſcunt. E. g. in *Bibliotheca Bodlejana Oxonienſi in Apotheca Caſauboniana Part. V.* occurrit *Davidis Hœſchelii de Cœna Domini.* vid. *Cat. libr. mſc. Angliæ & Hiberniæ Oxon. 1697. fol.* editus *T. I. P. I. p. 265. n. 67.* ad H. Stephanum ſe quaſdam obſervationes in Thucydidem miſiſſe ipſe notat in *amnot. in Damaſceni or. de transfig. Chriſti.* Annotationes quoque Hœſchelii *ad Stephanum* mſc. extare in Bibliotheca Argentoratenſi refert *Beclerus Bibl. crit. c. V. p. 162.*

occurrunt quatuor Epistolæ *Davidis Hæschelii* ad *Joannem Kirchmannum*, & una ad *Joannem Meursium*, omnes luculenti testes & voluntatis Nostri erga viros doctos, & exacti in rebus ad criticam artem spectantibus judicii. Ex his Epistolis, quæ hactenus dicta illustrant & confirmant hæc potissimum notanda & suis locis inserenda existimo: Ep. CII. Hieroglyphica, & Indicem msc. deberi æri Velseriano; non fuisse nostrum poëtam & tamen non inelegans epigramma Græcum condidisse; Ep. CIV. Bibliothecam Photii Latine ad insigne pinus impressam esse sumtu Velseriano; Ep. CVI. Andronici tam pauca exemplaria esse impressa, ut haud sciat, ullane Francofurtum venerint. Imprimis vero promissa & affecta Hœschelio notanda sunt, quæ tamen nunquam lucem viderunt, morte & magnum ejus patronum Velserum & paulo post illum ipsum quoque vivis eripiente. Scribit enim Kirchmanno, se insudare *Porphyrio περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων* itemque *Gnomicis scriptoribus* cum tribus Codd. msc. collatis, quod & *B. Fabricius Bibl. Græc. Vol. I. p. 436.* monuit; imprimis vero *totum se esse in recognoscendis Epicteteis Enchiridio, Simplicio, Ariano, inde ad Cyrilli adversus Julianum Apostatam libros accessurus.* De quo Epicteteo labore etiam *ad Jungermannum 1608.* (quadriennio priusquam ad Kirchmannum ista 1612.) scripserat: *Animus erat dare Epicteteа, enchiridio cum tribus mss. codicibus, Simplicio cum duobus collatis, emendata hinc inde ab ipsomet Wolfio, interpretatione notisque auctioribus. Sed idem cogitare Heinsium ex D. Bongarsii literis intellexi, ut jam totus hæream, exspecto tamen responsum, si dignabitur dare, illustris Scaligeri*, conf. *Fabricius Bibl. Græc. Vol. III. p. 267.* Quando vero Hœschelius ad Joannem Meursium *l. c. p. 190. Ep. CVI.* scribit: *Herodis inscriptionem abs te versam habeo è tuo autographo, atque ut Casaubonus noster edidit, unde minus de Glossariensi* (lege Goslariensi 1608. 4. & confer *Jo. Fabricium Hist.*

Bibl. suæ T. V. p. 223.) *laborabam editione, ad quam negabant, quicquam accessisse, neque ullum ejus exemplum venale prostat*, scire lectorem velim, hanc ipsam Casauboni editionem Hœschelio transmissam cum versione αὐτογράφῳ msc. Meursii & emendationibus Nostri, quas in hac Epistola cum Meursio communicavit, tineis & squalori ereptam in manus meas feliciter incidisse, & cum Celeberrimo Operum *Meursii* editore *Jo. Lamio* eam anxie quærente fuisse communicatam, qui eam operibus Meursianis inseret, illud ipsum vero κειμήλιον postea à me, ne pristina fata experiatur, Bibliothecæ Augustanæ illatum esse. Ceterum & Epistolam Hœschelii ad *Joach. Camerarium* Norimbergensem Archiatrum legere licet in *Th. Crenii Animadv. Philolog. & Historicis P. VI. c. 3. §. 2. p. 184.* testem benevolentiæ Hœschelianæ erga viros doctos, ubi etiam indictum aliis *Casp. Scioppii in Arte Critica p. 19.* judicium de Hœschelio expressum est, testantis, eum abiturientes ex Germania Græcas literas reprehendisse.

* * * * * * * * *

V. JA-

****

V.

JACOBI BRUCKERI
Diſſertatio Epiſtolica
Ad
Perilluſtrem Virum
D. WOLFG. JACOBUM SULZERUM
Reip. Auguſtanæ Duumvirum Præfectum;
Qua
Mâgni olim Auguſtanorum Polyhiſtoris
HIERONYMI WOLFII,
Vitæ ab ipſo confectæ, nec dum editæ,
Synopſin exhibet.

LÆtiſſimis plauſibus, fauſtiſſimisque acclamationibus, PERILLUSTRIS DOMINE DUUMVIR, dum Auguſta patria perſonat, quæ ad divinæ Pronoeæ aras ſupplex, devotiſſimæ mentis offert ſacrificia, quod, erepto ſibi & ad beatiſſimas ſedes translato, qui hactenus gubernaculum reipublicæ moderatus erat, patre patriæ, Te potiſſimum, novum quaſi Atlantem nacta ſit, qui tanto oneri humeros ſupponeret fortiſſimos: ignavus merito cenſendus eſſem atque plane ingratus, niſi abſens quidem, affectu tamen civi ingenito gratulantium turbæ mix-

tus comparerem, & ex vicinia ingeminatum feliciter! acclamarem. Cum enim, judice Tullio, non nobis soli nati simus, sed partem quoque nostri patria sibi vindicet, non potest ulla locorum intercapedo esse tanta, ut communis lætitiæ fontem ad cives undiquaque degentes profluere impediat, mentesque eorum ad congratulandum non excitet: nec privatæ pietati licet inter publica vota tacere, jubetque potius, preces jubilis devotas jungere, universa civitate in exoptatissima de futura felicitate vaticinia conspirante. Nec tamen communi tantum excitatum lætitia calamum & scriptionem postulat officium, quod & me inter cives esse monet, quibus de salutis suæ statore tanta benevolentia prospexit divina providentia; sed & singularis devotissimæ mentis ardor, & gratissima tanti patrocinii, quo hactenus Musis meis frui licuit, memoria, debitam injungit observantiam. Et qui possim aliter, quam non patriæ solum, cui auspicatissima in novo Præside summis reipublicæ gubernaculis admoto sidera illuxerunt, sed & reipublicæ eruditæ bonisque literis, quas coli & florentes conservari, tantis hactenus, VIR SUMME, benevolentia, labore, præsidiis curavisti, exoptatissima fata prædicere, suavique futuri solatii vaticinio communem temporum nostrorum levare miseriam, cum, qui Te, PERILLUSTRIS DOMINE, norunt (intelligunt vero omnes, & innumeris testimoniis compertum habent, quanta à Te in patriam beneficia profecta sint, qui virtutem, candorem, fidem suspiciunt) unanimi ore, votivaque mecum mente consentiant? Quodsi beneficiorum & officii immemores taceant ingratæ linguæ, loquetur curia, loquetur civitas, loquetur Ecclesia, loquentur scholæ, loquetur chorus patriæ literatus, quantum in TE nacta sint præsidium, quantumque inde reipublicæ sacræ & literariæ pollicendum sit incrementum, quanta

ta ſperanda felicitas. Et profecto, niſi, quæ excellentiſſimarum virtutum & immortalium meritorum Tuorum ſplendorem rariſſimo exemplo comitatur, modeſtia intercederet, quæ præſtando magis plurima, quam magnifice deprædicando ſingula nominis æternitatem juſtis ſperat legibus, niſi faſtigio non muneris tantum, quod ſuſcepiſti, ſplendidiſſimi, ſed & virtutum conſummatarum calami exilitas eſſet impar, liceret ſane publicis deprædicare encomiis, quam magnificum Patrum Conſcriptorum Collegium, quam Eccleſiæ orthodoxæ antiſtites, quam ſcientiarum & artium doctores, quam artifices exquiſitiſſimi, quam tota Auguſtanorum civitas, & quam ipſa, ringens quidem, invidia fatentur ultro & extollunt, & tot ſpeciminibus convicti gratæ poſteritati tradunt, SULZERIANI nominis gloriam. Tuæ enim prudentiæ & conſilio quid patria debeat, novit curia, loquitur ærarium, teſtatur ædilitas; quanto fervore & pietate pro gregis Chriſtiani libertate & cauſa JESU CHRISTI vigiles, enarrat Eccleſia; quibus curis rem juveris ſcholaſticam & literariam, extollit, Te præſide, auctus & ornatus Parnaſſus Auguſtanus & celebre Gymnaſium: quanta æquitatis & ſapientiæ laude rem opificiariam artesque etiam nobiles promoveris, enumerat grata civium Cohors. Quæ omnia & his majora etiam cum magnifica abunde ſint, næ infacundo me interprete opus non habent. Licebit tamen, quæ propiore forte, quam alii, experientia novi, ore grato deprædicare orbi literario: qui toties ad Te benevolentiſſime admiſſus, eos vidi & audivi eruditionis, non civilis tantum, ſed & literariæ, theſauros, toties à Te doctior diſceſſi, toties prudentiſſima ſuſcepi conſilia, toties ex inexhauſtæ lectionis horreo in condendis patriæ virtutis & doctrinæ memoriis adjutus ſum, ut quid porro literis in patria urbe ſperandum de Te ſit, omnium optime

intel-

intelligam, jureque de Te fatear, quod de magno Welſero, ut Duumviratus honoribus, ita eruditionis gloria tibi anteceſſore, faſſus eſt ὁ πάνυ Hœſchelius noſter (a.), per hunc patriæ noſtræ ocellum literas hic vere renaſci, quæ alio loco (b.), ne ad priſtinam barbariem, unde vix emerſæ erant, relaberentur, timuerat. Qui itaque grata in doctrina præſtantium virorum cineres pietate laudes civium jure quodam aliquoties cecini, cur non Wolfium, non Hœſchelium, non Wegelinum, non Ehingerum, literatiſſimos olim patriæ noſtræ cives, in deprædicandis Mœcenatum ſuorum in literas meritis ſedulos gratosque imitatus, vivi & florentis rei literariæ inter Auguſtanos hodie ſtatoris meritis thura adoleam, & inter gratulantium choros, non pietate tantum civili, ſed & amore erga renaſcentes ſub hoc Apolline literas votivas preces exhibeam? Numen itaque clementiſſimum, cujus curæ tam exoptatiſſimum reipublicæ Præſidem Auguſta debet, quodque deſideratiſſimæ patriæ aurea ſub eo pollicetur ſecula, throno ejus advolutus humillime, ardentiſſimis compello precibus, ut feliciſſimum, quod patriæ ſaluti exortum eſt, ſidus cœleſtis gratiæ ſplendore ita irradiet, ut ab eo & gloriæ & honoris lumina, incrementorum omnis generis calore aucta, in patriam reflectant, novaque ratione tanto ſub Præfecto Auguſta fiat auguſtior. Ita fiet, ut & animi ad excelſa quæque nati vires, tanto oneri ferendo pares, & corporis vigor inexhauſtus, & immortalis nominis gloria, & æternus aviti ſtemmatis honor, tanquam juſtiſſima Tuam, VIR PERILLUSTRIS virtutem conſequantur præmia. Ita vero renaſcentibus quoque literis Auguſtano pomo ſuus

(a.) *In Dedic. Horapollinis ad M. Welſerum.*

(b.) *In Præf. nomenclatoris Græco-Latino-Germanici, Aug. Vind.* 1593. 8. editi, qui libris ejus â me in Diſſ. de *meritis Hœſchelii in Græcas literas* enumeratis poteſt adjici.

ſuus porro erit honor (*c.*), habebitque Auguſta, quem togatis priorum ſeculorum heroibus adjungat: certabunt inter ſe Muſarum filii in deprædicanda ſeculi noſtri felicitate & flore ſcientiarum, à tanto Mœcenate promotarum. Sic & Muſæ meæ nova ſæpius enaſcetur occaſio, Tuæ PERILLUSTRIS DOMINE, magnificentiæ duratura erigendi monumenta. Quale ut & præſente ſcriptione excitem, & invitetur erudita gens ad pernoſcenda Tua ſumma merita, veniam devotiſſime expeto, de vita magni olim Auguſtani Heliconis ornamenti, HIERONYMI WOLFII, quem illuſtriſſimi ANTONII FUGGERI liberalitati & eruditorum patrocinio Auguſta debuit, pauca ex iis potiſſimum ſchedis ὡς ἐν συνόψει exponendi, quas ipſe celeberrimus Philologus vivus conſcripſit (*d.*), quasque integras editum iri, optamus forte magis, quam ſperamus.

Patentem habuit HIERONYMUS WOLFIUS, vitæ ſuæ more veterum & recentiorum quorundam (*e.*) ſcriptor, Georgium Wolfium, in veteri comitatu Oetingenſi, nec virtute, nec dignitate, nec eloquentia poſtremum, opibus meliore illa ætate, moribus admiratione minus corruptis & ab egeſtate & a contemtu facile vindicaretur. Vetuſtate generis, & equeſtris ordinis dignitate is paucis ceſſerat, Genus & Parentes.

(*c.*) Dixi de hoc lemmate typographiæ & ſocietatis Welſerianæ *l. c. p. 20.*

(*d.*) Vid. *ibid. p. 8. Matthæi Dreſſeri* Orationem *de Hieronymo Wolfio* mihi non viſam laudat. *M. Adami* vit. *Phil. p. m. 308.* qui ibi quoque vitæ Wolfianæ compendium exhibet. Ex hoc fonte omnes hauſerunt, qui res Wolfii enarrarunt, hiſtoriæ literariæ ſcriptores.

(*e.*) Ipſe Noſter quædam exempla in exordio ſcriptionis hujus affert, plura laudat *P. D. Huetius in fine Comm. de rebus ad eum pertinentibus.*

ferat, cujus infignia inter fundatores monafterii Cæfarienfis prope Werdam Danubii in templo videntur. (*f.*) Auus nobilitatis infignia decorans, Oetingenfibus Comitibus & Reipublicæ Auguftanæ, cujus quadringentos milites duxit, operam navavit ftrenuam: Scilicet propagata familia Wolfiorum à Pincernis à faltu aprugno, quam ftemmatis originem eleganti carmine celebravit Wolfius (*g.*). Natus eft in arce Oetingenfi A. R. S. M. D. XVI. Idibus Augufti, intra 6. & 7. horam à meridie. Quod tempus cum πλατυκώτερον à mulierculis præfentibus annotatum ipfe moneat, miramur merito, virum haud obefæ naris tanti tamen feciffe Aftrologicæ artis partem μαντικὴν, ut ex horofcopo thematisque genethliaci figura totam vitæ fuæ, parum fibi more fuo placentis, fcenam inftruxerit, & prolixe in ipfo Commentarii fui limine his nugis immoratus fit, quam ἀςρολογομανείαν merito in eo reprehenderunt viri docti, indeque judicium veris philofophiæ præceptis non fatis fubactum collegerunt (*h.*) Docte tamen ex artis illius præceptis in hoc argumento verfatus eft, fatisque prodidit, ipfum nec à veterum, nec à recentiorum lectione fuiffe imparatum. Dignum tamen

Nativitas.

(*f.*) Infignia familiæ fuæ exhibet Nofter in *Prolegom. ad fententias Ifocratis Bafil. 1572.*

(*g.*) Adjecit hoc carmen dictis prolegomenis. Alia vero hæc eft familia Wolfiorum à Joannis Wolfii genere, celebris editis lectionibus memorabilibus, quem cum Hieronymo confundunt Bailletus apud *Teiffier. eloges des hommes Savans T. III. p. 172. Bœclerus bibliogr. crit. p. 450.* notatus ideo *Mollero Homonymofcop. Add. P. II. c. 7. p. 141.* & *Kraufio ad l. c. Bœcleri. Diar. erud.* apud *Blount. Cenf. celebr. Auctor. p. 766.*

(*h.*) Cel. *Heumannus Act. philof. Vol. III. p. 443.* qui hanc ejus de aftrologiæ fide opinionem ex annotationibus ad *Morellij tabb. hift. Phil. p. 30.* notavit.

men ex hac natalis ſui conſtellatione memoratu, quem ipſe inde elicit vitæ ſuæ characterem notamus: Factum inde eſſe, ut & animus naturali quadam deſperatione fractus nimium ſe abjiciat, & in diverſas diſtractus partes unum eundemque vitæ ac ſtudiorum curſum tenere non poſſit, & nihil purum putum decernatur; ſed ſi quid mellis inſtillatum fuerit, multo ſemper felle permiſceatur, & laboribus neque dignitas, neque gratia, neque auctoritas, neque præmia reſpondeant, ſæpe & ſucceſſus egregiis conatibus deſit, immo & infortunium, odium, invidia, obtrectatio, contemtus benevolentiam & ſtudium remunerentur; & fortuna oſtentetur ſæpius, nunquam contingat optata. Quas, animi magis ſui, quam vitæ, lineas per totum Commentarium ubique exprimit, moroſumque ſenem, nunquam præſentibus contentum & de præteritis quiritantem atque inter ambitionis & deſperationis ſcopulos, timidique & elati animi ſyrtes fluctuantem ſæpiuſcule depingit. Recte vero hunc animi characterem ſecutam fuiſſe fortunam ad illum ſe effingentem notavit vitæ ejus ſcriptor cetera brevis MELCHIOR ADAMI (*i.*).

Fratres. Præter ſorores tres, quarum in ſe fidem & amorem maxime prædicat, fratres ante ſe habuit natos duos, poſt ſe duos etiam, ex quibus reſtabat tum Henricus, philoſophiæ & medicinæ Doctor, Norimbergenſis Phyſicus, quem in arte ſua celebrem & apud nobilitatem gratioſum ætate licet minorem ſe & prudentia & proſperitate non minus, quam opibus & dignitate & totius vitæ proſperitate longe ſuperaſſe ſe ſcribit.

Infantia. Infantiam multa mox mala preſſiſſe conqueritur, matrem in inſanabile τῆς παραφροσύνης malum incidiſſe, peſtilentiam in fratrem natu majorem & ſorores graſſatam fuiſſe, œconomiam

(*i.*) *l. c.* Paſſim in ſuis præfationibus ſe ita μεμψίμοιρον præbet, & nunquam ſua ſorte *contentum*.

am paternam dissipatam : nec multo post ipsum quoque & intestino apostemate plane deploratum, chirurgi tamen cujusdam potione fuisse sanatum : sæpeque in vita postea variis miseriis jactatum illud Æneæ ingeminavisse :

O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere!

Ex hoc morbo distortus ei nonnihil sinister oculus fuit, dextro firmior accessit acies. Ad undecimum ætatis annum partim rure, partim in belli servilis tumultibus Nördlingæ cum sacrificulo vixit, parum tamen tam ob inconstantiam studiorum, quam paternæ œconomiæ dissipatio attulerat, quam ob inscitiam & injurias plagosi sui Orbilii ultra lectionem & scriptionem (quæ nec elegans nec distincta satis fuit, ut multis speciminibus vidi) profecit (k.) : quam inepti magistri asininam ignorantiam ridiculo exemplo illustrat, hic ubi compendium narrationis damus, non memorandum. Id quod patrem Wolfii permovit, ut Theobaldo Gerlachio Billicano, Theologiæ Doctori, Viro excellenti facundia & doctrinal, Nördlingæ eum traderent instituendum, a quo Græcas & Latinas literas & dicendi ac disserendi artem edocendus esset : cujus tamen disciplinam paulo severiorem horrens, Norimbergam ad Christophorum Julium, clarissimum JCtum fuit missus, ab eoque Sebaldo Heideno viro ingenio & eruditione præstanti, solertissimoque instituendæ pueritiæ artifici fuit commendatus, cujus institutione ab anno 1527. ad 1530. usus est cum aliqua ingenii & industriæ laude. Tum à Sebaldo præceptore in Ægidianum, quod Senatus Norimbergensis munificentia ex monasterio erexerat, Gymnasium missus est, ubi tum magni viri, Joachi-

Educatio.

(k.) Conf. *præf. ad Guil. Morellii tabulas hist. philos.*

Joachimus Camerarius Græcas & Latinas literas ac philoſophiam, Eobanus Heſſus poëtas Latinos, Michaël Rotingus dicendi artes, Joannes Schonerus Mathemata, Joannes Boſchenſtein Hebræam linguam docebant. Quia tamen immatura id ætate fiebat, XIII. annum enim vix expleverat, parum ei utilitatis attulit virorum præſtantiſſimorum induſtria, cum omnia ei obſcura & difficilia viderentur. Et cum tandem aures ei aperirentur, & fructus aliquis ex iis, quæ tradebantur, ad animum ejus redire videretur, parentis literis triſtiſſimus in patriam revocatus eſt, id quod non exiguam rerum omnium deſperationem ei attulit; ſic ut puerili iracundia parenti ſcriberet, ſe delectari ſtudiis & præceptorum judicio iis aptum eſſe; ſi abſtrahendum pater duceret, ſartori vel ſutori inſtituendum traderet, ejus voluntati parere neceſſe ſibi eſſe. Quod patrem valde initio iratum permovit, ut ſe commodis & honori ejus rectius ac melius, quam pro ſtultitia ejus, conſulturum promitteret. Placato itaque patre, & commendationibus præceptorum auctus domum rediens, laudata ejus diligentia & doctrina, à parente Cancellarii Comitis Oetingenſis, Chriſtophori Julii JCti præſtantis & omni genere literarum eruditi ſervitiis deſtinatur, facta ſpe aliquando in ſcholam redeundi. Quod patris conſilium ideo conceptum fuiſſe, ipſe Noſter fatetur, ut natura ejus triſtior & ſeverior, ac ſolitudinis quam frequentiæ amantior, aulica hilaritate dilueretur, & iracundia cum pertinacia quadam conjuncta conſuetudine dicteriorum emolliretur: id quod feliciter ceſſit, factusque eſt Wolfius ove quavis placidior. Cui cum probitas, diligentia, modeſtia accederent, à Cancellario & aulicis vehementer dilectus eſt. Cum vero ob collegæ, in conclave ſcribis in arce deſtinatum eum non admittentis, pertinaciam, in publico hypocauſto libelli legendi vel ſcribendum illi eſſet,

 ſibili

ſibili & dicteria & vellicationes & grando oſſium & calceorum ſequebatur, quæ importunitas eum coëgit in montem vicinum vel rus concedere, ut deliciis ſuis frueretur. Laudatque tunc cum emolumento lectos ſibi Eraſmi Roterodami, Philippi Melanchthonis & Jo. Ludovici Vivis libellos, quos cum poetis aliquot Norimbergæ de ſuo peculio, fraudato etiam genio ſuo, & neglecto veſtium ornatu, ſibi paraverat. Multa tamen non intelligebat, cum ei deeſſet Lexicon, & Cancellarius, vir cetera eruditus, in eo genere ſtudiorum, quo Wolfius delectabatur, minus eſſet verſatus, poëſi & lingua Græca: qui quoque ſæpius eum hortatus erat, ut, omiſſis nugis iſtis, Jurisprudentiæ ſe daret, ut & reipublicæ inſervire, & rationibus ſuis conſulere poſſet, quare & inſtitutiones Juſtiniani ei interpretabatur. Ipſe vero à JCtis, quos injuſtitiæ magis antiſtites, quam juſtitiæ ſacerdotes ſæpius eſſe, audiverat, valde abhorrebat, ignarus eadem re & bene & male uti licere, quod Cancellarium permovit, ut invitis canibus venari velle deſiſteret, ea vero ipſi prædiceret, quæ ſuo poſtea malo in ſcholaſtico vitæ genere expertus eſt. Quam imprudentiam ſuam gravi querela deplorat Wolfius. Cum vero libri neceſſarii deeſſent, induſtria ſupplendum ratus, mane hora quarta ſurgebat, excitatus à vigile, & in dicendi & fingendi arte ſe ſatis infeliciter exercebat, conſcriptis iis, quæ in buccam venerant, cum non eſſet, qni emendaret, & parochi quoque filiis Terentium prælegebat, νεόφυτος διδάσκαλος. Quia vero huic vitæ generi deditus, ab aulicis tanquam fatuus & lunaticus ridebatur, id quum ille ægre ferret, conſilium cepit agendi aulicum. Libris itaque in ciſta concluſis pugionem, ornatum pileolum, faſcias tibiarum & alia aulicos decentia ſibi comparaturus, Nördlingam ad mercatum properat, & mercatores peregrinos jam abiiſſe videns, dum tabernas ingredi

pude-

pudebat præ nimia timiditate & δυσωπία rediturus domum, bibliopolam offendit, qui libellos Francofurto allatos expoſuerat, inciditque in Valerium Maximum, & Lexicon Græco-Latinum à Gilberto Longolio editum, & opuſcula quædam poëtica & rhetorica: quibus emtis domum properat & cum Muſis ſuis in gratiam redit, &, quod in auſa occaſio deeſſet, de reditu in ſcholam dies noctesque cógitat. Quibus curis intentus in morbum incidit, quem cum partim diſſimularet, partim ipſe ſanare intempeſtive tentaret, vires tam corporis, quam ingenii valde debilitatæ ſunt, adeo ut iſta moleſtia per ſeptem annos conflictaretur; quod tamen mali genus, quod gonorrhæam fuiſſe indignabundus Græcis literis adjecit, à Veneris cujusdam ira ſibi propullulaſſe ſuſpicatus eſt, cum caſtiſſime vixiſſet, & ſemper ſtudiis invigilaſſet. Nec conſulto etiam medico Nördlingenſi mali vis tolli prius potuit, quam fratris juſſu 1541. in thermas ferinas iret, quæ aquæ ſalutares ei ſæpius fuere. A patre itaque impetrata promiſſione, ſe ſumtus annum unum alterumque eius ſtudiis facturum, 1535. Cal. Mart. Norimbergam rediit ad veterem præceptorem, à vini copia ad ὑδροποσίαν, & inter pueros magiſtro aſſidens addidicit, quæ ignorabat. Ægidianum vero Gymnaſium plerisque doctoribus ſupra laudatis privatum offendit. Joachimum itaque Camerarium Tubingam abeuntem illuc ſecutus eſt, inepte vero, de ſtudiorum ratione ineunda, præ verecundia eum non conſuluit, quo factum eſt, ut incerta utriusque linguæ cognitione impeditus optimos auctores exiguo cum fructu explicantem audiret. Id quod etiam ipſi in auditis Bigotii, Cæſarii, Gebhardi, Hildebrandi lectionibus philoſophicis & mathematicis evenit. Proficiebat tamen ex Schegkio Lucianum, Camerario Sophoclem, Benigno Quintilianum, Vejo Saluſtium interpretantibus. Sebaldi etiam Stauenreuteri

 priva-

privatæ ei lectiones commodabant. Quia vero parens biennii tempus ei definiverat, quo relictis studiis in aulam regis Ferdinandi eum ablegare constituerat, ut tempus sine sumtibus duplicaret, sordidum famuli communis munus lætus atque alacer suscepit, tanta frugalitate usus, ut non nisi, si fontana aqua per imbres turbidior esset, vinum biberet: qua paupertate, virtutis & industriæ parente, valde gloriatus est Wolfius. Tum interpretatus est Rector Collegii Schegkius Evagoram Isocratis, quæ prima Nostro occasio fuit, auctorem hunc legendi & edendi postea sæpius. Multum se passum refert Wolfius in eo munere à juvenibus, quibus contra mandatum Rectoris portas noctu aperire recusaverat, eamque causam fuisse, ut missionem peteret, à patre præterea decumbente avocatus, qui lapsus ægrotabat. Ei dum ministrabat tempus carminibus faciendis terit, parentis ministerio minus, quam postea factum vellet, curato, à quo, quod ipse dolens refert, multa humanæ vitæ utilia discere potuisset, quæ, sibi vivens librisque suis, neglexit; quem sibi in senio adhuc morem difficilem esse, ut cum nemine, nisi vocatus, congrediatur, fatetur, indeque evenire ait, ut in frequenti urbe ea sibi ignorentur, quæ lippis & tonsoribus nota sunt. Quam tamen vitam anachoreticam fraudi sibi apud multos esse, & obtrectationes genuisse minus bene de se sentientium, non negat. Parentis vero morbo moram trahente Tubingam redire ad studia jussus est, parens vero triduum post 20. Apr. 1536. ex subita narium hæmorrhagia obiit. Canes ea nocte lugubriter ejulasse refert Noster, quod dum notatum video Wolfio, in mentem venit Hieronymus Cardanus, vir magnus, sed superstitione, astrologiæ judiciariæ amore & fide, ominumque & similium observatione sæpius notatus, quem in hac quidem animi inclinatione valde Wolfio nostro plus semel obser-

observavi similem (l.). Parentis obitu in patriam constituendæ rei familiaris causa Tubinga revocatus, bis salutis & vitæ periculum fecit, divina providentia ictus telorum improvisos duos ab eo avertente: qualia divinæ tutelæ specimina, quæ sibi in vita evenissent complura, hac occasione narrat. Inter quæ & errores in sylva, atque sitim inde magnam ortam enumerat, lacte tantum in casa rustici cujusdam extinctam, unde læso hepate sibi ad eum diem usque exortos dolores hypochondriacos putabat, ideoque quoque repudiato vino Neccarico, tanquam à sole minus cocto, vina optima expetebat, quod sibi ut vinolentiæ vitium, quemadmodum jocos inter raras sibi epulas ut licentiam, exprobratum esse conqueritur, hancque severitatis domesticæ & dolorum intestinorum respirationem fuisse innuit, interposito quoque usu confectionis διὰ ῥόδων à Gassaro suppeditatæ, quam cum nuce muscata annos sibi prorogasse, alias pauciores futuros, monet. Quam morborum seriem & causam in inopiam vini generosi & optimi rejicit. Tubingam reversus totum se Jurisprudentiæ dare constituerat, & collegia JCtorum ideo adibat, quorum tamen prælectiones se non intellexisse fatetur. Quia vero malo iliaco per quatuor menses illi erat confli-ctandum, tantam sensit ingenii ex capitis imbecillitate & vertigine, morbo etiam levato, debilitatem, ut relicto isto consilio ad pristina studia redire cogitaret, moram restituendæ sanitatis non tam minus patiens, quam, ingenio & temperamento ita ferente, desperans. In aulam tamen Episcopi Wirceburgensis, ab

(l.) Multa Wolfius cum Cardano habuit communia, nam & hic in libro *de vita propria* conqueritur de inimicis & æmulis p. 53. de calumniis p. 54. de paupertate & detrimento in patrimonio p. 67. enarrat pari modo pericula vitæ, insidias lethales, & assiduas p. 78. insomnia p. 113. ostenta naturalia & visa rara p. 146. & his similia.

amicis, præceptoribus & ipso Comite Oettingensi commendatus secedens, receptus fuisset in cancellariam, si fidem ei perpetuo obstringere voluisset; inter aulicos tamen à principe recipiebatur. Commode se ibi vixisse, & optimis usum fuisse amicis testatur, sed sine magno negotio, labore & mercede. Ex piscium per quadragesimæ tempus esu circa æstatem febri ardente exorta, maleque curata venæsectione temeraria, cum cruciaretur siti, frigidæ potu, & cerasorum acidorum devoratione iliaci mali reditum provocavit, ideoque in patriam remissus est. Ibi sanitati sororis cura restitutus Herbipolin revertitur, veniamque impetrat redeundi in Academiam. Wittebergam itaque accedit, Melanchthonis eruditione & fama invitatus, & ab amicis commendatus. Ibi quamvis segnius & minus, quam necessitas ejus postularet, pecunia submitteretur, audivit tamen Lutherum, Melanchthonem, Winshemium, Amerbachium, aliosque, & descripsit annotationes magistrorum in eos auctores & artes, quas non integras audierat: frequentavit etiam bibliothecam principis, in qua bonam partem Commentariorum Aristophanis descripsit, Hermetisque libellum, de revolutionibus nativitatum, quem postea edidit, plurimum admiratus est, & in literis Græcis & Latinis aliquid fecit operæ pretium, in astrològia & mathematis non ita multum profecit. Offensus vero urbis sordibus, & pecuniæ inopia monitus media æstate 1593. præceptori Sebaldo locavit operam, discipulos publice & privatim docendi, in Græcis vero literis diligenter elaborabat, & versiones conferebat cum textu Græco. Ibi cum exiguum stipendium aliquantisper esset auctum, ut præter cibum frugalem triginta florenis constaret, jucunde & contentus cum amicis Norimbergæ vivebat, & versiculis Græcis & Latinis proceribus innotescebat, qui ei de meliore loco prospicere, fru-

frustra tamen, cogitabant. Itaque in eo pistrino hæsit ad annum 1541. quo novatis religionis ceremoniis, in patriam ad aperiendum ludum vocatus est. Ubi cum & affinis ei molestus esset, & merces maligne & intempestive numeraretur, Witebergam ad Melanchthonem rediit, scholasticam conditionem expectaturus, quæ ei Cal. Jan. 1543. Mylhusæ Thuringicæ oblata est. Melanchthonem itaque ubi Lipsiæ in ædibus Camerarii accessisset, ibique Lycei ab eo Græcum accepisset nomen, quo diu usus est, commendatus à magno viro Mulhusam abiit, nuper puriorem doctrinam amplexatam, & à turbis Anabaptistarum nondum plene liberatam. Nec tamen hæc schola capiebat Wolfium, cum vix duodecim haberet discipulos, quibus utriusque linguæ elementa traderet, reliqui alphabetarii essent, quorum parentes satis haberent, si filioli legere utcunque & scribere didicissent. A plerisque tamen honorifice tractabatur, & nullibi magis in privatis studiis majore unquam successu & commodiore valetudine, quam isto biennio, usus est. Perlegebat enim totum Ciceronem, Quintilianum, Isocratem, Xenophontem ; Aristotelem & Platonem magna ex parte; cui Justi Menii, viri eloquentis consuetudo admodum jucunda accedebat, cui Wolfium Melanchthon de meliore nota commendarat, ad quem etiam systaticas Melanchthonis affert, gravissimum eruditionis Wolfianæ testimonium perhibentes. Desiderat tamen in eo Vir optimus, animum hilariorem & in actione excitatiorem, auctoritatem vero virtute ipsum sibi conciliaturum sperat. Id quod defuisse sibi, & optimum virtutis studium nullam sibi auctoritatem addidisse, immo contraria sibi pleraque fieri more suo molestius conqueritur. Ejusmodi enim querimoniis totus hic Commentarius plenus est. Hancque causam innuit, cur & Mulhusæ sibi bene esse desineret, præcipue cum

ibi primum sentiret, se præstigiis magicis impeti. Urbem itaque aliam optans, ubi frequentia eruditorum major esset, Viti Theodori commendatione Norimbergæ locum, qualem optavit, invenit, curæ suæ duodecim selectis adolescentibus commendatis, quos ita sibi conciliaverat, ut filiorum instar eum diligerent. Quos cum magna dexteritate erudiret, civitatis proceribus imprimis Duumviro Tuchero ita commendabatur, ut, aucto stipendio, præter honestum victum, in singulas hebdomadas singuli ei floreni præberentur. Quare in portu jam se navigare credens, munere diligenter fungebatur, boni cujusvis ac docti gratiam nactus. En vero in sereno subitam ex improviso tempestatem. Cum enim neminem offenderet, nec inimicum se habere putaret, ita venenis & præstigiis exagitabatur, ut mors, quam vita, ei esset optabilior (*m.*). Neque diabolus & instrumenta ejus, verba sunt Nostri, prius destiterunt, quam eum, non modo munere eo dejecissent, sed & urbe cedere coëgissent. Mense enim Dec. 1546. sex continuis diebus intempesta nocte subito terrore somno excutiebatur, statimque gutta ex dextro oculo delabi videbatur, ut tandem in metum occæcationis veniret, & nec quicquam fere legere posset. Solus prandens vermes & araneolas in cibo reperiebat, vinum spuma, ut cerevisia, obductum afferebatur. Cum itaque se incolumem hoc loco esse non posse videret, missionem à magistratu, non vero impetravit, quod melancholia ex studiorum assiduitate contracta laborare crederetur, locum tamen mutare ad tempus aliquod ei permissum est. Thermas itaque ferinas ingrediens mediocriter convaluit, & per Hercyniæ sylvæ nives Argentoratum excurrit, à rustico vero

(*m.*) Prodit hac historia Wolfius luculenter animi characterem, non recordatus, se supra scripsisse, hypochondriaco malo se vehementer fuisse afflictum.

vero quodam Hercyniæ ſylvæ incola, herbas quasdam & globulos accepit, quos Norimbergam redux cum ardentibus prunis impoſuiſſet; non corporis tantum magnam ſenſit mutationem, ſed & popularis quidam, livida eum mox convenit facie & tubere, qui ſe ex lapſu ita fuiſſe concuſſum mentiebatur. Dicebatur etiam mulier quædam non ignobilis decumbere. Et ita quidem per aliquot hebdomades quietus vixit; ſed cum priſtini terrores & pericula redirent, abeundum eſſe, etiam invitis Dominis, ratus, cum pro delirante eum haberent, quos tamen faſſos tandem eſſe, ait, ipſo jam in Helvetia degente, monachum quendam ſceleratum, qui præficam in iſto noſocomeo, ubi vivebat Wolfius, apud morientes agebat, iſtas ipſi tragœdias excitaſſe, quem magum eſſe conſtaret: quem tamen miniſtrum tantum alterius invidi fuiſſe credit, & ſuſpiciones animo quidem premit, non negat vero, certum ſibi videri, ſentinam hominum improborum, in lentam ejus necem conſpiraſſe. Quæ ipſis Wolfii verbis ideo retulimus, ut quo animi corporisque morbo, vir cetera bonus & eruditus laboraverit, attentis pateat. Plura quæ ex aſtrologicis rationibus affert, non addimus.

Urbe itaque Norimbergenſi relicta, paulumque Nördlingæ apud ſororem commoratus, iter Tubingenſe, Argentoratenſe & Baſileenſe eſt ingreſſus, cum, ut veteres præceptores & amicos viſeret, tum ut quatuor Iſocratis orationes & duas Demoſthenis, quas converterat, Oporino excudendas daret, & patronis eas inſcriberet. Oporinus autem conſilium mutare, totumque vertere auctorem ſuaſit, ſumtusque & remunerationem promiſit, quod etiam Argentoratum reverſus in ædibus veteris amici Sebaldi Hauenreuteri perfecit, qui victum & domum ei obtulerat. Ita abſolutum Iſocratem Latine edidit 1548. in qua tamen verſione ſe magis fidelitati, quam puritati, ſtuduiſſe

fatetur, cum majorem Græcæ quam Latinæ linguæ usum & facultatem possideret (*n.*). Primum hoc ejus & minime elaboratum opus, quod exiguo tempore confecerat, adeo probarunt amici, ut ejus fama commoti efficerent, ut Augustani ejus curæ committerentur discipuli, quos Basileæ biennium, Lutetiæ unum annum instituit. Argentorati, cum opportunum erat, Petrum Martyrem, Martinum Bucerum, Paulum Fagium, Joannem Sturmium & Justum Felsium audiebat, ex quibus Bucerus ei spem faciebat, si in classe docere vellet, publicæ postea prælectionis. Verum ille corporis imbecillitati diffidebat, & superiore loco se dignum judicabat, quam imprudentiam suam ipse fatetur & deplorat. Postea Basileam reversus adolescentes dictos erudiendos suscepit, secumque in eodem habuit conclavi & cubiculo, quatuor eos singulis diebus horas instruens. Totum ibi biennium convertendo & emendando Demosthene, Oporino auctore, transegit, quanquam Amerbachius à conatu eum hoc deterrebat, quod nec Budæus nec Erasmus in eum auctorem quicquam fuissent ausi. Pausaniam, quem inchoarat, Abrahamo Lœschero (*o.*) mandavit, qui eum Basileam secutus erat. A Ludovico vero Carino (*p.*) rogatus ut sibi cum Jo. Fuggero in Galliam ituro hypodidascalus esset, consulto Hauenreutero annuit quidem, sed non impetravit:

(*n.*) Totam Isocrateæ versionis historiam Noster enarrat in *præf.* ei non præmissa, sed suffixa *p. m. 1104.* quæ pleraque in hunc comm. transtulit. Quæ vero ibi obscurius de vitæ suæ fatis queritur ex allatis lucem capiunt.

(*o.*). Is eam versionem edidit *Basil. 1550. fol.* dedicatam Joanni Jacobo Fuggero. Vid. *Fabricius Bibl. Græc. Vol. VIII. p. 471.*

(*p.*) Magna, quæ commodis & fortunæ suæ Carinus præstitit officia & beneficia Noster deprædicat *peculiari elegia Nicephoro Gregoræ præmissa.*

travit: Demosthenì itaque vertendo totus incubuit, tanto ardore, ut cum lapsu graviore dextrum brachium luxatum esset, & confractum officulum, læva dextram sublevans, non multum, aliquid tamen, scriberet. Sebastiani autem Castalionis jucunda & utili consuetudine utebatur, cujus non colloquiis tantum, sed judicio quoque in emendanda versionum dictione utebatur, cumque is familiam ex typographicis operis utcunque sustentaret, tenuitatem ejus pro virili sublevabat. Quod cum postea Wolfius Augustam delatus intermitteret, quod Castalionem cui Græcarum literarum prælectio demandata erat, sua ope non indigere crederet, isque Nostrum arrogantia sua, versus Wolfii in conversionem bibliorum rejiciens offendisset, exacerbavit Castalionis animum, ut ei sua potissimum opera in condendis versionibus adjutum jactaret, vel morderet potius, id quod Wolfium, hac de injuria passim conquerentem (*q.*) male habuit. Verum hoc gentis Gallicæ innato accidisse vitio putabat, quos sui contemtores habuisse conqueritur. Absoluto & edito Demosthene, cum discipulorum parentes Wolfium Lutetiam ire jussissent, Augustam id opus secum dorso attulit, & ab Antonio Fuggero humaniter habitus est, qui eum suis sumtibus in Italiam ablegasset, nisi ipse à regionis moribus abhorruisset. Tum Basileam redux Lutetiam comitatu sedecim equitum profectus est, cumque circa Aprilem exeuntem ibi advenisset, Michaëlem Vascosanum & Jacobum Gropylum, Petrum quoque Ramum & Adrianum Turnebum benevolos & faventes invenit, sed Joannes Strazelius regius professor, ejus interpretationes plane canina rabie pro suggestu exagitavit, & tamen cum eo coram loqui & conferre de ea re semper recusavit (*r.*). Habebat

(*q.*) Vid. *præfatio in Isocratem.*

(*r.*) Passim in *præfationibus* eum pungit Wolfius, & in Elegia in Oporinum præfixa *Nicephoro* ita:

bebat etiam quosdam Germanos sui studiosos, & inter hos Sigfridum Pfinzing, Norimbergensem, Ambrosium Lobvvasserum, aliosque. Sed & nihil Lutetiæ illi jucundum erat, nec urbis fœtor capiti, nec Sorbonæ in æmulos religionis æstus animô gratus erat, valdeque sibi de periculo metuebat. Quærebat itaque facultatem veniamque redeundi in Germaniam, discipulis de hypodidascalo, & de alia sibi conditione dispiciebat, quæ duplex offerebatur, apud Jo. Jac. Fuggerum & in aula Mauritii principis à Christophoro Carolovicio, quarum neutra tamen successum habuit. Basileense itaque iter pedibus tempore hiberno ingressus, carro ob defatigationem, qui ab uno equo trahebatur, conducto advenit, à nemine, ne ab Oporino quidem (*s.*), admodum benigne & amice exceptus, quod ejus inconstantia male omnes haberet. Observatque Wolfius, totum, quod Demostheni impenderat, triennium ipsi infaustum fuisse, periisse pleraque exemplaria, quæ ex quinquaginta remunerationis loco ab Oporino accepra amicis destinaverat; patronum quadraginta florenorum honorarium decrevisse, & cum aureos montes illi amici ejus promisissent, nunquam se in majorem desperationem & indignationem incidisse. Nec Demosthenem in herili bibliotheca recognitum, Æschine

Æschinis & Demosthenis omnia scripta coëgit
Vertere cunctantem, convicia vana timentem:
Qualia Strazelius tumido deblaterat ore,
Et plerique sonant, qui pulpita celsa tenentes
Laudibus alterius se perdere nomina credunt:
Seque putant doctos, si plus vidisse putentur,
Ignavum pecus, & mordax, plenumque venenis
Ambitiosa virum queis pectora fervere cernas.

(*s.*) Hujus tamen ingentia in se merita *l. c.* gratus extollit; Scilicet indignabantur ejus amici inconstantiam fortuna sua uti ignorantem.

ne adjuncto feliciorem fuisse expertum, cum patronorum offensam ea editione incurrerit, ob adjunctam elegiam ad fratrem, in qua male Fuggeranæ familiæ ominari sycophantis dicebatur. Interim Martinus Borraus Cellarius Theologus Basileensis operam dabat, ut Græcas Wolfius literas doceret, decreto sui muneris stipendio, quod cum exiguum XXXVI coronatorum esset, typographica vero servitus ei displiceret, pestilentia quoque serpere cœpisset, recusavit. Augustam itaque tendens, Kaufbyræ à Georgio Hermanno & Gregorio Læto (*t.*) humaniter habitus, eo tempore ibi advenit, quo Carolus Imperator comitia habebat, unde vix locum in Conradi Mairii Consulis, patroni sui, ædibus inveniebat: ubi initis de rebus suis rationibus iter in patriam instituebat, à Xysto Betulejo vero, & ejus cura, à Jo. Baptista & Paulo Hainzeliis retentus est, ut Augustæ conditionem sibi aptam expectaret, sine suo sumtu. Ad eum itaque se contulit, ibique Epicteti conversionem inchoavit. Sed & Richardus Morisinus, Regis Angliæ Eduardi VI. legatus, eum ad erudiendum Suffolciensem Ducem in Angliam luculento stipendio ablegaturus erat: cui tamen fortunæ mors principis adolescentis intercessit. Postea ad Jo. Jacobum Fuggerum, cui Demosthenem dedicarat, accersitus est, ut ei operam in Latinis literis scribendis & curanda bibliotheca navaret, quam conditionem etiam suscepit, cumque interrogatus, quod stipendium decerni vellet, nihil ipse petiisset, altero anno centenos coronatos sibi dari non sine offensa heri postulavit, cum initio bona cum gratia plus licuisset. Centenos itaque thaleros obtinuit, promissa simul, si quid defuturum esset, heri liberalitate. In eo munere sex inte-

(*t.*) Dixi de Hermanno in progr. *de meritis Fuggerorum in rem literariam*, de Læto in *Symbolis criticis ad L. Germanicam*, (Critische Beyträge.) *P. XIX. p. 349. seqq.*

integros annos versanti, etsi pecuniæ nihil accessit (*u.*), tamen Fuggeranæ familiæ singularem humanitatem fuit expertus. Eo tempore Isocratem Græco-Latinum & Demosthenem accuratius recognitos edidit, Æschinem præterea oratorem, & Commentarium astrologicum & historicum Zonaram convertit, Patronus vero eum ad aulicas dignitates promovere studebat, cum vero & scholastici Nostri mores obstarent, & homuncio quidam scarabeo nigrior doctrinam & mores ejus exagitando extenuaret, non magni eum facere videbatur, mensæ tamen adhibebat, in qua, quod herus abstemius esset, ipsi vinum Neccaricum aqua dilutum apponebatur, stomacho ejus inimicissimum. Fatetur tamen, si occasione uti scivisset, facile ab hero impetraturum fuisse, viro natura liberali & magnifico, & laudis gloriæque cupido, ut Codices Græcos convertere & Latine edere licuisset, quibus ea bibliotheca abundabat. Factum autem est, ut herus, priori conjuge Ursula Starrochia, egregia heroina defuncta, paulatim occasionem quærere cœperit, ejus honeste dimittendi; unde & per biennium minus ei gratiosus fuit. Hoc tempore Jo. Doreschvvanus vetus familiæ Fuggeranæ procurator, re familiari in Neosolio Pannoniæ castello constituta, animi gratia Constantinopolin & Amaseam usque Cappadociæ urbem excurrit, reversusque Zonaram & Choniatem attulit, auctorque fuit Antonio Fuggero, scriptores hos diu desideratos Wolfii opera Græce & Latine edendi. Factum id 1555. adjunctusque ei Hieronymus Martius postea physicus Augustanus,

(*u.*) Aliter tamen Noster in elegia ad *Lud. Carinum*:
Inde tuis patrociniis evectus in urbem
Augustam heroas Fuggeros novit amicos,
Fundamenta sui qua jecit prima peculi,
Et patrias reparavit opes, quas ægra juventa
Casibus afflicta variis exhauserat omnes.

nus, qui manu eleganti codices describeret, & conversionem jungeret. Quod institutum Ludovicus Carinus, apud Fuggeros, quos plerosque instituerat, gratiosus, valde promovebat; cujus laboris historiam cum in Byzantinæ historiæ scriptorum præfationibus enarraverit, facile ea inde repeti potest. Interim per Gereonem Sailerum primo obscurius, mox à Scholarchis Augustanis per Jo. Hainzelium cum Wolfio actum est, ut singulas horas quotidie Græce doceret: quam Spartam, post heriles injurias, qui ejus opera serviliter abuti cœperat, tandem trecentorum florenorum stipendio ita suscepit, ut & in schola reformanda, & docendis Græcis literis, & ornanda bibliotheca Augustanæ reipublicæ operam suam in quinquennium promitteret, quod haud gravatim fecit, ignarus, ut scribit, in quantum calumniarum & ærumnarum pelagus præcipitaretur (*x.*) Curandum enim erat, ut in publico loco non in triviali classe docere videretur; providendum ne nova mutatio criminationes excitaret, deprecanda offensa inspectionis classium, & offerenda illius loco conduplicata docendi opera. Postulanda separatio doctiorum, qui eum audirent, à rudioribus, iique in sublimioribus magis exercendi & excitandi quam ista accommodatione ad captum rudiorum, quæ illi injuncta erat, expectatio multorum frustranda & studia restinguenda. Quæ tamen omnia quo minus adverteret, & mature mutaret consilium, publica auctoritas, & honestum stipendium, & novi instituti præclara species impediverunt, ita ut omnia plane & expedita & cum publica laude conjuncta somniaret. Erat etiam, qui academiam in urbe hac erigi non posse,

(*x.*) In tutissimum studiorum nidum eum se recepisse ait *Thuanus ad An. 1580.* quod verum est, si Wolfius tempore uti scivisset, quod magnis tum literarum patronis abundabat.

posse, moneret; quam voluptati & quaestui magis, quam literis, servire ipse pervidebat: pluresque docti homines indignabantur, ejus ingenium in his puerilibus rudimentis obsolescere, atque animum obtorpescere: queriturque, se post quatuordecim annorum balbutiem, si in frequentiori & celebriori auditorio docendum dicendumve esset, timere, ne referret oculos ad terram humique reperet, & se, in Augustano Phrontisterio pueris β καὶ α λέγειν opinaretur (y.), se certe, quoties eruditi hospites lectioni intersint, vehementer & sui & auditorii pudere, & doctiores adolescentes, cum semel cum audiverint, mox recedere, questos, quod tam pueriliter doceret. Hinc factum esse ait, ut se majori, quam meliori, parti attemperando in Commentariolo Ciceroniano & Isocratico plura dixerit, indigna fortasse quae imprimantur, utilia tamen pueris (z.). Circa illud tempus in thermas ferinas concessit, requiescendi & insidias, quas timebat, evitandi causa: & reversus in aedes Huldrici Fuggeri, qui communem victum ei obtulerat, immigravit: ubi cum affatim ei omnia praeberentur, propter ἀταξίαν tamen oeconomicam, quae post quadriennium in nervum erupit, parum ei vel in re familiari vel in valetudine profuit: 1562 tandem per calamitatem hospitis (a.) non sine multis difficul-

(y.) Alta spirabat inter magnam timiditatem Wolfius, hinc academicum munus anhelabat, neque tamen à Norimbergensi Senatu in Gymnasio Altdorfino oblatum accepit, sed Thomam Freigium ei commendavit. Hinc ille contemtus Lycei Augustani, quod ante eum Betulejus, post eum Hoeschelius magna nominis celebritate & sine indignatione illustrarunt.

(z.) Produnt haec pleraque edita, cum in illo munere viverbat Wolfius, recteque id notavit Cel. *Heumannus Act. philos. Vol. III. p. 343.*

(a.) Conf. *Gassari Annales ad h. a.*

difficultatibus in libertatem assertus est, conductaque domuncula cibi capiendi gratia per annum oberravit, tandem anno sequente parvam œconomiam instituit, cui propter expensas complures stipendium non suffecisset, nisi aliquid aliunde accessisset. Carolus enim Villingerus conversionem Suidæ efflagitatam ducentis florenis remuneratus est: Augustana respublica, ob inscriptionem commentarioli in Ciceronis officia quinquaginta aureis eum donavit. Ita factum ut æs alienum vitaret, & statum suum pristino more tueretur, usque ad annum 1566. quo elocatio neptis Ursulæ Strausiæ, Joanni Schenckio, Matthæi, Augustanæ scholæ primarii (b) filio physico Norimbergensi in matrimonium datæ, cui quadrantem pecuniæ suæ doti dixerat, res ejus imminuit, effecitque ut expensæ reditus superarent. Potuisset quidem, si ad rem attentior fuisset, & in bibliothecam, qua tamen per servitutem frui ei non licuit, non amplius mille florenis conjecisset, & in pauperes & cognatos minus contulisset, reculas suas paulisper augere. Verum homo ἄγαμος καὶ ἄτεκνος in libris suis, si non satis utendis, disponendis tamen & curandis tempus fallebat, & eos juxta argumenti Summam ordinabat, &, cum hæc scriberet, fessus senex (c.) fatetur, se nondum antiquos auctores sibi comparare destiturum, si venales reperirentur. Verum se non numorum cura, sed divinæ misericordiæ possessione teneri pie fatetur, & se cœlestis patriæ desiderio occupari, tædio terrenorum satiatum pulchre innuit, suarumque simul ærumnarum amplum more suo recitat catalo-

(*b.*) *Vitam* hujus *collegæ* sui ad se ab ipso scriptam suffixit *Morellii tab. histor. philos. p. 403.* unde repetitam edidit Ven. *Schelhornius Amœnit. lit.* T. X. *p. 1047. seqq.*

(*c.*) Acerbos hac de re questus edit in *præf. Qq. in Offic. Ciceronis.*

talogum, & qua ratione tot curis, vigiliis, morbisque fractus æternitati se se pareт, prolixe exponit.

His per digressionem dictis ad scriptiones suas, propter quas præcipue hunc commentariolum susceperat, redit, & patroni liberalitatem laudat, qui Zonaræ & Choniatæ vertendis (*d.*) pro singulis paginis singulos florenos numeravit, qui ad CCCLXXII. excrevere, quo modo peculium ejus aliquantisper auctum est. Oblatum etiam ei sexagesimum anni ætatem agenti formosæ & dotatæ puellæ conjugium est, quod tamen judicio Carini, qui vitam ei breviorem fore monuerat, rejecit. Dum vero in Byzantina historia dies noctesqne laborat, stomachi vehementem imbecillitatem contraxit, quod maxime poculo nepenthe mixto tribuit (*e.*). Ea absoluta scholæ Anneanæ præfectus, magistratui consilium de ea emendenda exhibuit, in quo Michaëlis Toxitæ & Joannis Sturmii libellis adjutum se esse fatetur, etsi minimam illorum partem in rem præsentem vertere licuit. Rivianum itaque opus de tribus dicendi artibus in scholam introduxit, paulo post valde exagitatus, ut qui Christum ex schola ejecisset, in qua magistratus, opinionum varietate distractus sacra doceri noluerat, exceptis primis Christianæ religionis fundamentis sine ulla interpretatione tradendis (*f.*), cujus tamen contraria ratio paulo posthabita & Catechismus Lutheri minor introductus est. Qua occasione, cum illis, à quibus susceptus erat dominis pareret,

(*d.*) De Corpore hoc Hist. Byzantinæ, Vid. *Hanckius de Scr. Hist. Byz. c. XXXI. XXXIV. Cave Hist. lit. Scr. Eccl. Oudinus de Scr. Eccl. T. II. p. 985. 782. Jo. Fabric. Hist. Bibl. suæ T. II. p. 415. 419. 420. Jo. Alb. Fabric. Bibl. Græc. L. V. c. 5. Vol. VI.*

(*e.*) Conf. *Dedicat.*

(*f.*) Conf. *Gassari Annales ad hos annos.*

reret, haud parum molestiæ illi ab aliis creatum, multamque invidiam conflatam fuisse conqueritur, dictantibus nonnullis à veteri domino (*g.*), qui ex scholarcharum superiorum numero fuerat, rempublicam illo conducto inutili sumtu oneratam fuisse, ut honorifice eum bonaque cum venia è familia sua dimitteret. Id quod non omnino temere dictum fuisse, facile ex temporum illorum circumstantiis, & deserta mox post Wolfium docendi ratione academica, demonstrari posset, si id ageremus: Wolfium vero male habuit, quem sæpius pœnituit, non in montem regium Borussiæ abiisse, vel Ottonis Henrici Electoris vocationem CCC. thaleros & victum aulicum spondentem non secutum fuisse, vel Argentoratensium & Bernatum liberalitate uti non potuisse, quod fidem suam Antonio Fuggero & reipublicæ Augustanæ jam obstrinxisset; adeo invisum ei fuit, horologiæ servire, intra una mœnia, tanquam in ergastulum, concludi: unde cum quadriennio exacto Scholarchas interrogasset, an opera sua porro usuri essent, iique moram responsionis necterent, per Hauenreuterum Argentorati locum extraordinarium stipendio CC. florenorum obtinuit; quia tamen trihorium ante quam Hauenreuteri literæ advenissent, D. Christophoro Peutingero (*h.*) Duumviro, ea conditione, ut etiam valetudinario semissis annui stipendii numeraretur, reip. Aug. operam scholasticam denuo erat pollicitus, suscipere eum non potuit, id quod Wolfius ægerrime, ut erat fatorum indefessus accusator, tulit, mutare non potuit. Ea enim erat sententia, scholam nomini suo caliginem offundere, non id nobilitare (*i.*).

(*g.*) Antonio Fuggero.

(*h.*) Epitaphium illustri viro scripsit Noster præfixum *Qq. in Ciceronis officia.*

(*i.*) En ipsius verba ex *Præf. ad Qq. cit. Quam ego lau-*

Ita enarrata vitæ tragœdia potius, quam historia, cujus scenam ipsum Wolfii temperamentum supra modum difficile, cunctatorium, & occasionibus atque hominibus captandis ineptum, atque post prave neglecta sero pœnitens plerumque instruxit, scriptiones tandem suas Augustanas enumerat. I. Itaque in ædibus Huldrici Fuggeri Rivianum opus cum suis & aliorum annotationibus Aug. Vind. 1557. edidit (k.), quo & anno II. dialogus de usu Astrologiæ prodiit. III. Commentarios Ptolemaicos & Porphyrianam Isagogen in Fuggerana bibliotheca conversa edidit Basileæ Henricus Petri cum (l.) IV. Hermete de revolutionibus 1559. quorum interpretem se ob infinitas depravationes puduit. V. Eodem anno Nicephorum Gregoram absolvit, non tam præmii cupiditate, quod C. florenorum fuit, quam metu offensi patro-

dem possem consequi ex iis, qui, ne quid gravius dicam, stivæ quam scholæ essent aptiores, aut quæ reip. literariæ post me seminaria relinquere? cum, si qui forte industrii sunt, ii non legitimos institutionis liberalis fructus sibi proponunt, sed id agunt, ut quasi carcere gymnasii nostri perrupto, in Academiis fucosis ornati titulis quam primum e nativis sordibus emergant, & linguæ impudentis volubilitate freti vulgique applausu evecti, tanquam Epicuri de grege porci saginentur. Hæc multorum ignavia atque perversitas non raro facit, ut me prope mei pœniteat, utque fortunam meam miserer, quod eruditio mea quantulacunque, magno certo studio & indefesso labore perque multas & prope incredibiles ærumnas ab ineunte ætate conquisita, tam angustis conclusa terminis, in obscuro jaceat, & plerisque sordens, non eas, quas speraveram, & privatim & publice gignat utilitates.

(k.) Conf. *Morhof. Polyhist. T. I. p. 335. Cat. Bibl. Aug. Ebingeri p. 596. 715. 748.*

(l.) Vid. *Fabricius Bibl. Græc. Vol. III. p. 419.*

patroni, qui in os dicebat, eum esse nimis locupletatnm, cum segnius instaret. Ita vero hoc labore oculorum aciem habetavit, ut vendendæ bibliothecæ consilium caperet, quam sibi DCC. florenis venalem esse tum quoque scribit (*m.*), quod in tali auditorio vel unius usus ipsi non sit. Tum vero nomen ejus à Pontifice Romano proscriptum est (*n.*), quod editionem Gregoræ ad annum 1562. distulit, fecitque ut post patroni demum mortem publicaretur. Vidit tamen opus msc. Cæsar Ferdinandus, & appendice præfationis delectatus dissimulanter eum per magistrum equitum Jacoslaum Berestainium calice aureo Joannico elegantissimo donavit: potuisset etiam inter Imperatoris Latinos secretarios recipi, si forte sua uti vel novisset vel voluisset. VI. Post patroni res vehementer afflictas Epicteti opera omnia forma octava (*o.*), nec multo post VII. Commentariolos in officia Ciceronis forma media excudit Oporinus. VIII. His continenter successit Suidas Latinus, folio oblongo, calamitoso & pestilenti tempore & versus & ab Oporino excusus mendosissime, ut ipse fateatur, se multa loca nec ipsum intelligere sine Græcis (*p.*). IX. Hæc secuta meliora tempora annotationi-
Ll 3 nibus

(*m.*) Eam 1578 Laugingano Gymnasio binis plaustris invectam scribit in *Præf. Tabb. Morellii.*

(*n.*) Vid. *Index librorum prohib. Romanus*, *Blount. Cens. cel. auct. p. 766.*

(*o.*) Vid. *Fabric. Bibl. Græc. Vol. III. p. 283. 264.* Valde improbabat hanc versionem *Is. Casaubonus Ep. 13.* minus enim veteris philosophiæ historia, quam Græcis literis instructus erat Wolfius.

(*p.*) *Fabric. Bibl. Græc. Vol. IX. p. 635.* reliquerat vero, teste *Hæschelio* Ep. ad Jungermannum novam editionem, verum mortuo auctore typographus fidem fefellit. Prodiit 1581. altera editio Wolfium immortaliter de Græcis literis

nibus Demosthenicis & Isocraticis impendit, quas Augustanus typographus mendose excudit: quod & in editione Græco-Latina factum esse conqueritur, quam typis Oporinianis edidit, cui & corrector & gubernator prelo defuit Oporinus, & in qua Commentarius submissus, omissus erat, quod ipse Oporinus, ad quem tamen fatis functum hic Commentarius eo vivente 1664. cœptus, scriptus est, 3. Non. Julii M. D. LXVII. ultimis fatis erat functus. Qua morte multæ turbæ Wolfio concitatæ sunt, ob rixas typographorum, sibi libros Oporinianos vindicantium, dum interea neutri excuderent. Factum tandem Carini & Theodori Zvvingeri fide, ut Oporiniani Isocratem retinerent. X. Ciceroniana & XI. Demosthenica Hervvagiani sibi vindicarent, quæ Episcopius non sane speciose edidit. 1570. anno, quo hunc scripsit Commentarium Wolfius nundinæ vernæ attulere XII. gnomologiam Demosthenicam, Æschineam & Ulpianam, obiter inter ipsos auctores relegendos excerptam, congestamque potius quam digestam, aut judicio adhibito limatam & auditoribus ad convertendum datam; atque XIV. Isocratem cum Commentariis (q.). In qua editione perverse ea quæ ad commentariolos pertinent, præmissa, præfatio ad Cæsarem prætermissa fuit, contra ejus voluntatem, & illa ad scholarchas directa eos nonnihil offendebant. Joannes tamen Crato vetus amicus in aula Cæsaris hanc confusionem excusavit. Neque vero multum auri libris suis se acquisivisse fatetur. Oporinus

literis meritum ob hanc Suidæ versionem minus feliciter susceptam excusat *Fabric. l. c. p. 635.* qui pluribus videndus.

(q.) Conf. *Jo. Fabric. Hist. Bibl. suæ T. V. p. 228. Jo. Alb. Fabric. Bibl. Græc. Vol. I. p. 857.* ubi etiam *de gnomologia; & p. 871. de Demosthenis, p. 874. de Æschinis editione.*

rinus enim ne teruncium quidem submisit, sed libros; & in amanuenses tantum sumtuum factorum compensationem ab ejus successoribus Wolfius flagitavit. Patronorum autem munera, præter Antonii & Caroli Villingeri, tanta fuisse ait, ut præter vecturæ & bibliopegarum sumtus, conduplicato pretio à nemine mediocrì notario vel simplicis descriptionis spem haberet. Nec se multum gloriæ consecutum libris suis ait; in hac enim, ita ipse scribit, urbe, quanti fiat, plerosque nosse: momos vero, pontificisque fulmen cruciatum, & sanguinem minans fructus βιβλιογραφίας habuisse. Quæ & alia, ingenii subtristis specimina librorumque fata & historiam in præfationibus enarrat, ad quas Lectorem, brevitati consulentes, ablegamus. Ubique enim deprehendet Wolfium eruditum quidem, sed sortem suam deplorantem (r.); qui & de difficultate, sua in posterum eden-

Ll 4

(r.) Præter recensita edidit Wolfius, *Notas in Plethonem de virtute; admonitionem de astrologiæ usu, Aug. Vind. 1557. Notas in G. Morellii Tiliani tab. comp. hist. philos. Bas. 1580. in Ciceronem de officiis Bas. 1579. 8.* Sententias ex *M. Cicerone, collectore P. Lagnero. De Christianæ classis victoria contra Turcos carmina 1571.* Nostri etiam *poëmata* occurrunt in *Corpore Poët. Germ. T. VI. p. 804. Notas in Hermiæ irris. gentilium* adjecit *Morellii tabulis l. c. p. 200.* non contemnendas judice *Heumanno l. c.* De *catalogo* ejus *librorum msc. Bibl. August.* dixi in diss. *de meritis Hœschelii p. 16.* ubi etiam de meritis ejus quædam notata sunt. Alia minutiora præterimus, in accurata vitæ scriptorumque Wolfii historia, excutienda. Conf. *Teissier Eloges des hommes savans T. III. p. 172. seqq.* Recte de eo, quod tradit Bœclerus, dubitat Cl. *Krausius ad Bibliogr. crit. Bœcleri*, an Wolfius Procopium ediderit *p. 307. coll. p. 866.* non enim Wolfio, sed Hœschelio curante editus est, ut dictum in diss. *de meritis Hœschelii p. 37.*

edendi, inutiles querelas his affixit. Cujus si ingenium quis nosse cupiat, en quæ in totius dissertationis fine habet: „ Non scribendi cacoëthes me tenuit unquam, scriptor factus sum per calamitatem, scriptor mansi hactenus fatuo quodam meo atque infelici fato: tanta enim fuit Oporini auctoritas, ut „ nec petenti denegare quicquam possem, nec hortanti refragari auderem. Ita factum ut sextum sit „ editus Isocrates, Demosthenes quartum sub prælo „ sit. Indignatur etiam, Gallos Byzantinæ historiæ editiones repetiisse, emendationes crepuisse, nec tamen indicasse, & emendationum scriptorum suorum singularem promittit libellum: quæ vero privatim à se dictata vel scripta sint, ea si edantur, pro Wolfianis non haberi cupit, quod depravata ea plerumque edi soleant.

Hæc est, PERILLUSTRIS DOMINE, summa commentarii illius de vita sua, quem Wolfius IX. Cal. Dec. M D. LXX. absolvit, quo tempore, tum ex lapsu, tum ex lithiasi & mictu cruento magnas sentiabat molestias, & exiguam vitæ diuturnæ spem fovebat (s.). Qui etsi hominem se fuisse, temperamenti, quod nactus erat, melancholici, moribus demonstravit, virum tamen probum & doctissimum, & de Græcis potissimum literis & Augusta Vindelicorum immortaliter meritum se præbuit. Lau-

(s.) Obiit Wolfius, ut ex epitaphio Hainzeliorum fratrum in D. Annæ templo, patet, quod *Praschius in Epitaph. Aug.* & *M. Adam. vit. phil. p. m. 308.* afferunt VIII. Oct. die, M. D. LXXX. postquam cælebs vixisset annos LXIV. dies LV. horas XIX. Annæo Gymnasio & bibliothecæ præfuisset annos XXIII. conf. *Vita Ebingeri p. 54.* Falsum itaque est, quod tradit *Aub. Miræus de Script. Sec. XVII. p. 272.* ed. Fabric. Wolfium obiisse 1608.

Laudanda itaque virtus ejus est, condonandi errores vitæ, non aliis, nisi sibi ipsi, molesti. Et recordandum, quod in fine scriptionis suæ monet, *se eos, qui de ipso olim scripturi sint, rogare, ut meminerint, se fuisse hominem, & se non esse Deos, naturæque fortassis non pessimæ, ut fæcundo agro, culturam & tempestates commodas defuisse.* Quod ut verum est, ita laudem potissimum conciliat viro sui temporis eruditissimo, quod educationis insolentia, & ingenii varie à naturali via avocati erroribus toties impeditus, in ea illius ævi literarum adolescentia tantos profectus fecerit, ut hodienum inter Criticos & interpretes summos connumeretur, & æternum maneat Augustæ decus atque ornamentum (*t.*). Qui ut, TE PERILLUSTRIS DOMINE DUUMVIR, Fuggerorum, Peutingerorum, Hainzeliorum, Welserorum rediviva inter nos imagine, patrono, æmulos habeat eruditionis & diligentiæ plurimos, ob patriæ salutem & glòriam totus precor. Scrib. Kaufbyræ Cal. April. MDCCXXXIX.

(*t.*) Vid. testimonia doctorum virorum adducta à Ven. Socero Cl. *Crophio in Hilar. Scholast. p. 8. seq.*

* * * * * * * * *

VI. AD-

VI.

ADPARITIO

APOLLINIS JUDICIS

Matæologo facta,

CUM

PROLOGO & EPILOGO POLYPISTONIS.

E veteri MSC. edidit

Syntheus Eubius Heutelius.

Aut totum perlege, aut Judicare desine.

* * *

EUBIUS LECTORI.

QUid sint Otteunii, quid Lappini, quid Tuscionis prosapia, Amnergi & Heutelii ubi terrarum siti sint, incassum diu quæsivi. Nec Ptolomæus certe, nec Strabo illorum mentionem facit. Hoc tantum exacta operis perlectione tandem rescivi, Otteunicum & Amnergorum nomen eidem genti tributum videri, Heuteliumque & Lapinum itidem esse æquivocum. Aliquando mihi in mentem venit Otteunios, Amnergos & Tuisconis prosapiam Germanos esse. Heutelios vero & Lapinos

Lapinos Helvetiam denotare. Qua tamen in Hallucinatione an errem Judicium penes Lectorem esto, nec meam hanc litem facio. Cetera plana erunt obiter quoque percursuro. Polypiston, qui Prologum & Epilogum dicit una cum Mataeologo Scholasticos agunt, Apollo autem Sententiam autoris prodit. Namque Polypiston, uti patet ex stylo & Poësi Monastica adjecta, Theologi & Superstitiosi & Imperiosi personam sustinet, Mataeologus Scholastici Classicique charactere imbutus, altisona de quaestione, non adeo magni momenti, soluta, projicit verba, & magna de se profitetur: Gloriosus uterque, uti solent ejus generis homunciones, quos PEDANTES (quasi doctiorum pedaneos) vulgo nuncupant. Uterque quoque probe secum convenit & idem fere sentit. Et quidem bene. Quis enim nescit falsam Philosophiam Theologiae superstitiosae & hanc vicissim illi manus semper dedisse? ut adeo mirum non sit cum quaestio tantopere agitata fuerit, an Philosophia Theologiae, an vero econtrario Theologia Philosophiae ancilletur. Pseudo-eruditorum ergo in toto Opusculo Vitia perstringi; veros in summo honore haberi in propatulo est. Opusculum ipsum cujus aetatis sit non adeo divinare potui. Sunt quae me persuadent Seculi XV. esse progeniem, jam ad finem properantis. Manuscriptum ex Illustri quadam Germaniae Bibliotheca, sed gentili, mihi aquisivi. Res ipsas cuivis seculo esse proprias facile perspicies Lector. Vale.

IN-

INCIPIT MANUSCRIPTUM VETUS.

PROLOGUS.

SUnt impii, ſunt ſcelerati, ſunt Deiſtæ, qui eo proh Dolor nequitiæ procedunt, ut adparitiones dari negent. Hi ſi nullo alio modo convinci queant, ſequenti ſi diis placet proſtrabuntur commentariolo. Ne vero Pyrrhonis ex ordine quidam de ejus Veritate tricis ſuis ſcepticis cavilletur, ante omnia proteſtor, virum me eſſe Veritatis ſumme ſtudioſum, imo Sacerdotem. Quis enim me hæc in amorem Veritatis ſcribentem Veritati ipſo facto ſacra facere negabit temere?

Secundo loco ea qua par eſt conſcientia affirmo, me hodie dari adparitiones convictum eſſe ex ſchedis τȣ̃ μακαρίτȣ & acutisſimi RHETORIS ET PHILOSOPHI MATÆOLOGI, quæ, utpote poſthumæ, Apophtegmatis inſtar haberi debent. Mendacii vero incuſare ultimos tanti viri Sermones quis ſuſtineat impius?

Tan-

Tandem me bona fide summi viri MSC. publici Juris facere & ne γρῦ quidem vel adjecisse vel ademisse profiteor. Haurias exinde Lector Amice, usum quem opto. Vos vero impii omnia posthac in dubium vocare dediscite.

Abite proin Sceptici,
Velim fiatis Hectici,
Vel immo magis creduli,
Ut fisi vestro Præsuli,
(Ter centum rationibus
Obstanti Nebulonibus,
Qui vera falsa prædicant,
Sophiam etsi negligant)
Fiatis minus impii
Et Veri magis conscii.

Polypiston Theologo-
Philosophaster.

MA-

MATÆOLOGUS INCHOAT FELICITER.

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus Lavinaque venit
Littora, multum ille & terris jactatus & alto
Vi superum, sævæ memorem Junonis ob iram,
Multa quoque bello passus dum conderet urbem,
Inferretque Deos Latio, genus unde Latinum.
MUSA mihi causas memora QUO NUMINE LÆSO &c.

Cætera quis nescit?
Ita ego Jure meritoque misso illo suppositítio

Ille ego qui gracili . . . . . .

Cum Verbis Divini Maronis, vel immo cum Magno Flacco.

Dic mihi Musa virum.

(*a.*) Immo mecum Meletemata mea Prospice incipio, *Musa Propicia* causas mihi memora, quo numine infesto, quibus avibus infaustis, qua Junone Læsa, quo Jove contradicente, quo nefasto die stomachante (& si quædam aliæ sunt elegantes indignationis expressiones) Literati *Otteunici* adeo sint Polygraphi, *Heutelii* vero in contrarium plane abeant & muti adeo sint ut atramento & calamo carere diceres. Nullus fere in *Otteunia* Doctoris Nomine, vel Licentiati, vel Magistri, vel immo Ludimoderatoris gaudet, cujus non ingenii Testimonium Typis excusum ob oculos positum fuerit Orbi Erudito. Pauciores eo reperies ingenii Heute-
lici

(*a.*) Dom. Magister loquitur.

lici progenies; adeo ut si Eruditionis illorum penetralia in propatulo omnibus exponi videas, horum econtra scientiam tanquam sanctum quoddam sanctorum custodiri in præcordiis observaturus sis. Multum desudavi in investiganda ratione. Huc illucve versitavi argumentum. Tandem quasi ex improviso Oligographias Heutelicæ ratio se obtulit limpidissima. Nequaquam enim istis Stoicissimi nostri Senecæ dicterium applicabo divinum:

Qui nil potest sperare, desperet nihil.

Dii meliora duint, meliora de illis sentio. Ingenium meum aliam mihi rationem suggerit, ex rerum Natura desumtam. Hæc docet, quod omnia, quæ fiunt, ex Nutrimento suo fiant, uti bene (in hoc saltem) pater Theistarum Lucretius (qui, ut in parenthesi dicam, à Castis Caste legendus est, nam alioquin subtilitatibus suis Animos corrumpet infirmiorum in scientia præ omnibus necessaria) ait:

Nam veluti privata cibo Natura Animantum
Diffluit amittens corpus, sic omnia debent,
Dissolvi simul ac defecit suppeditare
Materies. . . . . .

En ergo rationem. Anima è caseo & Lacte confecta nimis est glutinosa, quam ut ideæ simul adnexæ avelli queant & ad exteros emigrare. Et verum sane est & testibus Jatriæ filiis compertum, viscosas substantias sibi semel connexas vix divelli. Sic de ideis viscosis sentiendum.

Τὸ Εὕρηκα mox exclamabimus. Musæ Lapinæ animas habent viscosas, ergo effluviis carenres. Subsumo & à contrariorum Natura argumentor:

Omnes quos ex Amnergorum Agro suscipit Heliconi, anima gaudent minus connectente, ejus particulæ

culæ ergo ſunt magis ſalientes, & quæ leviter percuſſæ ſilicis inſtar in omnes plagas ſcintillant.

Sed ne quid indemonſtratum linquamus, quis negabit hoc argumentum ſyllogiſticum ex Barbara?

Subſtantia, ex aqua confecta & farina, duriuſcula eſt & fragilis (i. e. particulas habet à toto facile ſeparabiles.)

Sed Animæ Helicocolarum Amnergicorum ſunt ſubſtantiæ ex aqua & farina confectæ.

Ergo Animæ Helicocolarum Amnergicorum ſunt duriuſculæ & fragiles.

Majoris conſequentia eſt Axioma, etiam cupediariis noſtris haud incognitum; Aſſumtum hoc Syllogiſmo invincibili firmum reddo itidem ex Barbara:

Cerevifia ex granis Cereris vel farina nondum evoluta & aqua conficitur.

Sed animæ Helicocolarum Amnergicorum ex Cerevifia fiunt.

Ergo ſunt ſubſtantiæ ex aqua & farina confectæ.

Prior propoſitio iterum vera, quia farina nondum evoluta & evoluta æque farina eſt, v. gr. farina ſacco incluſa. Poſterior ſi quis adeo ſit perfrictæ frontis, ut eam negare auſit, hoc modo demonſtrabitur ex Celarent,

Generatio quædam Animarum non . . .

(b.) Sed quid opus eſt? qui contra conſcientiam, Animas Amnergorum ex cerevifia nutriri & adeo fieri, negabit, habeat ſibi: Contra negantes Principia non eſt diſputandum. Imo ſi hanc ſuam hæreſin defendere proporro perget, ego etiam negabo & pernegabo, Heuteliorum animas è caſeo & lacte confectas. Videat poſtea quomodo me convicturus ſit.

(b.) αὐτὸς ἔφα.

Nil

Nil conficiet unquam iste ἀλόγως plane & irreligiosus scepticus, etsi Darapti Felaptique, & ex sexta Figura, si quædam esset, adjumento sint Disamis & Datisi. Ego vero odero Pyrrhonem talem, donec ad mentem saniorem reversus errore agnito supplex veniam à me petierit.

Nam sera nunquam est ad bonos mores via,
Quem pœnitet peccasse, pæne est innocens.

Ευρηκα ergo Ευρηκα. Cur non ex Balneo exclamare hæc licet? Heutelii vix scribunt, quia anima gaudent ex materia tenaci conflata. Amnergi contra scribunt, quia illorum ingenium è particulis constat à toto facile separabilibus.

Gratulor mihi, gratulor Mundo Erudito. Vobis Musæ! Tibi Jupiter Hominumque Divumque pater! grates persolvo quales possum maxumas, quod tale quiddam non amplius occultum manere volueritis.

Proh Musæ, quas Veneror! quales vobis excitabo Encomistas? quales aras exornabo? quam victimam immolabo? & tibi optume Helicon! vin bovem? vin Capellam? vin Hecatomben? *Suovetaurilia* offeram, sacrificium gratissimum tibi. Non illa quadrupedia, non illa suilla, non bovina, non arietina, sed has eruditionis meæ primitias, hoc inquam, quod tibi solum acceptum fero *Suovetaurile* non nisi ex ingenio consutum. Recipe *Suovetaurile* meum, tuum inquam, mi Helicon, recipe quæso, oro obsecro, peto, rogo, contestor, conjuro, ambio, imo corrumpo. Recipe ab illo quem nunquam rejecisti. Qui tuo Jussu Magnificus ad invidorum usque invidiam terque quaterque factus est; & jamjam luminaris instar magni, minora noctis lumina illustrat quidem, sed & ortu suo quotidie opaca reddit.

Ingenio tuo divino afflatus, mihi jam videor in suprema tua rupe constitutus, videor mihi jam Rex esse solus. Stagiritarum princeps solus. Solus Musarum Adonis,

Nec enim regna socium ferre, nec Tædæ sciunt.

Video, Video: apropinquat Numen. Arridet. Novit filium suum . . . En! . . . Affatur . . . Proh Dii Deæque omnes! . . . quæ verba quæso ? quam dulcia ? quam Jucunda ? Non egeo amplius sapientissimo vestro Ordine, Viri celebres, Sapientes! Ipse Deus præsto est; Vestris non amplius opus est Suffragiis: Suffragatur ipse Phœbus. Auditisne? quam . .

Extasis Matæologi

* * * * * * * * * *

Ubi sim nescio. Nec ubi fuerim satis constat. Apollor divinus Apollo me affatus est. Horreo, nec sat scio quis sim, Musarum una, an ex plebe τῶν ἀφιλοσόφων. Aliena prorsus à scholis nostris rescivi. Magister tamen sum & creatus & dyplomaticus & scientificus. Cur ergo Apollo à me dissentit ? dubitare de omnibus occipio. En verba ejus blandientia primum visa, sed acerbe desinentia. Quam acerba mihi, Magistrorum ex ordine primo ?

APOLLINIS ORATIO.

Salvus adsis in nostris oris, mi filiole. Imo, sic volente sic jubente Sapientissimo Ordine fili! Ordinante ita Scholarcharum Choro omniscio, Primogenite! Salvus maneas in nostro Helicone. Dii te servent Musæque omnes! Miror teque tuumque ingenium nostro Helicone dignum. Laudo animas tuas ex Lacte & Cerevisia conflatas. Totus quotus Magister es, Vide Heliconem meum uti glaber ubique est &

præ-

præceps, & nemo nisi in loco sibi conveniente vestigia imprimere potest. Polygonus est & in apicem desinit, Pyramidis instar: Apicem ego solus insideo. Reliqui omnes post me sunt. Viden infinitos, qui ascendere conantur? viden alios alios trudere? viden quam multi trudantur in locum, in quem, si soli fuissent, ascendere non potuissent? Vix tamen isti stabile vestigium imprimunt, in summa glabritie hærent, donec in locum recidant magis convenientem. Omnes nihilominus vel mei vel Musarum filii vocari cupiunt. Ego neminem repello, paucos foveo. Infiniti enim, quos infra medium montis constitutos vides, valli & murorum instar sunt, qui impediunt, quominus ad Mystas meos aditus pateat cuivis. Sunt instar Labyrinthi perpetuo se moventis, qui per infinitos anfractus est permeandus, antequam ad eos, qui Adyta mea custodiunt, perveniatur.

(*e.*) Viden inter eos turbam illam Andabatarum more pugnantem. Caput quidem cernis, sed cerebro carens. Ad obitum usque ferire eos diceres, & vix alter vel leviter sauciatur. Aërem uti ajunt vibrant cœcorum more. Quam contra pacifici sunt, qui propius me sunt & montis summa tenent? Vix hos dissentire videbis, & si dissentiunt, litem vel componunt, vel dissentire absque bile pergunt.

(*f.*) En ab altera parte numerum Thrasonum, quibus professis grandia, turget caput, & impraegnatum videtur, quasi Minervam proxime parituris. Fissuris jam patet totum sinciput. Jam projicit ampullas & sesquipedalia verba. Oculi jam loquuntur. Scientia exitum quærit, & quæ per os non potest, per manus erumpit, evadit.

(*g.*) En ab omni parte, circa montis pedem juvenum catervam. Jubar caput obnubit singulorum. A-

Mm 2 liud

(*d.*) Intrusi. (*e.*) Disputaces. (*f.*) Scribaces. (*g.*) Tyrones,

lìud ſuilli roſtri, aliud hircini capitis, aliud frontis leoninæ, aliud Meduſæ, pauciſſima Minervæ ſpeciem referunt. Omnes hi ſunt tyrones, qui non ante multum temporis ſacris meis nomen dedere. Sed viden quosdam horum caput ſuperciliosè gerentes. En illud roſtrum Suillum Laurea, en Gorgoneum illud cerebrum Pileo, alterum vero illum qui Simiæ quam Minervæ magis eſt ſimilis, Corona jam ornandum. Sunt hi Magiſtrandi Doctorandique noſtri. Hos omnes in filiis meis numerant, ego vix unum adopto.

(*h.*) Dubito an oculi tui ſint ſatis perſpicaces, ut myſterioſum illud Automaton introſpicere queas, nigro pulvere quaſi nube circundatum, quod niſi oculis aquilinis penetrari vix poteſt. Viden quam late ſe diffundat nubes. Intus latent, qui ſe Jovis vel ſacerdotes, vel miniſtros vocant. Letalis inter utrosque intercedit inimicitia. Furioſi præprimis ſunt, qui ſacerdotes dicuntur, miniſtros Tartaro tradendos clamitant. Ita ſe invicem proſcindunt. Nubes tamen hæc ſpiſſa nimis eſt, quam ut ad ſumma Heliconis aſcendere queat. Omnia mihi propinqua ſerena ſunt. Incluſi ſuo carceri manent ſacerdotes, & Heliconem non turbant. Plebem obſident quæ pedem montis circumſidet. (*i.*) Sunt tamen, qui nubem perrumpunt, & veram tuentes religionem, quæ Olympo magis eſt conveniens, in alta Heliconis ſede collocantur, prout à nube illa vel multum vel parum ſejuncti. Vera religio, quam ego ſecus ac mortalium multi colo, quæve per Amorem erga Numen ſummum & omnes mortales completur, è nullo Symbolo externo noſcitur, in Præcordiis latet, & ubicumque à lumine caligo diſſipata fuit, ſedem habet. Sunt inter incarceratos illos, quos Jovis Vicarios vocant. (*k.*) Princeps omnium Sacerdotum præfulget. Vicarius iſte

Prin-

(*h.*) Superſtitio. (*i.*) Vera religio. (*k.*) Ἱεραρχία.

Princeps moderatur non solum, quæ visibilia sunt, uti reliqui solent mortalium principes, cordibus quoque imperat, & si non coërcet, coërcere tamen cogitationes & ideas hominum satagit. Sed hoc mortalium generi admodum est familiare, Imperium exercere in alios, & imo Tyrannim, si detur copia, si non desint vires. Multi illorum, quos sub Jugo ingemiscere vides, laxatis frænis, illo effræniores forte futuri essent, & utplurimum illud verum: Tu si hic esses aliter sentires. Qualem tu mi Magistelle exercitaturus esses Autocratoriam, si ex castris tuis gymnasticis, in cœlestia illa transeundi daretur copia!

(*l.*) En illos, quos Æsculapio sacros dixeris, mille herbis tempora cinctos. Soporiferas manu gerunt virgas, quibus mundum fascinant. En turbam illam illos laudibus summis prosequentem, hos uxores suas, illas maritos, illos liberos, quorum nimia erat copia, oportune è medio sublatos, sibi gratulabundos. Veneficos crederes istos? Nequaquam. Sunt quibus nimio medendi studio, mortales ad inferos impune mittere licet. Magnum iis nomen. Styx & præcipue Charon eos olim quasi hostes odio prosequebatur maximo, hodie meliora edoctus, in honore summo habet. Sunt tamen, quos & hodie Tartarus aversatur damnosos sibi, ego vero filiorum genuinorum loco habeo. Sed mirum quantum ab iis hi numero superentur.

(*m.*) Risum jam teneas, Magister, spectatum admissus; en vetulas illas purgatrices, quas Sybillas crederes & Velledas turbæ Æsculapiacæ: semesæ sunt facie & letum post terga gerunt, characteribus notata chlamys. Viden quam sint negotiis obrutæ, ut carmina pronuncient, numeros venerentur, venenum coquant, unguenta parent, & ex fastis nefastum evitent diem. Conjunctis viribus istæ artem meam

 imi-

(*l.*) Medici. (*m.*) Vetulæ Medicinales.

imitantur, Medicinam emendant. Non invideo. Imponente stultior est, qui credit.

(*n.*) Quos proxime istas insequi vides, non sunt Æsculapiacæ illius Turbæ pedissequi, uti videtur. Tales quidem vulgo censentur, & ob letalia instrumenta, quæ gestare eos vides, lictorum speciem præ se ferunt, quasi iis tanquam consulibus suis fasces gererent. Sed etsi hi inter mortales locum illis cedant, ego tamen istos præ iis magni facio. Horum medendi genus plerumque certum, illorum incertum fere est. (*o.*) Æsculapii artem mihi hactenus tanquam reservatum quoddam retinui, nec hucusque ad vos permeare passus sum, ambigua sunt quæ in hoc genere nosse existumatis, & quæ nunc *Optume* vix alia vice procedent *Bene*.

(*p.*) En vero à parte remota, versus dextram, genus omnino diversum, quod me colit. Est illud quod vides in loco singulis conspicuo Veneri aut Musis simile, quibus sequiorem sexum dedit Prometheus. Viden quomodo incedant coronatæ. Tempora lauro & hæderis cincta. Spiritu quodam divino agitantur, ut me præcipue colant: sed non desunt, qui eas propterea aversantur, quamvis immerito. Odioso titulo traducuntur, quasi falcem in alienam messem mitterent. Viden quam salse rideant illi qui circumstant moriæ studiosi, quasi sibi solis Heliconem adire liceat. Falluntur. En quam prope capiti meo collocem Nymphas istas. Loca primaria obsident. Hic iis honos apud me habetur, & ne Venere careant, conjugio illas jungo stabili cum filiis mihi exoptatissimis, Vertumno enim litant dum apud vos sunt, quamvis me ament, & ne post mortem quidem eum dedignantur. Semper qua prurit parte femina sapit. En inter illas Heloissen, quam blandiatur Abelardo suo, quem post fata in integrum restitui, ut damnum, quod

(*n.*) Chirurgi. (*o.*) Jatria. (*p.*) Fœminæ Literatæ.

quod mea causa fecit, resarcirem. Hoc dicas velim inter mortales, qui Nymphis vestris, Heliconem majori frequentia quam hactenus factum adeundi, addatur stimulus. Est & alia ratio, sunt mihi quidam ex Solimannorum terra percari, quibus socias quæro. Est una inter vos Musa, Romano genere lata, quam præcipuorum uni ex istis Bosphori vicinis dicavi.

Eccum jam illos in altero latere, axibus, terebris dolabellis, normis mille numeris ornatis, circinis & aliis instrumentis instructos, quibus varia efformant nova; mira facere illos vides: humanis viribus imparia ut elevent pondera cernis, montes transferunt, maria loco movent, nova creant, turres in altum tollunt, civitates & palatia integra Aquis imponunt, ibi ambulatura, & alia. Sed præprimis commoda rei privatæ augent. Generis humani necessaria multiplicant quidem, sed & sublevant, mirumque in modem humanitati consulunt, quæ millena sibi fingit dulcia & utilia visa, sed reipsa onerosa, & magis onerosa futura, nisi isti essent circa commoda vestra occupati. Hoc ego genus mirum in modum foveo, illos præprimis, quos vides capitum instar cæteros (quasi essent membra sua) dirigere, & ducum more inventionibus suis novis præire.

(r.) Sunt qui horum ad exemplum totum universum per causarum seriem moveri existimant. En illos prope istos mechanicos constitutos, & discipulorum caterva munitos. Μηχανικῶν Σοφῶν nomine clarescunt. De fato disputant. Necessitatem à coactione distinguunt. Alii sunt his contrarii, quos eminusque cominusque contra hos pugnare vides. Mortifera tela hinc inde volant. Acerrimam vides pugnam. Prœlium anceps. In perpetuum duraturum. Nunquam etenim conficient. Sacra hæc sunto vobis, Magistri!

(q.) Mechanici. (r.) Philosophia Mechanica.

gistri ! Adyta , & inextricabilia. Nemo præter Jovem isthæc novit. Abscondita hæc etiam nobis, qui dii sumus. Magnum est argumentum pugnæ nunquam finituræ, quid illam ab orbis exordio cœptam, & inter sapientissimos fortissimosque viros varia fortuna semper agitatam fuisse, cernimus. Insignes illæ voces, libertas & fatum, scopulorum instar sunt, in quibus plurimi impegere. Sunt Scylla & Charibdis, inter quas medii evasuri, naufragium fecere. „ Proh „ Dii deæque ! quid audio, (his ego auditis & ab „ extasi paullum reversus ad me, evociferabam) „ Quid ? Magne Phæbe ! Mœcenatum quos habeo „ maxume ! Ego fatalista sum pergrandis, Stoicus & „ faticola. Tu, me damnas ? qui toties fui magnifi- „ cus. Nos ignoramus ergo isthæc ? Quid ? symbola „ nostra ergo sunt fallibilia ? Suspendendum ergo hic „ Judicium ? Tacendum ? Ignorandum ? Dic quæso „ maxime Deus effare. Oro : obsecro . . . . hæc „ taliaque cum bis aut ter repetiissem, viso, illum, „ misso responso, ad alia plane pergere, religioso „ silentio linguam compescui, & illum audivi modo „ subsequente pergentem.

(s.) Sed illi, quos Architectos credideris vel Technicos, non sunt quales videntur : Systematum sunt confectores. Quam sunt diligentes in struendo ædificio ? quales erigunt turres ? Quæ Palatia ? Mirare Magister quam artificiose, latissima moles quam angustum desinat in pedem. Prodigium ! in summitate inchoant ædes, & his perfectis demum fundamentum quærunt. Cornubus Abundantiæ similia sunt horum ædificia. Odorem late spargunt superne. E nihilo emergunt, quæ vides. Quale miraculum ? En illos è fæce meorum Attlantum instar Olympos istos Systematicos dorso excipientes, Mole sua ruituros, ni Joves tales adessent Feretrii. Sed vide quam sint ruino-

sa

(s.) **Systematum Confectores.**

ſa pleraque horum Automatum. Exitium minantur ſibi ſuisque. En illas machinas quomodo corruant. Audi clamorem agoniſantium. En expirantes illos etiam in ultimo vitæ articulo, pedibusque manibusque ſyſtema ſuum mordacitus tenentes. Vincuntur tamen tandem Atlantes iſti à Herculea prole, ſed vix victis, victores illorum ab alio iterum, qui magis eſt Hercules, de novo vincuntur, ita in infinitum, uti fallacia fallaciam, ſic Sophia Sophiam trudit.

(*t.*) Jam jam Magiſter aſpice, ſerenas & viriles illas facies, Turbæ juxta nubem conſtitutæ. Togis purpura tinctis lato clavo, Bilance, gladio, Sceptro & aliis imperii & conſilii notis inſignis, incedit hæc illuſtris Concio. Dux Themis ipſa Legum juſtiſſimos iſtos moderatur animos. Horum quid jubeant, quid conſulant, illorum quos digito monſtro, juſſa capeſſere fas eſt. Non enim dubito, te maximum illud agmen, quod illuſtres hoſce obedienti Corporis habitu inſequitur, obſervare. Sunt illi, populus qui horum vel voluntate, vel conſilio regitur, ſunt quos hi felices reddere, quibus conciliare pacem, honoresque bonaque ſua ſingulis tribuere gaudent. Viden illos qui dirimunt ambigua fata cauſarum, qui lapſa erigunt, fatigata reparant, & non minus provident humano generi, quam qui vulneribus patriam parentesque ſervarunt. (*u.*) Sed quam vellem, ut jus Romanum non ita tenaciter venerarentur. Magna quidem ſunt quæ ibi latent, ſed noſtro ſeculo plurima incongrua. Singuli ſtatus ſingulas leges poſtulant, aliud ſeculum alios mores, diverſam vitam, & adeo diverſas regulas profert. Sophia quæ de moribus diſputat, actiones hominum dijudicat, ſemper eadem, ſed ex diverſis Principiis demonſtratur. Sed & in divino veſtro Latii veteris jure, ea ſibi non ſatis conſtare in confeſſo eſt. Diverſæ hinc Sabellii, Proculi,

Mm 5 Papi-

(*t.*) Juriſconſulti & Dynaſtæ. (*u.*) Legiſtæ.

Papiniani, Scevolæ & aliorum sententiæ. Leges familiares ex moribus petendæ. Diversi hi in veteri illa Roma, diversi in nova illa Orientis, & toto cœlo differunt apud vos. Illæ Leges, quæ contractus & pacta dirigunt, plerumque optimæ, sed sæpe subtilius quam justius latæ. Quæ de Mancipiis, de nuptiis, de judiciis dicuntur, nostro ævo apud saniores facile corruent. Subtilia sunt, quæ de testamentis dicunrur, & solennitates desiderant, quæ hodie fraudes non tam evitant, quam ultimas Voluntates dubias reddunt. Quæ de Legatis tradunt, hodie inapplicabilia. Lingua diversa, Res privatæ alio modo instructæ, regulas ex communi vestro jure petitas irritas reddunt. Doctrina de Actionibus, in diversis Judiciorum formis, oportet ut sit diversissima. Pœnæ exasperandæ vel leniendæ, prout delicta sunt communia. Sed diversa Climata diversa producunt vitia. Quæ in Latio, quæ in Natolia sunt frequentia, apud vos rara sunt. Manes hodie non amplius, uti olim, partes corporis, nec locum sepulturæ sequuntur, &, ut paucis dicam, rationes veterum Legum hodie cessant plerumque.

(*x.*) Illos ergo solumodo pro meis agnosco, qui rationi sanæ obedientes, natura humana inspecta, & vitiis proportionato modo leges interpretantur. Minus itaque illos facio, quos ex canonum suorum regulis omnia metientes cucullatos plerosque, vel indusiis albis, vel omnino caputiis quadratis, dæmonum (quales vos illos depingere soletis) modo vestitos incedere, & Jactabundos Sacro Sancta sua intellectui mortalium obtrudere vides. Decreta istis fecere, quibus uti pullis solet evenire, primum nudis & satis simplicibus, sensim sensimque crevere alæ. Mirum quod istis instructi cœlum visibili modo non scanserint, invisibili enim & modo incomprehensibili id fecisse feruntur. Hi omnia ad forum suum tracturi, in cau-

(*x.*) Canonista.

causas spirituales seculares transformarunt causas. Quid mirum? tria vel quatuor verba mistice pronunciata farinam in carnem mutant. Cur, hoc si possint, ex Judicio corporeo, Ecclesiasticum & invisibilitate sua divinum non facerent? cur à Jove immediate substitutus pro beneplacito suo non dirigeret mediata illa Judicia humana? Judicia illa (uti illis placet scilicet) secundaria? Et quorum curæ maximum fuit traditum, qui ævi futuri fata in manu habent, cur non iisdem spurca ista caduca, & vanitati obnoxia in exiguo hoc seculo traderentur? Bene hercle & accomode ad horum ambitionem & auri famem satiandam, nec mirum quod ad hæc magis stabilienda *Extravagantibus* opus fuerit, ut firmiori pede *Vagari extra* rationem liceret. Bene illis equidem; sed quam bene populo, vos videatis. Ego tamen hujuscemodi studium nequaquam negligendum existumo. Quid ante vos factum sit exinde colligere licet. Fraudes & machinationes magnorum illorum secundum morem hujus Seculi hominum, edisci exinde queunt, & ab hodiernis idem molientibus præcaveri. Imo si rerum status voluerit legum loco quædam retineri possunt; modo non (quod tamen factum video) missis principiis leges tamen exinde fluentes observandæ dentur. Maxumæ hinc sæpe oriuntur contradictiones, quæ miro modo forum & Justitiam implicant, & ego maxumi facio eos, qui his detegendis operam navant.

(y.) Ex sinistra parte videbis gregem Ἐνθυσιαςῶν. Aciei alatæ speciem præbent. Pedetentim moventur. Quosdam ex illa Æthera petentes observare poteris, in media jam aëris regione constitutos, alios his paulo inferiores, alios vero quamvis vel maxime æquare cupiant astra, plumbeos nimis, & struthionum instar, vix è terra se tollere valentes. Sunt quoque qui Icaro similes Solem petunt, sed antequam prævideas,

(y.) Poetæ.

deas, præcipites ruunt, & magno ictu terram quatiunt. Pauci horum æquali motu feruntur. Sunt diversi generis. Alios tragico habitu tragico cum comitatu, alios comice incedere vides, sunt quos Heroes, sunt quos Dii Deæque omnes, sunt quos rerum sordes & sentinæ, sunt quos Gratiæ comitantur, sunt quos Lupercales pueri perpetuo sequuntur. Sed perpauci, quæ referre volunt, referunt, & plurimi illorum sibi nunquam satis constant. Omnes hæ turbæ sæpius ita miscentur, ut ad quem ducem referendæ sint, vix rescire possis. Humano capiti cervicem jungunt equinam, placidis coëunt immitia, tigribus geminantur agni.

„ Hic ego iterum ab Extasi paulum reversus, Au-
„ dito Apollinis sermone, (durius enim ultima verba
„ effabatur & quasi adclamitabat) illum Divinum
„ Flaccum legisse pergavisus, sic cœpi, Magne Pa-
„ ter! ex hoc me filium tuum genuinum esse perspi-
„ cies. Anthologiam domi habeo maximam, quam
„ ex omnibus Poëtarum Principibus compilavi. In
„ Locos communes omnia redegi. In vocabulo *Poeta*
„ quam pulchra reperires in florilegio meo? Antho-
„ logiam enim græcam vocem esse, & in prisca *Latio-*
„ *colarum* lingua florilegium sonare non ignoras ma-
„ gne Phœbe! maxume Linguicolarum Præses! fau-
„ tor! & nostratium decus egregium! Horatium in
„ Flora mea non excerpsi, sed totum memoriter te-
„ neo, & Pœtarum nostri ævi sum facile princeps.
„ En initium ex arte poetica, quod Tu perverse reci-
„ tasti: (Proh Dii Apollinem emendo.)

„ *Humano capiti cervicem pictor equinam,*
„ *Jungere si velit, & varias inducere plumas,*
„ *Undique conlatis membris, ut turpiter atrum*
„ *Desinat in piscem mulier formosa superne &c.*

„ En

„ En aliud.

„ *Inceptis gravibus plerumque & magna professis*
„ *Purpureus late, qui splendeat unus & alter,*
„ *Assuitur pannus.* . . . . .

„ Vis quiddam ex Odis, vin aliquid ex Carminibus,
„ quid placet magne Pater? En. . . . Plura recitatu-
„ rus eram, sed severus Pater imposito mihi silentio,
„ Orationem sequenti modo prosecutus est;

Vide, mi Poetarum Magister, Heroem illum inter Parasitorum gregem ludibria tractantem. Sed quod plus mirandum, en bachantes illos binos Juvenes in subtristi illa turba, quomodo vagentur, & Deos illos, quos in Olympi modo jugo conspicabare, subito in cloacam delapsos, & illum, qui vix Phalangem ferro & scutis hispidam duxit, jam ob vile scortum lachrimis diffluentem. En Olympi Moderatorem, quomodo in Æthiopia crapulæ indulgeat. Scin quid ille cum ampullis suis & sequipedalibus verbis sibi velit, cujus caput Septentrioni simile, & Aquilonem spirare videtur, ita frigent, quæ fabulatur.

(z.) Ecce vero illos annis & pannis obsitos Saturnios Vultus, qui intenti in pulvere sedent. Librorum strues latera munit. Schedæ semesæ sedis loco sunt & pulvinaris. Instrumentis perlatis pellucidis nasum onerant, oculos armant. Vide quam sint attenti in pulvere legendo, aurum quærunt & gemmas. En rostrum illud proxime situm, pro quo si quis forte pulvisculum reperit præ cæteris gliscentem, Thesaurum suum mirum quantum extollit. Sunt hi qui ex omnibus scientiarum segmentis, quæ alii tanquam rasuras neglexere, quod sibi conveniat quærunt. Pretium quam maximum inde sperant. Sciunt isti, quæ aliis minutissima videntur. Sciunt Jovis pollex dexter quantum prævaluerit sinistro? Crines mei flaviores, an

(z.) Critici.

an Capilli Veneris? quoties Juno, quoties Venus, & an Pallas unquam virum passa sit? Pomum discordiæ fuerit ne, ex auro Ophyris vel ex Peru? an ex lino communi an Asbesto filum suum nent Parcæ? Proci Penelopes an quoque canes secum duxerint? & alia. (a.) Audin de calcaribus Equitum Romanorum, & de fibula Virginis Romanæ nuper reperta disputantes. Vide illum demonstrantem, Liviæ vel Juliæ inaurem fuisse fibulam istam. Aliis aliud placet. Ornamentum fuisse calonum, quo Strigiles ornarint asserunt. Alii in re tam ardua Judicium detrectant. Horrent istos audaces, istos irreligiosos, qui ita temere sententiam produnt. Ut vociferant! Nil minus curat istud genus hominum, quam quod curandum erat maxume. Negligunt indagationem rerum publicarumque morumque veterum; Scientias deperd.tas pro sepultis habent; Facta & Historiæ nullius momenti illis sunt, præ næniis istis; Quid Varro, quid alii grammatici de verbo quodam scripserint majoris sunt ponderis, quam viam indagare, qua viri maxumi trita, Illustres ad seros usque posteros evasere; Omnia Tripudiorum genera nosse, nosse Pantomymorum omnia nomina magis illorum interest, quam inquirere in magnos Nævos Virorum maximorum: quæ tamen rescivisse, omnibus probis cautelæ loco futura essent. Hanc Politicis esse demandatam provinciam existumant, seque orbe suo excisuros esse credunt, si infinite parva mirari desinerent: Infinite magni ipsi fieri cupiunt in comparatione horum; Nec male: desperatis rebus desperata remedia applicanda. De vera acquirenda scientia nil sperant, falsa ergo & imaginaria erat reperienda, quæ illorum captui par esset. Velim Magister, Te isthæc studia comparare cum illorum negotio, qui exteras nationes visunt: Hi si gentium quas adeunt, indagant mores, officio cordatorum peregrinantium funguntur. Statum publi-

(a) Antiquarii.

cum

cum aliarum gentium, & formam legum nosse perutile est omnibus in patriæ utilitatem peregrinantibus. Nullus enim status est adeo perfectus, ut ad exemplum alterius quiddam corigi nequeat. Mores privatos inquisivisse & facta moralia honesti viri est officium, qui semet ipsum meliorem reddere cupit. Exinde quæ satiora nostris imitari, quæ pejora fugere potest. Exinde cessat plerorumque pro sua gente præjudicium, qui nil rectum, nisi quod cum suis moribus conveniat, censent. Animum ad Oeconomiam exterorum advertere, quomodo vitam privatam instituant scrutari, quæ superflua, quæ ad luxum potius quam ad necessitatem faciant perquirere, prudentis est, & ad commoda familiæ promovenda perutile. Hoc loco Magister peregrinationem vestram in Latium antiquum, in Græciam, in Persiam, immo in Assyriam ad Beli usque tempora, instituere licet. Si alia ratione iter instruitis, Auram captatis, muscas sectamini, umbræ operam datis. Utilia non curiosa ego in Doctore requiro. Multum prodesse, non multum scire Doctorem volo. Cicerones hodiernos parvi facio, qui verba ejus non res imitantur. Plutarchos odi qui multis myriadibus tricarum opera sua farciunt, utilibus, secus ac ille fecit, missis. Peregrinatorem sane qui omnes Parisiis Cloacas, omnes Gynæcæi persici Angiportus, omnia balneorum Italicorum (etsi Patris maxumi sedem adjunxerit) receptacula, omnes festorum (quæ Galas vocant) Iberi- Teutonicarum minutias gravissimas, omnia navium Britannicorum ornamenta & in puppe & in prora posita, Thaides illorum omnes à capite ad inguinem & sic deinceps ad pedis usque digitum minimum descripserit, vulgus eo plus ridebit, quo exactior fuerit. Ego magis vulgaris & plebejus sum, quam vulgus vestrum doctius me credit. Eruditio mea non est adornata more ædificiorum Gothicorum, in quibus præ ornamentorum futilium

lium multitudine ipsa structura cerni vix potest. Planus sum, & nil ad ornatum meum facit, nisi quod necessarium, nisi quod utile est, & proin non aliam sortem apud me merentur Architecti isti Literarum Gothicis sculptilibus immane turgidi, quam peregrinator ille vulgo quoque ridiculus. Æque sperno Antiquarios Vestros Tricilegos, Criticos obesissimæ naris quosvis, & grammaticularios, qui omnes Literarum formas norunt, & in oceano vocabulorum vasto nantes modo non submersi reperiuntur. . . . . .

„ Hic ego, non secus ac Jovis Tonantis, non minorum illorum, (ego enim plures & ultra duodecim fuisse reperi Joves, quod cœlitus mihi gratia missa, diligens veterum Latii & Helleniæ tam cis quam ultra Ponticæ, autorum lectio me edocuit) fulmine percussus obstupui. Jocari mecum Apollinem ab initio credebam. Sed nimis longus erat, Parum abfuit, quin ad Tartareos locos descenderim. Jam videbar mihi videre Charontem rauca voce obolum à me petentem. Jamjam Cerberi vocem audiebam. Elysios ad dextram, voraginem ignivomum ad sinistram cominus jam non eminus conspiciebam. Intra teli jactum Phalangis Manium nigrarum aspectu terrebar, & lintei instar Matris Lorettanæ purissimi pallebat corpus meum. Totus extra me ad Apollinis pedes prostratus, credo solem multa in Zodiaco milliaria emensisse, donec ad me reverterer. Sed quod plus me enecabat nostratium ne unum quidem in beatis campis conspexi. Veterum quosdam, quos colimus, barbatos ad pectus usque in delitiis maxumis versari animadverti. Tandem tamen fiducia justissimæ nostræ causæ adjutus, ad me redii. Baretratos & magnificos nostros sceptrigeros, in honoratiori loco constitutos hallucinatus, & in penetralia Hortorum istorum beatorum,

„ torum, admissos, quominus cerni possent à quo-
„ vis profano, suspicatus, memet ipsum solabar. Su-
„ bito deinde oculis apertis, placidiorem Apollinis
„ vultum vidi, & blanda voce me denuo compel-
„ lantem audivi, hoc modo, ...

Ne tamen credas, Magister, eos nil omnino proficere; en cumulum haud spernendum, quem collegere. En multos eorum, quos in summo Helicone constitui, quomodo accurrant, ut ex horum opera depromant sibi profutura. His mihi præcipue opus est, ἀχθοφόροις τοῦ Ἑλικῶνος. Magni eos facio, qui moderatiores sunt, & Momenta scientiarum, missis minutiis, ex pulvere legunt. Sed & condono sæpius, si forsan minutiora magni faciunt, modo majora quoque repererint. Maximi momenti res ita repertas, sine horum ope ignoraretis. Hi enim si saniores sint Temporum seriem in ordinem redigunt, Historias emendant, Linguas ornant & alia quæ dignos eos reddunt, ut in filiorum meorum ordine censeantur faciunt.

(*b.*) Illi quos à Latere horum vides, caput Jano similes bicipiti vel tricipiti, sunt qui quam maxime istos referunt, sed non ex parte sinistra. Arrige aures, intende oculos Magister. Vide quam attente omnia considerent. En illos faciem retrorsum positam habentes, quam acutis oculis retrospiciant. In Atavorum Secula eos retrogredi diceres, & in Saturni ævum penetrare. En alteros illos quibus trina facies, quomodo in omnes partes aciem oculorum dirigant, & omnia indagent, quæ fiunt. En alteros illos bicipites, qui facies versus latera gerunt, quomodo eorum quæ suo tempore fiunt, nihil omnino ignorent, omnia scrutentur. En Chronium patrem & Mercurium huic turbæ supervolantes, & plausu excipientes, quæ agunt. Ego paucos filiorum meorum tanti, pauciores pluris, plurimos minoris facio. Mul-

(*b.*) Historici.

ti horum quibus corruscat caput meum, dum in vestro regno adhuc degerent, ex Janorum illorum grege fuere. Peramo specula quæ isti componunt, usui Mortalibus summo futura, si, quod tamen vix evenit, exemplum inde sibi sumerent. Sunt inter hos, Vestæ Sacrificatores, qui rerum cognoscere causas dum cupiunt, causarum effectus indagant, Κοσμολογοι. (c.) Naturam sequuntur oculis, calamo, & nil se fugere volunt. Inquirunt in tria Regna Physica. Jovis isto modo potentiam humanæque mentis dum pandunt solertiam, totius, à summo Ente dependentiam (mirum quam pulchre) pingunt. Minima quidem aliquando miscent; Non tamen adeo male: Et Atomi enim æque ac syderum orbes Ποιητην annunciant. Et tu quoque Magister, Apollinem esse, singulis te videntibus, nolentibus quamvis, prodis. (d.) Sed vellem, ut illi qui Chronica mea conscribunt, minutiis valedicerent. Sunt minus Ἀκριϐεῖς. Multa in Helicone eveniunt notatu dignissima, sed omnia Tabulis Ahæneis non sint digna. Ἀλλότρια sæpe recensent. Quid ad Heliconem attinet, cum qua mortalium Venere filius meus se miscuerit? Quid ad nos, quos filios habuerit, si isti Castra deseruerint? Quid ad me, an χρυσοκομος? an Γλαυκῶπις Minerva? Sed & an quis Doctus erit, qui omnia scriptorum insignia, nomina omnia, omnes librorum cortices, missa medulla sciverit? Hic sæpe Historici Literarii impingunt. Omnes filios meos norunt, sed in vestibulo scientiarum hærent, nec in penetralia penetrant. Nomina, non res quærunt.

(e.) Circulus, quem (uti tibi videtur radiis compositum) circa caput meum perlucidum vides, sunt Genii filiorum meorum, qui terram reliquere. Hic iis honos habetur, ut satellitum instar, perpetuo caput meum cingant. Quibus summus Heliconis gradus conti-

(c.) Historia Naturali. (d.) Historia Literaria.
(e.) Jubar Apollinis.

contigerat dum viverent. proxumo, quibus inferior, remotiori ſpatio caput meum circumdant. Quodvis illorum genus, radium conſtituit, à parte quadam capitis mei inchoantem.

(*f.*) Cynicorum Principes barbæ loco mihi ſunt, Epicurei gulæ propiora loca tenent. Quidam horum adeo remoti ſunt à capite meo, ut quamvis è terra ſublati, terram tamen denuo cogantur tangere.

(*g.*) Hi ſi forte unum eorum offendant, quos in pede Heliconis vides remotiſſimo, Errones eos reddunt & Viſionibus obnoxios. Sophiam & amorem humanum divinumque miſcent. Spernunt uti ajunt terreſtria. Cœleſtia petunt. Sed omnia adeo mixta, ut Chaos eos efficere merito crederes.

(*h.*) Vide namque, Magiſter, & mirare, quomodo aurum quærant; Aurum loca Divis habitata illis ſignificat, modo Emblematico. Orbes cœleſtes in terra quærunt. Omnia olim igne calcinanda, & Elyſii exinde conficiendi campi, Beatorum ſedes. Id opus. Jam orſuri, quantum in ſe eſt fornaces condunt, Ægyptiacos, multiplicata flamma. Numen imitaturi, cujus ſe profitentur Adeptos.

(*i.*) Sed vide iſtis fere ſimiles, ſed mihi percaros ſemideos illos. Vulcanos diceres ob ignis ſervitium: Medicos propter Phiolas ubique conſpicuas: Melancholicos propter exſpectationem futurorum ſubtriſtem, immo captivos, & cameræ ſuæ quaſi carceri incluſos. Quales quales tamen iſti tibi videntur, magorum & Sortilegum nomine noti apud veſtrum vulgus, penetralia naturæ exhauriunt, & Elementorum ſecretione, quin & mirabilium productione Naturam imitantur, imo ipſi Natura quædam fiunt. Creant nova corpora, creant ſpiritus, creata ſæpe deſtru-
Nn 2 unt,

(*f.*) Cynici & Epicurei. (*g.*) Myſtici. (*h.*) Adepti. (*i.*) Chymici.

unt, sæpius transformant in miracula rerum, vel invisibilia reddunt, quæ videbantur, immo annihilant, fulminant quando placet ; quando placet Aeolus ad Jussa præsto est. Ex aqua eliciunt ignem, materiam illam stupendam, Phosphoricam. Mortuis plane & pondere suo præ omnibus subsidentibus corporibus, vitam largiuntur, ex duris fluida in perpetuum reddunt, minimo vitæ calore addito in auras evolare jussis obedire cogunt, & quis omnia illorum enarret miracula ?

(*k.*) Qui Musicam exercent, Lyram meam circumsident. Nonne illam vides resplendescentem ? Sed & audin illam sæpius tonos emittentem, me quamvis non tangente. Ita comparatæ sunt istæ animæ symphoniacæ, ut ne post mortem quidem sonos modulari dediscant. Vix incipiet rogatus, sed si cœperit, non desinet utroque modo inexorabilis Cantor.

(*l.*) Verticem meum obsident Mathematici & Astronomi. Maxumi vero illorum, non (uti in reliquis filiorum meorum generibus moris est) proximiores mihi sunt, sed vice versa. Astra petunt primores illorum, qui Minorum fuere Gentium caput meum tangunt. Complacui illis, & quidem libenter. Animæ istæ de divinitate nunquam satis convictæ, & mihi forsan de statu quæstionem movissent.

„ Cum hæc Apollo diceret, vix abstinere potui, quin
„ in impios Mathematicos inveherer, & interrupto
„ iterum Phœbi sermone, clamitans dixi,

„ Magne Apollo ! quam gaudeo te mecum sentire.
„ Vellem ut pestis omnes istos infideles devoraret.
„ Naso, Divinus Naso de his jam vaticinatus est. Scio
„ & pro certo comperi, sunt Mathematici Gigantes
„ illi, quos, ne foret terris securior Æther

„ *Affectasse ferunt regnum Cœleste . . . .*
„ *Altaque congestos struxisse ad sidera montes.*

(*k.*) Musici. (*l.*) Mathematici.

„ Sunt

„ Sunt

illa propago,
Contemptrix Superum & violenta.
Sed Pater omnipotens, misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subjecto Pelio Ossam.

„ Istud Istud,

Perdendum mortale genus, (per flumina juro,
Infera sub terras stygio labentia luco)
. . . . . & immedicabile Vulnus,
Ense recidendum, ...

„ Quo dicto à risu non abstinui. Ast ille ira com-„ motus me increpans, ita perrexit.

Quem subito tollis cachinnum Magister? Ne tibi blandiaris ita vehementer in laudem tuam propensus. Ita solent spernere, quæ ignorant Magistri nostri. Sed quod de illis dictum tua non extollit merita. Quam male comparatum est de iis, qui aliorum Sphalmata pruriente animo audiunt, & se exinde meliores effici existimant? Nec illi propterea spernendi Cœlorum mensores. Certitudinem dum quærunt, bona fide ut plurimum dubitant. Sed semel convictis, totus Magistrorum ordo non prævalebit. Taceo, quod Mathematici, rationis Amici summi & familiares de jure audiant, deque mortalium genere, præ multis filiorum meorum optime mereantur.

(*m.*) Sperne potius Causidicos illos pedaneos, qui Themidis uti volunt causam inter mortales gessere. Istos longe à me removeo Heliconem sine dubio turbaturos, qui Mortales turbare, dum inter vos degerent, nunquam desierunt. Spatium illis separatum ab omnibus dedi. Videsne illic versus septentrionis plagam, turbulentas istas animas, quomodo in gy-

 rum

(*m.*) Causidici.

rum se moveant, & crebris ictibus quoties sibi occurrunt se percutiant. Ut moventur! Furiarum instar agitantur, sed non sunt tam inimici, ac hostes videntur. Colludunt sæpe, qui se maxime proscindunt.

(*n.*) Et iniqui illi Judices, quorum tribunal obsidet isthæc bellatrix turba, viden' quomodo jus reddant istis saccularíis, quale dum in vita essent suevere. Perpetua lis, perpetua discordia manebit in æviternum, istos generis humani Legumque tortores, istos ex Japeti sanguine satos, sed commessationes, sed dapes, sed amicæ, sed ludi, sed aurum & Crœsi divitiæ, perpetui olim illorum comites, in illa qua eos vides plaga deseruere. Subtristes ob hanc causam eos vides, & truci facie, obtusis auribus, partes querulas audire.

(*o.*) Est genus, quod prope Mathematicos collocavi. Scepticos vocant. Vicinos volui esse, quo juxta se positi magis elucescant. Dubitant isti an existant, an edant, an bibant, an concumbant? Injurias solas sibi illatas, & ultionem subsequentem vere existere credunt. Duo ergo Principia statuunt, alterum sibi, alrerum aliis infestum. Sed vix ad se redeunt, ut Deum suum denuo negent. Existumarunt antea tantum se læsos fuisse, & dubitant an alteri malum inflixerint, immo an dubitenr non satis constat. Viden quam fluctuent animæ istæ, æquoris instar agitantur, ebriorum more titubant. Quam vero Mathematici stabiles, & quasi rupes immoti! Vellem equidem ut ne quid nimis. Isti sæpe dubitare nolunt, ne contrarium discant. Illi dubitant, ut omnia nesciant. Ego vero eos magni facio, qui de omnibus in principio dubitant, ut de omnibus postmodum certi fiant.

(*p.*) Sunt alii qui nulla re se commoveri jactitant. Hos ego, quia nil est quod doleat, sub mentum meum collocavi. Vicinos volui esse Cynicis & Epicureis,

(*n.*) Iniqui Judices. (*o.*) Sceptici. (*p.*) Stoici.

reis, ut discant ibi lacessier tranquillo animo, & ego tot illis plagas infligo, quot verba pronuncio. Sed hoc de iis tantum dico ψευδο-Stoicis, veros peramo, modo se homines esse non obliviscantur, & se pati vel petere quid posse, pro confesso habeant, Fatumque æquo ferre animo discant. In loco præcipuo habeo tales Divinitatis veneratores.

(*q.*) Revoca nunc oculos Heliconem versus. Vide circumcirca. Volve visum quaquaversum ut circumspicias .... En vero imprimis in turba illa Orienti proxima, paulo supra montis radicem, ad me usque multos, quos non nosti. Aspice quoque alios quos nosti. Hi sunt qui calamo, illi qui ingenio me venerantur. Quod vero multos horum infra eos vides, est quia ingenium solum, non calamus solus, gradus in Helicone dirigit. Ego omnes novi, etsi vos non noscatis nisi scriptis insignes. Amnergi tria versus Orientem Heliconis Latera, Heutelii unum quod pone est, reliquæ gentes reliqua latera tenent. Vides omnia æque civibus repleta. Vides plerumque unum Lapinum, cum tribus è Tuscionis prosapia. (*r.*) Sed vellem ut illorum plures nosses. Parci nimis sunt calamo. Zelotypia quasi agitari diceres, ne quis quæ sciunt resciat. Laudarem si loqui nollent, ne male loquantur. Sed vereor de desidia. Quivis se nosse debet. Thrasones vitupero, sed Timidos sperno, fortuna fortes metuit, ignavos premit. Et satius aliquando male, quam nunquam bene. Vix quis perpetuo male.

(*s.*) Vos vero justo plus indulgetis calamo. Rimis fere pleni estis. Ridiculi multi facti sunt, honorandi si tacuissent. Sæpius tamen ignosco, & præ nimio vestro studio condono. Qui Lauream, qui Palmam vobis tribuunt, hoc maxime expetunt, ut Chartas ty-

(*q.*) De iis, qui sunt Autores, vel non. (*r.*) Oligographia. (*s.*) Polygraphia.

pis editas conspiciant. Multi nomina sua, magnis laudibus expressa, præmitti gaudent. Ex hoc sæpe merita vestra dimetiuntur Mæcenates vestri. Sed & è scriptorum multitudine sæpe bona redundant. Enucleandæ scientiæ sibi involutæ. Inventoribus Lauream tribuit Olympus, quam sæpe reportarunt Amnergorum divina capita. Sed vix reportassent, si non infiniti se operi accinxissent, quorum etsi pauci rem tetigerint, plures tamen adjumento fuere.

Res sunt quædam adeo occultæ, & mille involutæ involucris, quæ unus omnia tollere nequit. Non cuivis datum est soli Augiæ stabulum purgare; &, in mille formas se versare Proteum, ipsum Numen est passum, probe conscium, omnia non nisi per rerum seriem comparere.

„ Hic ego iterum, etsi bis reprehensus, scientificam
„ meam scientiam quin demonstrarem, ferre non po-
„ tui,

„ Maxume (ἔφην) Heliconis Moderator. Salse Pa-
„ ter! Magnitudo tua non ægre feret, si dixero, me
„ Ovidium quoque legisse & perlegisse, & in scholis,
„ ubi Tyrocinium magnæ sapientiæ feci, cum magno
„ applausu versus ejus imitatum fuisse, scio scio quid
„ velis Flavo-crinite Apollo! Metamorphoseon in
„ Libris, quos sine dubio inspirante numine conscrip-
„ sit Divinus & Cæsaribus præferendus Naso, fit mentio
„ Protei. Sed quid? annon Virgilius Astris dignus de
„ hoc multa, elegantia, vera, stupenda? En illa,
„ nam & huncPoëtarum Regem, Imperatorem, immo
„ Cæsarem memoria teneo.

„ En Magne Pater quæ dicit. *Hic tibi nate prius est*
„ *vinclis capiendus cæruleus Proteus*

„ *Nam sine vi non ulla dabit præcepta neque illum*
„ *Orando flectes* . . . .

Ille

„ . . . . *Ille ſuæ contra non immemor artis*
„ *Omnia transformat ſe in miracula rerum*
„ *Ignemque horribilemque feram fluviumque liquentem.*
„ *Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus,*
„ *In ſe redit* . . . .
„ *Quippe ita Neptuno viſum eſt* . , ...

„ Hæc fatus conticui. Subriſit Apollo & leviter „ inclinato capite, in ſilentii ſignum, his adhuc pau„ cis ſed mordacibus ſermoni finem impoſuit.

Noſtin Pſittacorum gentem Magiſter ? Et hæc Memoria pollet, Judicium exſpectat. Sed & Veſtales noſtræ cantant, quæ non intelligunt. Verba ſcite pronunciare nec eſt arduum, nec pulchrum, ſed illorum vim noſſe, & in tempore iis uti poſſe neceſſarium eſt, qua deficiente anima, Verba præter fumum, præter aerem nihil ſunt. Mira videres mi Magiſter, ſi rerum evolutiones noſſes. Cauſarum ſcires ſeriem. Quam pulchre omnia, quæ ſibi videntur contraria, colludant, perſpiceres. Quomodo ad ſummi Numinis placitum, omnia ad finem tendant optimum conciperes. Scenas, actus, cataſtrophes, & reſolutiones magni & mirandi Theatri cognoſceres, mirareris, & quam puſillus, quam nihil ſis tu & totus mortalium cœtus ſentires. Neminem odiſſes, & quem fert Numen, æquo ferres animo. Sed animo ad hoc opus eſt non imperioſo, ſed plus quam lynceis opus eſt oculis. Sunt veſtrum, qui iis non carent, ſed rari. Vix alioquin evoluta ſæpius involveretis, & ſtylus Ambroſia & Nectare ſæpius, quam Cereviſia perfunderetur : Tu vero filiole, tuique ſimiles in inferiori collocaremini loco.

FINIS

FINIS ORATIONIS APOLLINIS.

„ Dixit : ſed non diſparuit. Ego vero dejectus de „ rupe Apollinis mihi videbar ſubito, & inter plebem „ collocatus. Ex profundo ſuſpiciebam Apollinem, „ extremum ſpiritum trahens, & ſenſim mihi Apollo „ non amplius Apollo, ſed de Satyrorum grege eſſe „ viſus eſt. Væ mihi quam mortuus ſum ! quam ter- „ ritus caſu meo ! & tamen inſomnia credo fuiſſe quæ „ vidi, quamvis inſomnioſus non ſim. Nam quis- „ quis ſit Apollo ille, Stylus ejus baſſam ſpirat Lati- „ nitatem. Verba fingit. Syntaxin ignorat. *Automa-* „ *ton* non *Automa* (*a*) eſt. *Mordacitus* non *mordicus* (*b*) „ defendit nova ſua literaria, & alia ſimilia. (*c*) Qua- „ les Solœciſmi ! quales baculos meruiſſet, ita ſi er- „ raſſet diſcipulus meus ex prima ? Hæreſin ſuam eru- „ ditionis, à me inchoat Apollon iſte *Novitianus.* „ Næ ! ego in Sententia mea firmior ſum, quam ut „ tam facile avellar. Miror quod de Grammaticis „ ne verbum quidem dixerit. In hos invehi opor- „ tuiſſes, mi Apollo Satyre ! mi jam non amplius, „ *Flavòcrinite*, ſed *cornute* Apollo ! Hi è medio tol- „ lendi. Iſti multorum te errorum convincere poſ- „ ſent, & maximo tibi futurum eſſet lucro, ſi Diale- „ ctica omnino ex Helicone tuo eliminaretur. In „ Latio certe natus non es, & ſi natus, Hildebran- „ dinis natus es temporibus. Aſt ego Bononiæ fa- „ brefactus ſum Magiſter, in aureo noſtro Seculo.

„ Sed tu Apollo es, ſcilicet, tuum eſt linguas con- „ dere novas, abolire obſoletas, ſed tu Imperator es „ ille redivivus, qui edicto ſuo Cæſareo (Proh Dii „ Immortales ! quanta ſæpe ignorantia præeunt ſub- „ ditos, ſervos, immo mancipia, illi qui orbem ter- „ rarum gubernant) divina, divinæ Aboriginum „ Lin-

(*a.*) Vide *p. 11.* (*b.*) *P. 14.* (*c.*) *P. 7.* v. gr. Cupediariis pro cupedinariis.

„ Linguæ, Idiomata mutaturus erat. Vale, Vale
„ Αὐτοκράτορ invictissime, Auguste! Vale, Vale A-
„ pollo! tu res quæris controversas, ergo incertas,
„ ego verba certa, elegantia, & hic conticesco . . .
„ Unum tamen addam: demens, obtusus, hebes,
„ insanus fui, quod Te Apollinem vel per unicum
„ momentum crediderim . . . . . Jam, Jam, inte-
„ gro animo in Elysios descendam campos. Opin
„ adibo, & Rhadamantus Apollinem istum (si lo-
„ cus est justitiæ penes inferos) judicabit, damna-
„ bit, & Sisiphonis Saxum volvere docebit. Acta
„ agat, in illo loco Tartareo, & agat in æternum,
„ cum ita placeat acta agere. Abi Apollo, abi ad
„ Stygias aquas, qui expoliturus es scientias, à nobis
„ satis superque expolitas. Cal. Dec. circa seculum
„ ab U. C. undecimum, in Musæpolio Munatiano
„ Coss. Burcardo & Scalero.

Hic finit Feliciter MATÆOLOGUS, Qui Jussu Apollinis Veri, non illius Usurpatoris, hæc conscripsit, Mnemosine de Parnasso descendente, ut auxilium ferret,

CHRYSOSTOMUS MATÆOLOGUS *Sophorum Scholasticorum Stagirites raffinisatus.*

POLY-

POLYPISTONIS THEOLOGO-PHILOSOPHASTRI EPILOGUS.

HActenus, amice Lector, egregium Manuſctiptum. Confutationem dignam indignæ Pſeudo Apollinis Orationis, Novarum preterquam rerum non ſtudioſi. Demonſtratio invincibilis dari apparitiones, & quidem dari hodie. Teſtantur annus & Conſul: Teſtatur Mors acutiſſimi Viri proxime ſubſecuta, quam Vatis inſtar prædixit egregius noſter Μακαρίτης, ad ſuperos proh Dolor! evocandus, ſi revocare gradum & ſuperas evadere ad auras liceret illi, qui

Par eſt ſuperis, cui pariter dies
Et fortuna fuit . . . .

Heu Sceptriger in ordine!
Et Rex & Dux magnifice!
Quo ititas, quo properas?
Jam jam ad auras ſuperas
Vadis? . . . .

Sed quid doleo ſcholaſticorum regem, Stoicum, Senecam?

Nunquam eſt ille miſer, cui facile eſt mori.

Nunquam eſt miſer, cujus ſcripta manent, qualia ſunt

ſunt tua, ſumme Matæologe, eruditionis plena, ingenio farcita, & à tota Parnaſſi progenie, pro primis habita. Video, video, Pegaſus Corpus tuum ad Aſtra fert. Odorem poſt te ſpargis, qualem ſparſit Dea illa in oris Punicis, & tua

Vivit poſt funera virtus.

Te non doleo, memet deploro, cur

Felices ſequeris mors, miſeros fugis?

Hæc in honorem oris aurei, Ampliſſimi Stagiritarum Principis Epicedii loco ponere licuerit, ὡς ἐν παρόδῳ.

Jam gaudeant veritatis amatores, Adparitionum hodiernarum exiſtentiam denuo demonſtratam: gaudeat alterutra gens, tale MS. è ſinu ſuo emanaſſe. Sed gaudeat utraque, Apollinem ſe habere adeo faventem. Et abeat ψευδ-Apollon in malam rem cum Oratione ſua ſolidiſſime à Magno noſtro Matæologo proſtrata, & cum Pæane, non Apolline ad orcum à Noſtrate miſſa.

Jam Vobis Muſæ gratias,
Quas poſſum ago maxumas,
Pro grandi beneficio,
Puſillo mihi præſtito,
Quod Opus me hoc edere,
Quod laudem veſtram canere
Non ſolum permiſeritis,
Sed etiam juſſeritis.

Tu Clio aerivaga,
Famigera, quæ Pelaga *
Terramque cito permeas,
Ne mihi quæso pereas,
Laus mea, honos, gloria,
Perennet in historia,
Et seculorum seculum
Miretur hoc prodigium.

Quid! Phœbus Matæologum
Sophῶν Ἐπιστημοτάτον,
Τιμωτάτων *sustinuit,*
Quo ψευδο *Phœbi Jacula*
Perfringeret ut bacula:
Quid! Πολυπιστῦν *claruit,*
Et vixit eo Tempore,
Solum ut posset edere
Hanc celebrem Historiam,
In sempiternam Gloriam.

* Licentia Poëtica.

FINIS MANUSCRIPTI.

EU-

EUBIUS
CONTRA SEIPSUM.

TU ergo Eubie, cum tuo Matæologo temet excludis ipſum ex ordine illorum quos rides? Ubi teſtis omni exceptione major, qui te ab iis purgat, quæ arguit Apollo tuus Satyrus? Matæologus ſane tuus magna de ſe; ſed te judice, quam ſtolidiſſime ſenſit; quis tibi ſponſor, eadem te non quoque urgeri fallacia? Ita ſumus comparati omnes; minima in aliis vitia maximi, virtutes vilipendimus maximas. Nodum in ſcirpo quærimus. Cum ad noſmet ventum eſt ipſos, quæ bene egimus ſatis elata, quæ peſſume, diminuta eſſe ut deceret vix exiſtumamus. Magnum illud, perpetuo Lingua evomit, *Homines ſumus.* Excuſat, *homines fuiſſe*, ſi de noſtris agitur Erroribus, ſi de alterius, ceſſat humanitas. Cum de noſtris cogitamus virtutibus, Heroes ſumus Ἡμίθεοι immo Dii, ſi de aliorum, vix homines illos cenſemus. Puerilia & infantibus etiam patratu facilia ſunt illorum benefacta, Noſtra vires hominum ſuperant, divorum ad illa opus fuit viribus. Sic & tu, Eubie, vix in lucem editurus fuiſſes Manuſcriptulum iſtud, ſi Te, in illo vel minimum reprehendi tibi perſuaſiſſes. Quis magis inſanit, Eubie! qui errat, an qui ſe non errare poſſe exiſtimat? Sed &, quo jure Appollo factus es? Quo jure Judex? Tuum enim facis quod in lucem emittis, & idem te ſentire con-

 fiteris

fiteris tacite. Apollinem ego non nisi unum novi. Tu Pani similior es, quam Apollini. Et si Apollo es, nothus es, & incomtus es Apollo. Vel mavis Apollinis Mercurius credier? Nec hoc quidem impetrabis. Salsus ille Jovis & acutus Mercurius Sententiam non facile prodit. Tu horum nihil; omnia ita aperte proloqueris, ut Davum potius, quam Mercurium imiteris.

Ita egomet mecum. Ita mihi forsan alii. Nec sic quidem male. Faciant. Nil moror. Modo non majori faciant lædendi studio, quam ego Matæologum meum edo. Corrigant me, ut gratias agere possim. Ego nil aliud intendo. Apollo Judex qui Matæologo apparuit, culpat ergo & culpetur. Hanc veniam damusque petimusque vicissim.

* *

Nova Literaria.

1. Catalogus universalis Librorum Theologicorum, qui in officina Heideggeri & Societatis, Bibliopolarum Tigurinorum exstant, & venales pro adposito singulis vili pretio habentur. 4. 1739. pl. 12½.
2. Theses metaphysicæ de Principiis Contradictionis & Rationis sufficientis: Præside DAVIDE LAVATERO, Philos. Prof. Ord. Tiguri. 4. pl. 2.
3. JO. JAC. LAVATERI, S. Theol. Prof. Dissertatio de Theologia & Religione generatim spectata. Tiguri. 4. pl. 5.
4. JO. JAC. ZIMMERMANNI, S. Theol. Prof. Dissertatio de recentiorum quorundam Eruditorum præposteris adversus Incredulos disputandi methodis:

thodis: Pars prima. Resp. *Georgio Oerio*, V. D. M. Assum. *Jacobo Corrodio*, S. Theol. Stud. Tiguri. 4. pl. 6½. Instituit Vir Clarissimus placido examini subjicere Libellum gallicum ab Anonymo, vel Anonyma conscriptum, & præterito anno Amstelodami apud Wetstenios editum, hocque titulo inscriptum: *Lettres sur la Religion essentielle à l'Homme, distinguée de ce qui n'est que l'accessoire. 8.* cujus Libelli auctorem ferunt, si quidem famæ sua constet ratio, doctam & acris judicii Fœminam, Helvetio sanguine cretam, sed Lugduni commorantem, quæ aliis quoque jam Scriptis, præstantis ingenii documentis, inclaruit: Videntur quibusdam hoc libello præcipua *Christiani Democriti* placita nova arte ac methodo recocta.

5. Johann Jacob Breitingers Critische Abhandlung von der Natur, den Absichten, und dem Gebrauche der Gleichnisse: Mit Beyspielen aus den Schriften der berühmtesten alten und neuen Scribenten erläutert. Durch Joh. Jacob Bodmer besorget, und zum Drucke befördert. Zürich. 1740. 8. pl. 35. Auctor hujus commentarii critici est Ling. S. & artium recte cogitandi ac bene dicendi in Athenæo Tigurino Prof. P. excitatus ad hanc Scriptionem ab Amico conjunctissimo Histor. Patr. Prof. qui editionis curam suscepit, ut tanto castigatior prodiret, eamque Præfatione auxit. Argumenta Tractationis sunt: 1. Abschnitt von den erleuchten den Gleichnissen. 2. Von den auszierenden Gleichnissen 3. Von den nachdrücklichen. 4. Von den lehrreichen Gleichnissen. 5. Von der Vereinigung der Absichten in einem Gleichniß. 6. Von dem rechten Ort und Sitz der Gleichnisse. 7. Von dem Gebrauche der Gleichnisse in Trauer-Spielen. 8. Von dem Masse und der Zahl der Gleichnisse. 9. Von der Neuheit der Gleichniß-Bilder. 10. Von der Abänderung derselben. 11. Von der Vergleichung grosser Dinge mit kleinen, und kleiner mit grossen.

grossen. 12. Von dem Wolstand der Gleichniß-Bilder. 13. Rettung einiger von Longin getadelten Gleichnisse. 14. Von den Gleichnissen in Brockes irdischem Vergnügen in Gott. 15. Von den Lohensteinischen Gleichnissen. 16. Von den ausführlichen Historischen Gleichnissen. Habent in hoc commentario Germani, quod Helvetiis invideant.

6. Joh. Georg Altmanns, Prof. der Griechischen Sprache und der Sitten-Lehre, der Zeit Rectoris Academici zu Bern, dritte und letste Solemnitäts-Rede, von dem Falle und Untergange der Griechischen Republicken; gehalten in dem Chor des Grossen Münsters zu Bern, den 28. Mey-Monat 1739. Bern. 4. pl. 4. Hæc oratio & argumenti dignitate & ſtyli puritate mirifice ſe commendat.

7. Eclairciſſements & Reflexions ſur les Propheties & Avertiſſements de nôtre Seigneur J. Chr. contenus dans le Chap. XXIV. de S. Matthieu: Par, Mr. *Barnaud*. Paſteur à la Tour. à Lauſanne chez Bousquet & Comp. 4. pl. 14.

8. Recueil de tous les Ouvrages de Morale, de Théologie, & de Controverſe de Mr. *de la Placette*, autrefois Paſteur de l'Egliſe Francoiſe de Coppenhague. à Basle, chez J. R. Imhoff. Liber hic elegantiſſimus, qui jam aſſidue prœlum exercet, Subſcriptionum beneficio prodibit Tomis VIII. forma, quam quartam vocant: Subſcriptionis pretium poſitum eſt 10. flor. germ.

9. S. Puffendorfii de officio hominis & Civis, cum Supplementis & obſervationibus Gerschomi Carmichael. Baſileæ ap. J. Brandmüllerum, 1739.

10. La nature & l'Excellence de la Religion Chretienne, avec une Preface de Mr. *Gilbert Burnet*, Evêque de Salisbury. &c. avec deux autres pieces: traduit de l'Anglois. 8. pl. 12. Basle, chez J. Brandm. 1739.

11. Pu-

11. Publica Criminalis vindicata, in partem generalem & specialem divisa; in qua omnes doctrinæ rerum criminalium perspicue tractantur à *Christ. Frid. Holland*, J. U. L. 4. pl. 50. Basileæ ap. J.Brandm. 1739.

12. Nuper typis Brandmüllerianis excusus est Celeber. J. ALPH. TURRETINI τοῦ νῦν ἐν ἁγίοις Comentarius Theoretico - Practicus in Epistolas S. Pauli ad Thessalonicenses. 8. p. 40.; non ita quidem exasciatus, ut reliqua ab ipso, dum viveret, Vener. Viro in lucem edita, neque indignus tamen, quem pro fœtu suo agnosceret Auctor.

13. Reverendi etiam J. FRID. OSTERWALDII tres libelli iisdem typis expressi, nimir. Compendium Ethicæ Christianæ. 8. pl. 22. Compendium Theologiæ Christianæ. 8. pl. 24. & Traité de l'exercice du St. Ministére. 8. pl. 24. tandem ex carceribus, ubi aliquamdiu detinebantur, non invito plane Autore, ab eo certe aliquantum emendati prodiverunt & publice væneunt.

14. Idem Typographus nunc totus est in recudenda GEORG. BULLI, Episcopi Angli Harmonia apostolica.

15. LIMBORCHII Collatio cum OROBIO nondum reliquit prœlum.

16. *VARIA GEOGRAPHICA.* J. FRID. GRONOVII Dissertatio de Gothorum sede originaria adv. *Phil. Cluverium*, eorundemque in Imperium Romanum irruptionibus: 2.) Libellus Provinciarum Romanarum & Civitatum, Provinciarum Gallicarum c. n. *A. Schotti* & *Laur. Theodori GRONOVII*; Ejusdemque animadversiones in VIBIUM SEQUESTREM: 3.) J. CASP. HAGENBUCHII, Exercitatio Geographico Critica, qua Ostiones nec Germaniæ, nec Britanniæ populum, sed Galliæ Celticæ Osismios esse conjicitur: 4.) Accedunt,

cedunt animadversiones in STRABONIS Γεωγραφικῶν Libros IX. depromtæ è MS. Codice Mediceo. Lugduni Batav. ap. Corn. Haak. 1739. 8. pl. 13. Edidit hanc Syllogen V. Cl. ABR. GRONOVIUS, eamque inscripsit *J. C. Hagenbuchio*, Linguarum apud Tigurinos Professori Clarissimo, cui se præter hanc Exercitationem geographicam debere profitetur, CONR. GESSNERI curas secundas in AELIANI Historiam animalium, & varias in veterum Scriptorum loca castigationes. V. Cl. *J. C. Hagenbuchii* Exercitatio Geographico-Critica habetur p. 94-148. Ea præcipue opposita est *Cluverio*, qui Ostiones Germaniæ Istævones; & *Cambdeno*, qui Britanniæ Danmonios esse voluit, quorum frivolas suspiciones gluma leviores esse scite coarguit V. Clarissimus; contra ex Strabonis loco prius egregie emendato aperte docet Ostiones Pytheæ Osismios dictos, neque diversos esse populos Ostidamnios Straboni Lib. I. memoratos, quem Strabonis locum §. XII. nec non §. XIV. Stephani Byzantini alterum amplissimo & accuratissimo commentario critico clarissima luce perfundit. Egregium reconditæ Eruditionis specimen, quod multis veterum locis medicinam facit, & novam lucem fœneratur: Salivam movebit doctis, ut tanto iniquiore animo ferant moras, quæ V. Clariss. injiciuntur, quominus Helvetiæ *antiquæ Notitiam*, & majora, quæ meditatur in hoc genere ad juvanda Antiquitatis studia, perficere possit. P. B.

* * * * * * * * * * *


TEMPE HELVETICA,

Dissertationes atque Observationes

THEOLOGICAS, PHILOLOGICAS, CRITICAS, HISTORICAS, EXHIBENS.

Tomi Quarti

Sectio Quarta.



TIGURI,

EX OFFICINA HEIDEGGERIANA.

MDCCXL.

* * *

SYNOPSIS

Eorum, quæ hac Sectione offeruntur.

VIRO

Excellentisſimo, Plurimum Reverendo atque Celeberrimo

JACOBO BRUCKERO

Paſtori Kaufbyrenſi facundisſimo,
Societatis Regiæ Berolinenſis

Socio Dignisſimo:

Reconditæ Eruditionis operibus vere inclito,

Priſcæ inprimis Hiſtoriæ Philoſophicæ Explanatori Eruditisſimo, Felicisſimo,

VIRO

Præterea animi candore & officiorum promptitudine æſtumatisſimo,

Amico ſuo Honoratisſimo;

Sectionem hanc decimam sextam

MISCELLANEORUM PHILOLOGICORUM

Animo gratissimo sacram esse jubet,

Illumque simul ad hanc collectionem, quam plurimis hactenus limatissimis opusculis locupletavit, dehinc ex abundantissima suppellectili ornandam & illustrandam rogat

JO. GEORGIUS ALTMANNUS.

CA-

DISSERTATIO APOLOGETICA PRIMA

PRO

DAVIDE HÆBRÆORUM REGE

Adversus

Obtrectationes

PETRI BAYLII.

AUCTORE

JOH. CONRADO FUESLINO.

Cicero:

Veritas limatur in Disputatione.

An. M D C C X L.

PRÆLOQUIUM
AD
LECTOREM.

VArii ſunt hoſtes hujus libri, quem vulgo Scripturam vocamus, quique nobis à Deo datus eſt, ut ſcitu factuque neceſſaria diſcamus & ita teretes atque rotundi evadamus,

externi ne quid valeat per læve morari.

Sed infeſtiſſimi ſunt, qui aut negant, illum à Deo profectum eſſe, aut eum irreverenter tractant atque ſugillant. Res vero, quæ hoc libro proponuntur, ſunt vel Doctrinæ, quibus animus excolitur, vel Hiſtoriæ, quæ prudenti vitam conſilio admonent melius, quam Græciæ Latiique arte confictæ fabulæ. Doctrinas multi inimiciſſime aggreſſi ſunt, ſed Hiſtorias nemo crudelius infeſtavit PETRO BAYLIO. Is inter alia DAVIDEM Regem & Prophetam ſanctiſſimum magno detrimento Religionis proſcindere auſus eſt. Quis enim crediturus eſt, Deum bonos amare & malos odi, ſi intellexerit, hunc, quem præ cæteris mortalibus foviſſe perhibetur, hominem fuiſſe flagitioſiſſimum, ac usque dum animam poſuerit, ſceleribus dedititiſſimum? Quamvis oracula divina ab hac ſententia maxime abhorreant, multi tamen in eam pertracti ſunt, qui aut præ ſtupore verum à falſo diſtinguere non valuerunt, aut levitate quadam animi lubentes ea acceperunt, quæ à pietate ſunt aliena. His ego obviam ire & quoad per me fieri poſſit, efficere ſtudui, ut genuina rerum geſtarum explicatione Davidis innocentia in claram lucem producatur. Duas igitur conſcripſi Diſſertatiunculas, quibus eum contra BAYLII obtrectationes defendi. Primam B. L. inpræſentiarum tecum communico. Quodſi illa tibi non diſplicuerit, mox ſecundam luci redditurus ſum. Vale & hiſce fruere. Tiguri Feriis Carolinis.



I.

CAPUT PRIMUM

Quod Baylii lectio & obesse & prodesse possit ostenditur.

CRITO. EUSEBIUS.

QUid libri tractas EUSEBI! cui ita tota mente defixus inhæres?

Eusebius.

Oportune mihi advolas O CRITO! cum nemine enim de re, quæ oculos mentemque meam versat, conferre malo, quam tecum. Novi, quæ in te sit Criticæ prudentia, & quod mihi candide impertiturus sis, quæ in promptu habeas.

Crito.

Animum tuum & erga me studium laudo; sed videto, ne in parietem caducum inclines.

Eusebius.

Nugæ. Grata mente mihi repositum est, quotiens hæsitantem me sublevaveris.

Crito.

Lepide eruditus es ad assentationem. Velim his

blanditiis abstineas, proque consuetudine nostra mecum agas.

Eusebius.

Tibi morem geram, & quid me excruciet sine ambagibus explicabo. Paucis ab hinc diebus in Dictionarium Baylii incidi. O quam pestiferum librum! antea non noveram. Nunc vero mihi persuasum est, diabolum nil aptius ad miseros homines decipiendos excogitare potuisse. Utinam hic fœtus lucem nunquam vidisset! (*a.*)

Crito.

Ex iis, qui Baylium habent, non tot decipiuntur, ac credis. Hunc librum multa paradoxa & si velis, noxia complecti, fateor; attamen aliquem præstat usum.

Eusebius.

Heus CRITO! Tune ita censes, qui Deum, quæque ille nobis oracula dedit, castissime revereris?

Crito.

(*a.*) Videsis genuinum hominis (Baylii) Characterem, minime quærebat neque veritatem, neque dubiorum suorum sacrorum ullam solutionem ipsius animus, in iis præsertim rebus, quæ Deum, animam & spiritualia respiciunt, in quibus etiam erat totus cæcus & maxime ignarus, gaudebat autem magis & impensissime obfirmato animo in tenebris ac dubitationibus æternis circa hæcce fluctuare, malebatque in externis vanisque eventis rerum maximam partem futilium atque nugacium, historiolarum putidarum, sordium etiam infamium totus lætus velut in elemento suo innatare, totumque animi sui acumen in iis exercere, qua vero in constitutione mentis ne Deus quidem, qui liberas mentes cogere vult minime, cumque malignis & impuris se communicare non potest, satisfacere ipsi nequisset. Poiretus apud Clarif. Weismannum in Hist. Eccles. N. T. p. 1334.

Crito.

Quid hoc ad rem?

Eusebius.

Nonne dixeras, non multos hoc libro decipi, & illum aliquem præstare usum, librum tam impium, & quod audacter adsevero, solum ad homines decipiendos aptum natum?

Crito.

Temperato iram! iniquus judex est homo stomachosior. Ne autem apud te in suspicionem cadam, quia te animo aliquantulum obsequi sentio, me pluribus explicabo. Lectio Baylii non tot decipit, iac plerique credunt. Multi enim eum legunt, sed pauci sunt, qui intelligunt. Si quis nolit hunc librum legere, uti Moniales Virgines Psalterium recitant, hoc est, sine usu atque fructu, oportet, ut non solum linquas, sed etiam res Latinorum & Græcorum bene eruditus sit, quid? quod omnem Historiam, Philosophiam, & ipsam Theologiam, quæ præclarissimum nobis a Deo donum datum est, non leviter, sed quod ajunt, ad unquem perdidicerit.

Eusebius.

Cedo hæc. Sed nonne tute hunc librum multa paradoxa & noxia complectier fassus es? Cur igitur illum usum aliquem præstare adseveras?

Crito.

Me dicti non pœnitet. Baylius paradoxa & noxia multa habet, sed præter hæc etiam utilia. (*b.*) Immo vero est Thesaurus aliquis eruditionis.

(*b.*) Cæterum patet ex tota hujus viri historia, fuisse ipsum (Baylium) instructum ingenio pulcherrimo, imaginatione vivida, memoria excellente & capacissima, cognitione veritatum plurimarum de statu mundi & Ecclesiæ, qua multi Zelotarum

Eusebius.

Ædepol! aut ego mentis non compos sum, aut quæ tu narras, falsa sunt. Qua enim ratione, quove consilio liber, qui paradoxa & noxia complectitur, utilis & Thesaurus eruditionis dici possit, non intelligo.

Crito.

Lepidum caput! Tu te hoc intelligere posse negas? Scio, te veteres Græcos Latinosque autores, præque cæteris Ciceronem, qui apud nos quædam Lux Doctrinarum habetur, non oscitanter legisse: dic igitur EUSEBI! num Ciceronem hunc bonum lectuque utilem autorem habeas?

Eusebius.

Cur ego illum talem non haberem, cum consensu bonorum omnium & eloquentiæ & bonæ mentis parens siet?

Crito.

Vere ait Horatius: (*c.*)

Male verum examinat omnis corruptus judex.

Ciceronem laudas; Baylium vituperas: Illum ut bonæ mentis parentem commendas; Hunc ut lue pestifera infectum à consuetudine & commercio nostro abarcendum judicas, cum uterque suis excellat virtutibus, laboretque magnis vitiis. Cicero multa ex Historia, Philosophia, atque etiam Theologia veterum conservavit, quæ periissent funditus; Baylius multa

lotarum carent, qui se ipso longissime meliores reputant & religiosiores, quam forte etiam aliqui non habuerunt eo revera pientiores, aliisque dotibus, quæ poterant eum ad magna Ecclesiæ officia præstanda reddere idoneum, si naturæ accessisset gratia Dei & sanctificatio cordis, &c. Weismannus in Hist. Eccles. N. T. p. 963.

(*c.*) *Sat. II, 2.*

multa in tenebras & caliginem immersa reduxit in lucem. Hic inter Pyrhonios numeratur; Ille in summis religionis capitibus non minus dubius atque incertus fuit: Hic multa irreverenter & obscœne dicta protulit; Ille in suspicionem incidit, quod cupiditatum furiis incensus, (*d.*)

Thalamos invaserit natæ vetitosque hymenæos. (*e.*)

Nonne igitur aut ab utriusque lectione boni abstinere debent, aut dicendum est: Baylium æque legi posse ac Ciceronem?

Eusebius.

Miror tuam vafritiem. Baylium confers Ciceroni? Magna Hercle injuria! Quid enim in Ciceronis scriptis reperiundum, quod non castum, integrum, scelerisque purum fiet? Flagitii, de quo mentionem injeceras, accusatur in quodam fragmento. Sed primo non constat, quis hujus autor sit. Quid autem scripto fidendum, cujus autorem ignores & de quo statuere non possis, an fidem mereatur vel non? Deinde si Sallustii est, cujus præ se fert, nomen, non caret suspicione, ex odio castissimum virum hac ignominia adspersisse. Tandem quid hoc ad rem nostram? De scriptis horum virorum disputamus, non de his, quæ vitam illorum contaminaverint, vitiis.

Crito.

Ciceronis mentionem feceram, sciens, quanti illum habeas. De lascivia ejus controversiam moves, cætera ne verbo quidem adtingis, nec video, qua

(*d.*) Verum ut opinor, splendor domesticus tibi animos attollit, uxor sacrilega ac perjuriis delibuta, filia matris pellex, tibi jucundior atque obsequentior quam parenti par est. Sallustius, seu quicunque ille obtrectator fuerit, in oratione contra Ciceronem.

(*e.*) Virg. Æn. l. VI. v. 23.

ratione aliquid proferre potuisses, quod illa excuset, saltem in speciem, cum homines proferat disputantes, quæ maxime sunt impia & lectorum in animis malos stimulos relinquere possunt. Quodsi vero illum venereis amoribus aversum fuisse credis, quique in scriptis suis, nullis ad turpitudinem stimulis vel illecebris sectatores suos percellat, te nihil morabor: Præter Ciceronem lectitasti Horatium, Juvenalem, Ovidium, cæterosque impurarum elegantiarum arbitros, immo vero horum sententias, seu ut aiunt κυρίας δόξας summa cum voluptate imbibisti, si igitur Baylium damnas, quod Dictionario suo multas amœnitates venerum & venustatum inseminaverit, hos simili jure multare fas est, teque serio admoneo, ut culpam redimas, tua

altaria fument
centum festa Jovi, centum cadat hostia cultris. (f)

Contra si te horum lectione non contaminatum esse credis, cur tam crudelis es in Baylium, ut nullum usum ab illo capi posse existumes?

Eusebius.

Tua me fere permovit oratio. Attamen quotiens mecum considero, qua animi petulantia tractaverit oracula sacra, & quos illa nobis commendant homines pientissimos, Deo caros, quos Dei spiritus ad summam frugem perduxit, quotiens, inquam, considero, quomodo hos tractaverit, & quanta illos contumelia adfecerit, parum abest, quin dispeream ira.

Crito.

Hoc in caput si incidas, me non habebis obloquentem. Baylium enim Religioni Christianæ & qua illa nititur, autoritati Scripturæ sacræ tantum nocuisse arbitror, quantum alium quenquam.

(f.) Sil. Ital. L. XII. 333.

Eusebius.

Eusebius.

Cur igitur usum ab eo haberi posse dixisti?

Crito.

Non propterea, quod illum multa contra Christianam fidem machinatum esse scivi, sed quod præter hæc etiam talia proferat, quæ & erudiant & delectent.

Eusebius.

Nosti proverbium, omnium assensu confirmatum: *Non esse malum faciendum, ut inde bonum eveniat.* Tu tamen contra hoc agere videris, Baylii lectionem commendans.

Crito.

Tibi opponere possem præceptum Apostoli: (g) ἐρευνᾶτε τὰ πάντα, τὸ καλὸν κατέχετε. Sed huc non descendo, namque ipsemet illud cum cautione intelligendum esse puto. Quo autem me intelligas, mentem meam apertius explicabo. Baylium multarum impietatum machinatorem habeo, qui calliditate sua multos seduxerit. Attamen ex vastissima ejus eruditione curiosus lector, si animum probum adferat judicioque bonum à malo secernendi valeat, usum fructumque capere poterit, æque ac ex aliorum librorum lectione, qui maxime commendantur.

Eusebius.

Sed quid tum, ubi mala mens, malus animus ad eum accesserit?

Crito.

Si qui accedant, ut mala expiscentur, maximo sunt in periculo, nam ne in erroribus confirmentur, timendum est.

Eusebius.

Nonne igitur ab ejus lectione arcendi essent?

(g.) 1. Thess. V. 21.

Crito.

Quomodo illos ab eo legendo arcebis, cum jamjam in omnium manibus verſetur?

Euſebius.

Qui virtute & ſcientia ſunt præditi in erroribus ejus producendis & convellendis majorem operam collocare deberent.

Crito.

Macte virtute EUSEBI! para papyrum, exerce calamum! perſtringe hominem impium!

Euſebius.

Huic muneri impar ſum, ſi tanta in eo eſt eruditio, quantam prædicas. Sed rogo te per fidem atque amicitiam noſtram, ut mecum conferas, quæ de Davide Hebræorum rege narret.

Crito.

Legiſtine?

Euſebius.

Non totum Baylium legi. Sed audivi ſæpius homines pios & doctos dictitare, quanta impietate optimum regem tractaverit. Tandem me cupiditas inceſſit experiundi, quæ toties ex aliis intellexi. Continuo ipſum evolvi, taliaque reperi, quæ tantum horrorem fecerunt, ut mihi comæ huc usque erectæ ſteterint.

Crito.

Tibi lubentiſſime obtemperabo. Sed latrans ſtomachus nos diſputationem abrumpere jubet; illud igitur in aliud tempus differamus.

CAPUT SECUNDUM.

De convitiis, quibus Baylius proſcindit Davidem.

EUSEBIUS. CRITO.

EXoptato mihi venis CRITO! Jamjam me in viam daturus eram, ut te convenirem, abruptumque Sermonem de Baylii in Davidem convitiis inſtaurarem.

Crito.

Hanc ob cauſam ad te venio. Tibi enim promiſeram, me ea de re lubentiſſime tecum confabulaturum eſſe.

Euſebius.

Rogo te, quomodo tantam hanc impietatem Baylii in Davidem, qua ſanctiſſimum virum maximis contumeliis oneravit, excuſare velis?

Crito.

Nunquam in animum inſtitui, id facti excuſare. Fac EUSEBI! ut ne, dum tute aliorum injuſtitiam carpis, graviſſimam mihi facias. Quam turpe eſt, præcedenti tantum manticam tergo ſpectare?

Euſebius.

Hoc Deus à me avertat, ut cuiquam injuſtitiam faciam, multo magis homini amico! Sed viri improbi cauſam nuper aliquo modo ſuſceperas, quare eum apud te alicujus momenti eſſe credidi.

Crito.

Eruditio ejus apud me magni momenti eſt: non nego. Vitia vero illius odi, ut quisquam alius. Sed tu contra fidem datam agis. Conſtituimus enim de his

his disputare, quæ Baylius contra Davidem evomuerit, convitiis. Euge hoc jam peragamus!

Eusebius.

Recte mones, nam fere proposito aberravissem. Sed nunc redeo in viam. Dic mihi CRITO! Annon Baylius homo fuerit sceleratissimus, quod Davidis, viri, qui Deo adflatus fuit, præclara facta, ceu turpissima flagitia increpaverit?

Crito.

Animum probe adverte ad ea, quæ dicis! An omnia Davidis præclare facta censes?

Eusebius.

Non hercle, adulterium enim ejus non solum non fuit præclarum factum, sed maximum peccatum.

Crito.

Nonne igitur jure quædam in Davide reprehendi potuerunt?

Eusebius.

Sed ita reprehendit, ut & virtutes ejus elevet pro vitiis; vitia vero ita exagitet, ut, si verum dicit, David fuisset pessimus omnium hominum, perfidus, adulter, tyrannus & quid non?

Crito.

Ni multa inania dicere omniaque miscere volumus, opus est, ut quæ Baylius in Davide culpaverit, singula examinemus, & quid laudandum, quidve vituperandum fiet, libere producamus in lucem.

Eusebius.

Perplacet mihi institutum hoc.

Crito.

Commemora igitur, quæ notaveris Davidi à Baylio exprobrata.] *Euse-*

Eusebius.

Velim ea ex te intelligere, non enim adeo valeo memoria, ut, quæ semel legerim, statim repetere possim; credo autem te aliquoties legisse.

Crito.

Ut tibi obsequar, ea enarrabo ordine. Illi hæc vitia tribuit: Lasciviam, Pseudopolitices studium, Fastum denique & Crudelitatem, ex quibus deinde multa alia pullulaverint.

Eusebius.

Capitalia, Hercle, capitalia hæc sunt vitia, si cuiquam vere exprobrari possint. At Davidi hæc exprobrare nemo potuerit, nisi sit homo impudens & sine ulla religione.

Crito.

Viros sanctos & qui Dei commercio in cœlo fruuntur, lacerare maledictis, summum nefas est: non inficior. Attamen hac in lite David non considerandus, qualis nunc est exemtus ab omni labe, inque cœlo positus, sed examinari debet vita ejus, quam in his terris egit. Duas ille personas sustinuit, Prophetæ & Hominis. Deo enim familiarissime usus est, isque illum adflavit, & multis in dictis factisque per spiritum suum direxit. Nihilo minus erat homo nobis ὁμοιοπαθὴς, ut Apostoli verbo utar, hoc est, cupiditatum furiis exagitatus veluti reliqui homines. Prophetæ munus eum hac conditione non solvit; Hoc privilegium exoptatissimo nostro Soteri soli concessum fuit, ut nullis vitiorum illecebris & cupiditatum lenociniis deditus natus fuerit.

Eusebius.

Putasne, Deum cum hominibus sceleſtis & impiis usum & consuetudinem habuisse?

Crito.

Non. Hoc hominum de illo opinionem valde imminuisset. Prophetis, ut legatis suis usus est ad homines docendos, à vitiis abstrahendos & ad virtutem manuducendos. Quem igitur permovisset, si legati ejus omnium maxime peccatis fuissent immersi? Sed hoc volo: quanquam Prophetæ ob sapientiæ & virtutis laudem præ cæteris mortalibus fuerint conspicui, illos tamen ob communis naturæ fragilitatem & labi potuisse & non nunquam lapsos esse. Pervestigato, quæ sacri Scriptores de illis memoriæ prodiderunt; in singulis invenies aliquid humanæ imbecillitatis.

Eusebius.

Nunc demum te intelligo. Davidem putas fuisse virum religione insignem, deoque carum, sed qui nonnunquam ex inconsiderantia, seu uti tu loquebaris, imbecillitate à virtutis via deflexit.

Crito.

Rem acu tetigisti, uti aiunt.

Eusebius.

Ast considera, an hæc infirmitati adtribui possint, quæ Baylius illi imputat & non multo magis summæ impietati?

Crito.

Negari nequit: Davidem impie egisse, quando aliquid sceleris commisit. Sed observa, quid discriminis sit illum inter & hominem vitiis corruptum. Hic sceleribus quam maxime delectatur, diesque noctesque eum exercent mala studia. Ille vero vel ex ignorantia peccavit, malis seculi moribus seductus, vel si quid turpe & vetitum perpetravit, statim facti eum pœnituit, inque viam redivit.

Eusebius.

Eusebius.

Judicium tuum probo. Unicus tantum mihi restat Scrupulus. Si Baylio fides habenda esset, quæ de Davide commemorat, vitia talia fuerunt, ut illa non subito & inconsideranter transegerit, sed ad ea compositus & bene instructus fuerit.

Crito.

Baylius Davidi falso quædam vitia exprobavit, alia nimium exagitavit, ut summum virum in invidiam adduceret.

Eusebius.

Quam suavia hæc auribus meis accidunt! Ego Hercle te unum omnium maxime diligo, si hoc ex animo dixisti.

Crito.

Sejunctis animi affectibus rem omnem examinemus.

* * * * * * * * * *

CAPUT TERTIUM.

De lascivia, quam Baylius in Davide vituperat.

CRITO. EUSEBIUS.

Mature te è somno corripuisti, EUSEBI!

Eusebius.

Somnum Hercle hac nocte non vidi, tanta me tenuit exspectatio, ex te audiendi, quæ ad tutandam pudicitiam & sanctitatem Davidis prolaturus sis.

Crito.

Non dubito, quin observaveris, quatuor à Baylio

lio proferri (*h.*) exempla, quæ Davidem hominem maxime impurum impudicumque fuiſſe proderent, nempe Adulterium cum Batſeba commiſſum. Polygamiam. Saltationem ante arcam. Tandem connubium in ætate ſatis profecta cum tenera puella.

Euſebius.

Hæc omnia obſervavi & maledicentiæ vim in hoc homine execratus ſum: quam enim impie de adulterio illo? (*i.*)

Crito.

Quid impie? an tu impium eſſe credis, qui adulterium culpat?

Euſebius.

Non propterea. Sed quod illud tantopere exaggeret, cum tamen haud leves rationes ſuadeant, Davidem ob ea, quæ cum Batſeba habuerit, adulterii non poſſe argui, ſaltem non perfecti.

Crito.

Pro Deum atque hominum fidem! Tute EUSEBI! hoc adulterium fuiſſe dubitas? à quo Jureconſulto eruditus es tam lepide diſtinguere?

Euſebius.

Non Jureconſulti, ſed Hebræorum doctiſſimi, quos multi Theologi Chriſtiani, perpenſi ſane judicii viri, ſequuntur, me ita erudierunt. Illi enim commemorant, Judæorum moribus receptum fuiſſe, ut vir quivis in militiam proficiſcens uxori ſuæ libellum repudii ſcripſerit, quo alii nubere potuerit, ſi ſtatuto tempore non ad Lares mutuosque amplexus rediiſſet. Tali igitur libello, inquiunt, cum Batſeba Societate conjugali ſoluta fuerit, & David ſecundum jura

(*h.*) Confer ejus Dictionarium Hiſt. Crit. T. II. p. 910.
(*i.*) 2. Sam. c. XI.

jura Hebræorum plures uxores ducere potuerit, neque fidem neque thorum alienum violavit cum illa congressus. (k.)

Crito.

Quam bella deliramenta prædicas! etsi vera essent, quæ isti nugatores commemorant, non tamen probarent, quæ probare exoptant, nempe Davidem adulterii immunem fuisse. Cedo, Batsebam libellum repudii habuisse, an propterea fide conjugali soluta fuit? Tales libelli, quod hi somniatores ipsi fatentur, uxori potestatem conciliabant, si maritus bello captus & trium annorum spatio non reversus fuisset, alii nubendi, si enim hoc tempore non revertebatur, mortuus aut aliorsum delapsus censebatur. Urias vero Batsebæ thori socius adhucdum liber erat & luce fruebatur, cum David uxori ejus hanc injuriam intulit. Nonne igitur tutius est fateri, Davidem adulterium perfectum, vel sivis, summum & perfectissimum commisisse, si, ut (l.) Cicero ait, *summum & perfectissimum est, cui nihil desit?* Etenim alienam uxorem vidit, concupiscentiarum furiis agitatus fuit, illam sollicitavit, compressit, quumque timore urgebatur, ne muliere ingravescente turpissimum factum diluceat, vitæ mariti insidiatus est. Nonne hæc omnia sunt summi & perfectissimi adulterii indicia?

Eusebius.

Hæc me non consideravisse fateor, anne vero nihil ad optimum virum excusandum dici potest?

(k.) Porro etiam regerunt, quod apud Hebræos fuerit in more positum, ut ex *Zohar* libro vetusto p. 8. & in Ex. p. 107. constat, quod milites in bellum profecturi non prius bello se committerent, quam libello uxores dimiserint. Id quod etiam dicitur fecisse Urias in illo loco, adeoque Batsebam fuisse divortio separatam &c. Polygamia Triumphatrix. p. 393. (l.) In Orat. c. I.

Crito.

Nihil ſane dici poteſt ad adulterium ejus excuſandum. Hoc vero illi immortali eſt gloriæ, illum à propheta monitum (*m.*) reſipuiſſe, peccatum agnoviſſe, idque lacrymis fuſis à Deo deprecatum eſſe; quo Deum ita commotum eſſe conſtat, ut illius miſericordia captus peccatum condonaverit. Hoc ejus factum nos omnes intueri, admirari & imitari decet.

Euſebius.

Per noſtram tibi amicitiam juro CRITO! me judicio tuo valde delectari, cum probe diſtinguas, quid laudandum, quidve culpandum ſiet. Sed quid de Polygamia hujus viri cenſendum? an ob illam meruit, ut tam procacibus dictis diffamaretur à Baylio?

Crito.

Mehercle non meruit. Ea enim tum temporis omnes reges, immo ſanctiſſimi viri, Abrahamus, Jacobus, Gedeon, Elcana, Samuelis parens, ante illum uſi ſunt, quid? quod Hebræis conceſſa fuit: (*n.*) Hoc tantum lex cavebat, (*o.*) ne Rex plures uxores in matrimonio haberet, quam honeſtati atque ipſi etiam Religioni congruum eſſet. Namque uti recte Cicero, *in Voluptatis*, inquit, *regno virtus conſiſtere non poteſt.* (*p.*)

Euſebius.

Legis Hebræorum mentionem feciſti, quæ viro plures uxores habere permittebat. Dic mihi, quæſo, quid de illa quæſtione cenſeas, an illud etiam lege naturæ permiſſum ſit?

Crit.

(*m.*) 2. Sam. c. XII. (*n.*) Deuter. c. XXI.
(*o.*) Deuter. c. XVII. (*p.*) Cic. de Sen. c. 12.

Crito.

Arduum eſt, in tam difficili tamque varie à doctiſſimis viris agitata quæſtione decernere. Conſultum (*q.*) erit, non ſolum ea examinare, quæ THEOPHILUS ALETHÆUS, ſeu qui hoc ſe nomine abſcondidiſſe creditur, POLYCARPUS LYSERUS pro Polygamia jure naturali ſtabilita, ſed etiam quæ Celeberrimus Neocomenſium Profeſſor LUDOVICUS BURGETIUS nuper contra hanc ſententiam diſſeruerit. (*r.*)

Euſebius.

Te tuam ſententiam rogavi.

Crito.

Ego vero eam Legi naturæ contrariam eſſe ſtatuo, non ſolum quod hoc ex rationis principiis colligendum ſiet, ſed inprimis quod Legislator noſter Chriſtus nos commonefecerit, in generis humani initio Creatorem uni viro unam, non duas aut plures junxiſſe uxores cui inſtituto eo diligentius adhærere debemus, quia is caſtitatem & puritatem nobis comendavit maxime.

Euſebius.

Credere videris, legem caſtitatis nobis à Chriſto ſeve-

(*q.*) Titulus libri eſt: *Polygamia Triumphatrix*, id eſt, *Diſcurſus Politicus de Polygamia, auctore Theophilo Alithæo, cum notis Athanaſii Vincentii, omnibus Anti-Polygamis ubique Locorum, Terrarum, Inſularum, Pagorum, Urbium modeſte & pie oppoſita. Londini Scanorum* Anno M DCL XXXII. in 4. Notitiam de hoc libro invenies apud Baylium: Nouvelles de la Republ. des Lettres T. III. p. 339.

(*r.*) In Diſſertatione *de vero atque genuino Juris Naturalis ſtudii uſu;* in Tempe Helvetic. Tom. 3. Sect. 1. p. 9.

feverius injunctam esse, quam eam ante illius tempora obfervarunt homines.

Crito.

Hoc firmiter credo. Nam decuit illum, qui hominum corda fapientia implere, atque ad æternam beatitatem formare voluit, ut eos à voluptatibus deterreret atque avocaret.

Eusebius.

Cur vero Deus erga prifcos homines tanta facilitate ufus eft, ut voluptatis ftudia in iis magis quam in nobis toleraverit?

Crito.

Ingenio regionis atque ufui aliquantulum indulfit. Præterea probe notare debes, Deum etiam illorum cupiditatibus fines pofuiffe, & qui eos trangreffus fuerit, inobedientiæ pœnas dediffe.

Eusebius.

Quomodo eorum voluptatibus finem pofuit?

Crito.

Illis leges matrimoniales ferens & regi inprimis præcipiens, ne plures uxores fibi matrimonio conjungeret, quam animus pius & religiofus ferre poffet. Plures enim uxores alere, illarum cupiditates frænare, liberos ex iis procreatos tollere, heu quantum adfert doloris & folicitudinis? itaque prudentiæ & æquitati illorum commifit, tot alere uxores, quot & utile & honeftum ducerent.

Eusebius.

Si Baylio credendum eft, David parum prudentiæ & æquitatis hac in re habuit. Affirmat enim, illum voluptatibus nimium indulfiffe, quum I. plures uxores duxerit, quam virum pium & honeftum decuerit.

cuerit. II. Palræo uxorem rapuerit. III. Spreta Religione uxorem peregrinam in matrimonium sumserit. (*s.*) O execrandum caput, qui tot maledicta in innocentissimum hominem dixit!

Crito.

Noli irasci! Baylius causam amittet, quanquam placido & æquo animo agamus.

Eusebius.

Nonne homo execrandus est, qui dixit, Davidem plures uxores habuisse, quam pium virum decuerit, cum non plures habuerit, quam lege permissum fuerit Regi? (*t.*)

Crito.

Quot uxores lex Regi permisit?

Eusebius.

Octodecem ex Hebræorum Sententia. (*u.*)

Crito.

David vero quot habuit?

Eusebius.

Illi quidem dicunt totidem atque lex permiserit. (*x.*)

Crito.

Fabulæ! neque enim demonstrarunt Hebræi, neque

(*s.*) Confer. Dict. Hist. Crit. p. 910. 911.

(*t.*) *On ne sauroit bien excuser sa Polygamie; car encore que Dieu la tolerat en ce tems-la, il ne faut pas croire, qu'on put l'etendre bien loin, sans lacher un peu trop la bride à la sensualité.* Bayle Dict. T. II. p. 910.

(*u.*) Misna Tit. Sanhed. c. 2. Talm. Babyl. fol. 21. a. apud Seldenum de Uxore Ebraica. l. I. c. VIII.

(*x.*) Confer. Seldenum ibid.

que demonſtrabunt unquam, legem aut Regi aut alii viro certum numerum uxorum præſcripſiſſe.

Euſebius.

Quomodo igitur Davidem hac calumnia liberabis?

Crito.

Hoc tantum dicamus: Illum ex conſuetudine omnium Regum, & quod eum maxime excuſat, lege patria egiſſe, neque voluptatem tantopere curæ habuiſſe, ut fines honeſtatis transgreſſus fuerit. Nullus enim Prophetarum eum ob hanc culpam reprehendit, nec oraculis ſacris quidquam proditum eſt, quod nobis hanc ſuſpicionem moveat.

Euſebius.

Recte CRITO! David enim paucas habuit uxores, præquam filius ejus Salomon, qui ſibi ſeptingentas uxores & trecentas concubinas connubio alligavit. (y.)

Crito.

Immo vero hic genio nimium indulſiſſe cenſendus eſt, non David, qui & religionem caſtiſſime ſervavit & ad eam omnia compoſuit.

Euſebius.

Sed quid de Paltæo & Micale? anne hæc rapina dicenda, quod David ad regiam poteſtatem elatus eam reduxerit?

Crito.

Non. Hoc enim jure facere potuit & debuit, nam illa prior ejus uxor fuit. Saulus ira incenſus, quod Deus Davidem prudentem & manu fortem virum ſibi præponeret, illique viam ad regnum pararet, eum finibus Hebræorum ejecit, & Micalem uxorem ejus Paltæo nuptum dedit. (z.)

(y.) 1. Reg. c. XI. (z.) 2. Sam. c. III.

Eusebius.

Hac quidem in re Saulus injuste egit; de hoc non est quæstio, sed de illo: quo jure David eam reducere potuerit, postquam Paltæo nupserit?

Crito.

Summo jure potuit, namque Hebræorum moribus mulier, quæ viro connubio juncta fuit, non potuit cum alio conjugium contrahere, nisi maritus diem supremum obiisset, vel illam collectis sarcinulis domo sua exire jussisset. Ex hoc apparet, Micalem ingratiis coactam Davidem deserere, non desiisse esse ejus uxorem, quamvis alii nupserat, vixit enim in matrimonio illegitimo priori viro superstite.

Eusebius.

Quum vero non licet permutare uxores, quemadmodum baculos, quibus pueri inequitant, humane actum fuisset, si David jure suo cessisset.

Crito.

Lepidum caput! Ludum jocumque facis, quæ antea nimis graviter & superciliose tractasti. Hoc si fecisset

Heu ubi pacta fides & connubialia jura? (a.)

Tibi si ancilla vi ablata esset, illam summa ope velles restitutam. Quid Davidi faciundum fuisse putas, cum carissima conjux, Sauli filia, cujus conjugio sanguine regio miscebatur, quid? quod spe Throni adipiscendi confirmatus fuit, maxima injuria ab illo fuisset divulsa?

Eusebius.

Ne me iniquo animo feras contradicentem! Sententiam tuam ita optime elici posse ratus sum. De

(a.) Ovid. Heroid. VI. 41.

Micale quidem satisfecisti mihi; quid autem de hoc dicendum, quod sibi David uxorem peregrinam contra patrias leges vinculo jugali sociaverit.

Crito.

Illa fuit, ni me animi fallit, Maacha Philistæa, Filia Tolmæi, Regis in Geschuræa. (*b.*)

Eusebius.

Hæc ipsa.

Crito.

Insolenter sane Baylius Davidem re inexplorata condemnavit, ac si omnia divina humanaque jura posthabuisset: quid? si ex lege seu potius non contra legem illam sibi associavisset?

Eusebius.

Quomodo hoc fieri potuisset, cum Deus Israelitas matrimoniis peregrinarum prohibuerit?

Crito.

Cedo. Ast anne lex hæc nunquam dissolvi potuit?

Eusebius.

Potuit; sed tum demum, quando quis bello captam tuendo ardescebat. (*c.*)

Crito.

Quid? si Philistæa illa bello capta Davidi adducta atque ab illo adamnata fuisset?

Eusebius.

Non repugno. Fieri potuisset. Sed habesne rationes, quæ rem ita transactam esse suadeant?

Crito.

Habeo. Primo enim Davidem gravia bella cum Philistæis gessisse, inque iis semper superiorem fuisse con-

(*b.*) 2. Sam. c. III. (*c.*) Deut. c. XXI.

conſtat, ut non poſſit dubitari, quin multas captivas fecerit. Deinde illum à nullo Prophetarum, qui ipſi à concionibus aulicis fuerant, ob hanc rem increpatum eſſe ſcio, cum tamen hos magna confidentia cum illo locutos eſſe appareat. Tandem mecum faciunt Doctores Hebræorum, quibus aliquando non nihil tribuo. (d.)

Euſebius.

Quæ dixiſti, ſumopere probo, teque rogo, ut reliquam vitam Davidis mecum recognoſcere velis.

Crito.

Hæc remittamus poſt prandium, jam enim ſol medio decurrit cœlo, nosque exſpectabimur domi.

Euſebius.

Conſentio, teque valere jubeo.

Crito.

Vale tu quoque.

(*d.*) Maimonides Halach Melakim c. 8. & Gem. Babyl. c. 2.

****

CAPUT QUARTUM.

De eodem Argumento.

CRITO. EUSEBIUS.

Salve EUSEBI!

Euſebius.

O ſalvum te cupio, mi CRITO! Tu enim Præceptor meus; Tu mihi recte ſentiendi autor; Tu ſalus mea.

Crito.

Si vis, reliqua examinemus Baylii, quibus Davidem caſtitatis laude defraudare voluit.

Eusebius.

Quam maxime volo. Ante omnia à Te mihi explicari cupio, quid sentias de saltatione illa ante arcam. (*e.*)

Crito.

Meministine, quæ Baylii de hac re sit opinio?

Eusebius.

Memini. Tam impudicum, tamque insanum Davidem fuisse autumat, ut adstantibus & inspicientibus mulierculis Hierosolymitanis saltando seque incurvando eas corporis partes denudaverit, quas natura vult esse absconditas. (*f.*)

Crito.

Quomodo igitur hanc contumeliam deterendam putas EUSEBI?

Eusebius.

Hoc ego certe nescio. Mihi enim præsagit animus, Davidem aliquid commisisse ad honestatem minus compositum, quia Mical eum vehementissimis verbis objurgavit. Ast illud non ex levi & impudico animo fecisse credo.

Crito.

(*e.*) 2. Sam. c. VI.

(*f.*) Baylius citat Ferrandum, *Reponse à l'Apologie pour la Reformation*, cujus verba sunt: *Ces Paroles du Texte sacré semblent faire voir, que David se de pouilla tout nud: néanmoins comme le meme texte parlant de la danse de David devant l'Arche, dit qu'il etoit vetu d'un Ephod de lin, je ne pense pas, qu'il se depouillat tout nud. Mais il se depouilla assez pour qu'il parut comme nud & que cela fut jugé indigne de la gravité & de la Majesté d'un Roy, d'autant plus que la chose se faisoit publiquement & devant un grand monde*, T. II. p. 911.

Crito.

Si Baylii errorem radicitus evertere velimus, tria obſervanda atque amovenda veniunt, quæ in Davide culpavit. Primo quod ſaltaverit; dein quod molli & impudica veſte indutus fuerit; Tandem quod obſcœna viſuque prohibita corporis revelaverit.

Euſebius.

Vereor, uti dixeram, ne ſanctiſſimus vir errore quodam eo deductus fuerit, ut inhoneſtamenti aliquid in ſe admiſerit. Nihil vero minus quam malo ex animo id illum peregiſſe ſuſpicor, in tantum enim Deoque tam carum virum nulla malitia incidere potuit.

Crito.

Noli vereri! nihil hac in parte commiſit, quod culpandum fiet. Quod ſi enim contextum ſacrum rite examinaverimus, Davidem omni culpa carere intelligemus. Saltavit; ſed non uti

Saltantes Satyros imitatus Alpheſibæus. (g.)

Seu ut pedes brachiave poſito ſono moverit, quam *ſaltationem* Cicero (h.) *omnium deliciarum extremam comitem eſſe* dixit, ſed conſentientibus etiam LXX. exultavit gaudio, hoc eſt, vultu geſtuque magnam lætitiam præ ſe ferens, quod Arca Dei in Regiam ſuam perduceretur.

Euſebius.

Applaudo tibi. Hoc unicum me male habet, quod neſciam, quid reſpondendum ſit, ſi quis diceret: in die tam ſacra, tamque ſolenni, qua publica vota peragenda fuerant, non commodam lætandi atque exultandi occaſionem fuiſſe.

Crito.

Ex præconcepta atque perverſa opinione judicant,

(g.) Virg. Ecl. V. 73. (h.) Pro Mur. c. VI.

cant, qui religionem nulla ferre gaudia, sed subtristes & tetricos vultus requirere sentiunt. Etenim Deum non solum ut severum judicem contemplari debemus, de quo si cogitemus

Gelidus per ima currat ossa tremor, (*i.*)

Sed potius, si recte quidem fecerimus, ut benignum Patrem, qui ipse lætatur, si gaudeamus, exque benevolentia atque amore ejus lætitiam capiamus. Quo factum est, ut ipse Israelitis gaudia, convivia & omnia læta diebus festis peragenda indixerit, nosque, qui sub suavissimo regno Christi vivimus, per vatem commonuerit: (*k.*) *Personate Jovam totus orbis; servite Jovæ libenter: venite in ejus conspectum cum modulis.* Cur igitur David non debuisset gaudio perfundi, cum Arca, quæ aliquandiu in hostium potestate fuit, Hierosolymam duceretur? quod Hebræi hanc Arcam valde suspexerint, ex eo apparet, quod eam tanquam signum præsentissimi Numinis secum in bellum tulerint. Cur igitur David non exultare debuisset, cum illam veluti triumphans reportaret, inque posterum in Metropoli sua conspecturus esset? uti sapiens ait: (*l.*) *Est tempus, quo hilares risus sectari liceat; succedit enim aliud tempus, quo animum ad dolorem atque tristitiam componere fas est.* Si qua verum assequi valeo, David non risisse videtur, cum Psalmum sextum condidit.

Eusebius.

O perge quæso, mi CRITO! explicare reliqua, te enim summa cum voluptate audio.

Crito.

Secundo Baylius in Davide culpat, quod solemni hac occasione molli & ad impudicitiam composita veste indutus fuerit. *Nonne*, inquit, *attoniti adstaremus, aliquem Regem intuentes, qui solennem supplicationem*

(*i.*) Virg. Æn. II. 121. (*k.*) Ps. C. (*l.*) Eccl. c. III.

nem concomitans in plateis saltaret parvo tantum cingulo indutus? (*m.*) Qua autem verisimilitudine affirmat, Davidem tali cingulo amictum fuisse? Scriptor sacer ait: (*n.*) *Linteo indutus Ephodo saltavit.* An Ephodum linteum fuit parvum cingulum, quod, uti nobis persuadere velle videtur, obscoenas partes tam leviter operiebat, ut saltando facile detegi potuerint. Mirifice falleris Bayli! Samuel legitur, (*o.*) *Cultum divinum obiisse ephodo linteo amictus.* Hoccene de parvo cingulo intelligendum esse credis? Vide! ne te error tuus in multo deteriorem detrudat. Quis enim sanæ mentis homo, qui in sacra Hebræorum historia non plane hospes est, sibi in animum inducere posset, ut credat, Samuelem religiosissimum juvenem vestimentis detractis nudum sacra fecisse, cum Deus in Sacerdotibus castitatem maxime desideraverit, legeque posita caverit, (*p.*) ne pararetur altare, ad quod per gradus ascenderetur, ne quando Sacerdotes sacra operantes gradu delapsi obscoena ostenderent; prætereaque hanc expressam legem Sacerdotibus dederit: (*q.*) *Ut ipsi facerent lintea femoralia, quæ corporis verenda tegerent & ab ilibus ad femora pertinerent, quibus uterentur, quoties vel in tabernaculum oraculi ingrederentur, vel ad aram procurandorum sacrorum gratia accederent?* Tandem Moses Hebræorum Legislator de vestitu Sacerdotum agens (*r.*) nos docet, Ephodum fuisse stolam ab humeris ad pedes usque promissam, quam reliquis vestimentis superimposuerint sacra facientes; ex quo simul intelligi potest, qua mente David hanc pompam ducens Ephodo se amicire voluerit, nempe modestiæ & reverentiæ causa erga Deum ornamenta regia deposuit,

(*m.*) *On trouveroit fort étrange par tout l'Europe, si un jour de procession du saint Sacrement les Rois dansoient dans les rues n'aiant qu'une petite ceinture sur le corps.* Ibid.

(*n.*) 2. Sam. c. VI. (*o.*) 1. Sam. c. II. (*p.*) Exod. c. XX. (*q.*) ibid. c. XXVIII. (*r.*) ibid. ab initio cap.

ſuit, ſacerdotalemque veſtem, non ſolam, ſed ſuper reliqua amicula induit, ut oſtenderet, ſibi unicum eſſe ſtudium Deo placendi, illique ſerviendi: O rarum exemplum humilitatis in Principe!

Euſebius.

Cur igitur Mical Davidi exprobravit, quod ſe denudaverit: *Quam glorioſus*, inquiens, (*s.*) *fuit hodie Rex Iſraelis, qui denudavit ſe hodie ante oculos ancillarum ſervorum ſuorum, prorſus ut denudat ſe unusquisque e vaniſſimis hominibus?*

Crito.

Hoc nobis tandem examinandum venit. Eſt ambiguitas quædam in voce *denudavit ſe*, quam interpretes non intellexerunt; Baylius vero pro malitia ſua illa abuſus eſt. Equidem non nego, verbum, quo Scriptor ſacer uſus eſt, ſignificare: *Corpus ſuum nudare.* Sed docent Grammatici, eam vocis ſignificationem inveſtigandam eſſe, quam quovis loco habeat. Hanc regulam niſi in legendis & ſacris & profanis ſcriptoribus obſervaverimus, in magna incommoda incidemus, & quandoque ſenſum eliciemus, qui autoris menti non ſolum ſit contrarius, ſed etiam abſurdiſſimus. Pone hoc loco, namque id exemplum mentem meam clare patefaciet, *Davidem ſe denudaſſe*, nonne hæc ſignificatio incommoda & tanti viri perſona indigna eſſet?

Euſebius.

Sine, ut pauca interloquar!

Crito.

Loquitor!

Euſebius.

Non noſtri eſt arbitrii, quam ſignificationem voci dare velimus, ſed hanc illi dare debemus, quam autor cum illa conjunxit. *Crito.*

(*s.*) 2. Sam. c. VI.

Crito.

Recte! plane & aperte tecum facio. Sed quando non constat, quam significationem autor cum voce conjunxerit, nonne id investigari oportet?

Eusebius.

Immo vero id sedulo investigari oportet.

Crito.

Nonne id investigaturus ad omnes circumstantias animum advertere debet?

Eusebius.

Debet.

Crito.

Interpretare igitur hoc loco vocem illam, quæ in contextu *denudavit* significat, hac primaria significatione & postea judica, an illa circumstantiis sit congrua. David erat vir probus & æqui servantissimus; præterea hoc tempore cultu divino occupatus; Arcæ, quæ fuit Deo sacrata, à que Hebræis sum̃a cærimonia culta, cum sacerdotibus atque universis urbis Hierosolymitanæ civibus obviam ibat: Ipse sanctum gregem ducebat, Dei nomine populum Israeliticum regens; summa lætitia adficiebatur, quod Arca illa, quæ quondam præda hostium fuisset, in ipsam, qua habitabat, urbem veniret: nunc judica quæso, an veri sit simile: Davidem hac occasione se studio denudasse pudendaque puellarum oculis conspicienda revelasse? omnibus hominibus pudor est congenitus, ut vel nequissimi eorum & qui maxime impuritati sunt dediti, obscœna corporis detegi summo studio effugiant. Qua ratione igitur credi posset Davidem, quem virum Deus Hominesque magni habuerunt, quique vita sua tot eximia pietatis specimina edidit, eo impudentiæ prolapsum esse, ut ex composito id fecerit? cur Deus hoc flagitium non repre-

hen-

hendiſſet? quid? quod ſeveriſſime puniviſſet? cur hoc illum Subditis, Civibus, religionisque Antiſtitibus non exoſum feciſſet? Priſcorum temporum annales ſi evolvimus, facile diſcimus, quæ incommoda voluptatis ſtudium Principibus conciliaverit, quanquam plurimos Hiſtoricorum oſcitantia non conſignatos crediderim,

nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
cauſa: ſed ignotis perierunt mortibus illi,
quos Venerem incertam rapienteis more ferarum
viribus editior cædebat, ut in grege taurus. (*t.*)

Cur autem Iſraelitæ divina oracula edocti id in Davide inultum paſſi eſſent? Hoc ut mihi perſuadeam a me impetrare non poſſum. Si David ingenio minus valuiſſet, atque valuit, non tamen ad id credendum inducerer. Nonne igitur aliam vocis hujus ſignificationem perquirere oportet, præſertim cum ipſi ſacri Scriptores commodiſſimam offerant? Salomo Rex & Poeta eloquentiſſimus hanc vocem ſenſu adhibet, qui noſtro textui eſt accomodatiſſimus, *ſtultus,* inquiens in Proverbiis, (*u.*) *amat denudare cor ſuum.* Quid hoc eſt, *denudare cor ſuum*? nonne hoc ſtudia & animi ſui cogitata in apricum proferre ſignificat? ſtultus enim *denudat cor* inepta & amentia ſua molimina dictis & factis aperiens. Hæc ſane ſignificatio menti Micalis, quæ hoc loco loquens inducitur, eſt convenientiſſima. Illa fœmina tumens ſuperbia iniquo ferebat animo, Davidem maritum ſuum ſe tantopere humiliaſſe, ut corona, ſceptro, totaque regia dignitate poſthabita veſtem ſacerdotis induerit, cumque civibus ſuis urbe exierit, tantam lætitiam in recipienda Arca oſtendens ac ſi clariſſimum triumphum de hoſtibus duxiſſet. *Hoc modo*, inquit, *te humilians & omnium in conſpectu exultans animi imbecillitatem æque ac inſa-*

(*t.*) Horat. L. I. Sat. 3. (*u.*) C. XVII.

insaniens quique manifestavit. Doctissimus Vir Sebastianus Castalio de hac interpretatione aliquid præsensisse videtur. Is enim hunc versum ita exposuit. *O quanta fuit hodie Regis Israelitarum gravitas? qui se hodie, spectantibus suorum servorum ancillis, non aliter vulgaverit, quam se solent vulgare nebulones.* Verbo *vulgare* sine dubio hoc sensu usus est, quo & Livius, (*x.*) dicens: *Summum imperium cum infimis vulgatum est.* Præterea in hac me sententia confirmant LXX. interpretes verba illa reddentes : ὃς ἀπεκαλύφθη σήμερον ἐν ὀφθαλμοῖς παιδισκῶν τῶν δούλων αὐτοῦ, καθὼς ἀποκαλύπτεται ἀποκαλυφθεὶς εἷς τῶν ὀρχουμένων. Hæc enim vox ἀποκαλύπτομαι & apud profanos & sacros Scriptores eam significationem obtinet, quam nos huic loco conciliavimus. Sic Plutarchus de Alexandro ait : ἀποκαλυπτόμενος πρὸς Ἀριστοτέλην, *mentem suam Aristoteli aperiebat.* Lucas vero de beatissimo Sotere nostro loquens, illum signo datum esse inquit, (*y.*) ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί, *ut multi consilia sua luci redderent.*

Eusebius.

Hunc locum ita explanasti, ut ipse Baylius, credo, nihil haberet, quod tibi objiceret. Veniamus, si vis, ad ultimum exemplum, a sceleratissimo sycophanta prolatum, ut impuritatis suspicionem in Davidem transferret, nempe quod ætate jam profecta cum tenera puella connubium fecerit. (*z.*)

Crito.

Ex hoc quoque exemplo discimus, quanta invidiæ vis sit, & quod ea etiam, quæ à crimine longissime absunt, sugillari possint, si accedat malus animus, qui eloquentia valeat ad orationem suam colorandam.

(*x.*) IV. 1. (*y.*) Luc. II. 35. (*z.*) 1. Reg. c. I.

Eusebius.

Recte hoc inter ea Davidis facta refers, quæ à crimine absunt, namque docti viri Hebræorum satis cum verisimilitudine ostendunt, eum una ex concubinis repudiata Abisagam (hoc enim mulieris nomen est) illarum numero adscripsisse, ne numerum octodenarium uxorum, quem Regi præscriptum fuisse credunt, excederet.

Crito.

Non dubito, quin doctissimis illis viris hac in re nugari collibuerit. Nam uti supra monstravimus, de numero uxorum Hebræis præscripto nihil certi habemus. Huic igitur non inhærebimus. Abisagam à Davide inter concubinas fuisse habitam, res est ex Historia sacra manifestissima.

Eusebius.

Res non ita manifesta videtur, si Hebræis nihil autoritatis tribuere vis, etenim Scriptor sacer aperte dicit: *Davidem illam non cognovisse*, nosti autem, quæ hujus vocis vis sit.

Crito.

Probe novi, nempe significat, eum cum illa non voluptatem cepisse, namque ætate confectus huic muneri impar fuisse videtur. Quod autem cum Abisaga matrimonium contraxerit, eamque inter legitimas concubinas habuerit, ex eo apparet, quod, quum ille ruptis hisce corporeis vinculis vita excessisset, Adonia filius in capitis periculum venit, inque eo interiit, (*a.*) hanc mulierem sibi uxorem postulans, quia soli Regi in Antecessoris uxores potestas servabatur.

Eusebius.

Id quorsum pertineat, exspecto.

Crito.

(*a.*) 1. Reg. c. III.

Crito.

Mox intelliges, si modo patienter me audiveris. Cum enim examinare volumus, an David crimen fecerit, quod Abisagam sibi conjunxerit jam declivis ætate, ante omnia observatu necessarium est, illum nihil adversus legem fecisse. (*b.*) *Non enim eadem omnibus sunt honesta atque turpia.* Si hic gentium vir annis gravis præter uxorem suam cum puella pactum sociale faceret voluptatis causa, quemadmodum Spartianus (*c.*) aliquem refert ad uxorem dixisse: *Patere, me per aliam exercere voluptates meas, nam uxor nomen dignitatis est, non voluptatis,* non solum male audiret, sed judex matrimonialis ardorem ejus temperaret. Cum Davide autem alia res fuit. Is ex lege Abisagam ducere potuit, uti supra ostensum est. Illum igitur hoc æquo ac pari jure fecisse arbitror, ac si quis grandævus jugali vinculo solutus puellam aliquam thori sociam faceret.

Eusebius.

Cedo. Pari jure id facere potuit. At non sufficit, ut jure seu lege aliquid facias, sed requiritur etiam, ut sit honestum atque utile. Si enim decrepitus senex adolescentulam ducit, ipsi ignominiæ est, quia voluptatibus inhiare videtur, quæ senectam dedecent.

Crito.

Ostendi, quod David jure fecerit, quidquid hac in re egerit; nunc quoque ostendam, quod nihil contra honestatem fecerit, quia credere videris, non semper honestum esse, quod jure fiat, uti in proverbio est: *Summum jus, summa quandoque injuria.* Hoc ut rite præstare possim, sacri Historici ope mihi est opus. Is ita de Davide memoriæ prodidit: (*d.*) *Cum autem*

(*b.*) Nepos in Præfat. (*c.*) In Ælio Vero C. V.
(*d.*) 1. Lib. Reg. c. I.

eo senectutis venisset Rex David, ut injectu vestium non calefieret, suaserunt ejus Assectatores, ut ei puella virgo quæreretur, quæ eum suo ministerio foveret, in ejusque complexu cubans, eum calefaceret. Ex eo apparet, si quid in hoc facto criminis fuisset, illud magis Assectatoribus, quos versio Tigurina servos vocat, ego vero Medicos fuisse non sine ratione credo, attribuendum esse, quam ipsi Davidi. Is lecto detinebatur calore destitutus. Medici consultabant, quid opis ferendum esset. Primo tegumenta apportabant, cumque illa juvare non poterant, necessarium esse rati sunt, *ut perquireretur puella, quæ illum ministerio suo foveret, & in complexu ejus cubans eum calefaceret.* Vides igitur non ad voluptates capiendas Abisagam fuisse perquisitam & Regi oblatam, sed potius, ut ei præsto esset & uti Scriptor sacer ait, *eum ministerio suo foveret.* Hoc enim primarium est officium conjugis, maritum auxilio juvare, uti Deus ipse ait: (*e.*) *Non convenit hominem esse solum, faciam ei adjumentum accommodatum.* Viro variis occasionibus nemo melius succurrere potest, quam uxor. Quodnam igitur honestius fuit, Abisagam Davidi auxilium præstitisse uti ancillam, vel uti uxorem?

Eusebius.

Hæc tua ratio parum valet. Cum enim plures habuerit uxores concubinasque, quæ illum juvare, & si vis, fovere potuissent, cur novam & quidem admodum juvenem, ætate & forma florentissimam ei adduci consultum fuit?

Crito.

Tantum abest, ut objectio tua mihi scrupulum faciat, ut potius meam rationem confirmet. David amisso calore fovendus atque calefaciendus fuit. Hoc senex & decrepita anicula, quæ non minus frigore contremiscebat, præstare non potuit.

Eusebius.

(*e.*) Genes. c. II.

Eusebius.

Heu! quid frigidus senex adjumenti ex amplexibus mulieris capiet?

Crito.

Hoc medicis dijudicandum relinquo. David ope indigebat. Medici amplexibus puellæ opus esse decreverunt. (*f.*) Si illorum repugnasset consiliis, forte ultro mortem quæsivisse habitus esset. Medicos, eos maxime, quos empyricos vocamus, multa anilia, superstitiosa, immo vero quandoque impia atque à natura abhorrentia observare non ignoras. Ægroto autem non est vitio vertendum, si illorum consilia sequitur. Ille enim natura duce & auspice exoptat dolorem minui & sanitatem restitui.

Eusebius.

Cur autem tanto studio formosissima totius regionis perquirebatur, cum alia quævis præsidio venire potuisset?

Crito.

An nescis ingenium Aulicorum, quod omnia ad

(*f.*) *Medendo frigori senum nihil est præstantius (ut in textu quoque manifestum) quam amplexus * * * * * Juvenum quippe calor, edax non est, sed blandus; non valde consumens, sed naturæ accomodatus. Non conducit exiguo senum calori vinum generosum, eo enim calor innatus consumitur & exhalat. Sed observamus, senes, qui juvenum congressui frequenter se miscuerunt, conversatione interrupta, longævos evasisse, cum spiritus eorum ex tali consortio fuerint recreati. Tales antiqui Rhetores & Sophistæ fuerunt, semper inter auditores & discipulos juvenculos versati, ut Gorgias, Pytagoras, Isocrates &c. qui ad centesimum annum vixerunt, Grammaticorum quoque plurimi, ut Orbilius.* Johannes de Mey Ecclesiastes Medioburgensis in Comentariis physicis Part. 2. p. 32.

ad adulationem componant, plurimisque in factis non quæsi tam diligentiam præstent, Principi ut placeant.

Eusebius.

Priora omnia, quæ ad Davidem disculpandum protulisti, mihi magis placuerunt, quam hæc ultima.

Crito.

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: Si non, his utere mecum.

Eusebius.

Meam ignorantiam confiteri malo, quam aliquid inconcinnum dicere.

Crito.

Non mihi id consilii est, ut te in meam sententiam perducam. Attamen si dicta hæc probe consideraveris, ea magnam speciem veritatis habere reperies. Tibi ad examen hoc aliquantulum temporis dabo. Nam præter opinionem mihi novi labores oblati sunt, ad quos omnem curam, diligentiam, cogitationem denique transferre oporet. Vale.

Eusebius.

Multa nobis pervestiganda sunt reliqua in vita Davidis.

Crito.

Hæc omnia commoda data occasione pari studio & diligentia nostra examinabimus trutina.

Eusebius.

Junge dextram & Vale.

II.

GEORGII HENRICI WERNDLY* ORATIO INAUGURALIS, DE LINGUARUM ORIENTALIUM ET INDICARUM COGNITIONE NECESSARIA THEOLOGO AD INDOS PROFECTURO.

Annus agitur quadragesimus quintus, quo, sub auspiciis augustissimi Magnæ Britanniæ Regis GULIELMI tertii, gloriosæ memoriæ, admodum Venerandus & nunquam sine honore mihi nomi-

* Habita est hæc oratio inauguralis Lingæ ad diem XVII. Decembris anni MDCCXXXVII. quum extraordinariam Philologiæ Professionem in Illustri Gymnasio Lingensi solenni ritu auspicaretur. Amstelodami typis Wetstenianis exscripta prodiit: Sed cum rarius in his oris nostris conspiciatur, eam ob argumenti & novitatem & dignitatem Fasciculo huic insertam exhibere voluimus, ut ita multorum curiositati satisfieret, & ea ab interitu assereretur. Autor illius est G. H. WERNDLY, Helvetio-Tigurinus, qui An. MDCCXVII. Majo mense ætatis XXIII. ad Ecclesiarum Indicarum Ἐπισκοπίαν profectus

nominandus *Henricus Pontanus*, edito programmate Athenæum hoc constituit, dixit, & indixit hic in publica adfore, qui linguam Hebraicam, aliasque Orientis, qui Græcam, qui Latinam, qui Eloquentiam & Historias, qui Theologiam doceant. Et, si votis Regis respondeat eventus, brevi neque studiosos Juris

fectus mense Januario anni sequentis in illis oris feliciter appulit. Non ingratum erit Lectoribus nonnulla de Ministerii ejus successu & fatis ex ipsis ejus Literis ad diversos cognoscere: Literæ ejus ad Patruum V. D. M. Senem optimum Kal. Decembris An. MDCCXXIV. Bataviæ in Insula Java majori datæ hæc habent: (*Ego quam longissime, Patrue unice, a Te remotus, in dissitis terrarum locis degens, huc illuc agitatus, nunc autem aliquo modo sede fixa, jam dudum Literas ad Te dare debuissem; ast continua sedis variatio & alia me abstraxerunt, immo & nunc a dandis Literis operis moles me abstraheret, nisi consanguinitas me ad hoc officium impelleret. Septimus jam labitur annus, quo incolumis ad has oras appuli. Semestrium BATAVIÆ mansi, & alterum Semestrium visitavi Ecclesiam, quæ colligitur in occidentali SUMATRÆ littore; post hæc per integrum annum Bataviæ sedes habui, & connubio mihi junxi Virginem honestam, nomine JACOMINAM COLYNS: Abhinc per tres annos fui præpositus Ecclesiæ Christi, quæ colligitur in regione MACCASSAR, in Insula Celebes, ubi Deus T. O. M. nos IX. Kal. Octob. anni a Salute recuperata MDCCXXII. filiola dilectissima beare voluit, nata Rotterodami Maccassariensium. Præterito anno a Nobilissimis rerum Indicarum Moderatoribus vocatus sum ad vertenda, revidenda & corrigenda BIBLIA MALAICA, cui operi omnibus viribus incumbo per totos dies, & favente divina gratia perveni ad posteriorem Librum Regum. Plurima de hisce Indiis scribere possem, quæ non ingrata forent, sed curæ cottidianæ id non sinunt. Ego cum uxore mea & filiola*

ris, neque Medicinæ habituros quod in illa desiderent. Annus idem & mihi natalis fuit, ac ille, qui scholam hanc publicam constituit & fovit, me sacro de fonte suscepit, & baptismatis unda tinxit, nomenque suum una cum gravissimi parentis nomine

la vivimus & prospera valetudine utimur, teque tuosque omnimoda salute impertimus, & omnia fausta a Salutis Fonte vobis precamur. Vale Patrue optime, nunquam non colende, iterumque Vale.) De opere Bibliorum in Linguam Malaicam transferendo, ac laboris sociis plura exhibent Literæ Bataviæ X. Kal. Decembr. A. MDCCXXIII. ad Celeberrimum quondam Virum J. J. HULDRICUM, Eccles. Tigur. ministrum ac Ethices & J. N. Prof. P. datæ: *A nobilissimis*, inquit, *amplissimisque Dominis* Henrico Zvvaardecroon *Gubernatore generali, ejusque Senatoribus, harum Indiarum Supremis Moderatoribus ex Ecclesia Maccassariensi vocatus sum ad revidenda & corrigenda Biblia Malaica, ut tandem aliquando gratia & sumtibus Nobiliss. Societatis Indicæ typis exprimantur, & Ecclesia iis frui possit. Huic operi quotidie incumbo cum plurimum Reverendis Viris PETRO van der VOORM,* φιλογλώττῳ *summo, ARNOLDO BRANDTS, Malæorum in Ecclesia Bataviensi Antistitibus, & ENGELBERTO CORNELIO NINABER, ex Ecclesia Amboinensi ad hoc vocato, & sic Bataviæ dego ætatem, ut urbe totius Indiæ orientalis celeberrima & primaria.* Denique Literæ nonis Decembr. A. MDCCXXXII. ad agnatum suum, S. M. Cand. datæ hæc addunt: *Præter imprimenda & corrigenda Biblia Malaica, in quibus N. T. ante annum absolvimus, & in V. T. ad librum Nehemiæ pervenimus; nunc rhytmus Psalmorum Malaicis nostris notis in Ecclesia cantandus mihi revidendus, corrigendus, renovandus & elaborandus est. Et loco majoris Epistolii Catechismum hunc didactico-practicum a me Lingua Malaica editum cum præfatione Belgica hac occasione tibi mitto.*

mihi imposuit. Ille primus hanc cathedram conscendit atque Gymnasium hoc publicum dedicavit. Hancce ego CLEMENTISSIMI REGIS nostri jussu, quamvis trepidante gressu, nunc conscendi cathedram.

Fateor, per quatuor lustra & quod excurrit pro concione verba facere assuetus sum, nunquam autem, nisi studiorum gratia opponendo, publice Latio sermone sum locutus. Per illud quoque tempus, propter alia Ecclesiastici muneris onera, & quæ ad linguam pertinent Malaicam, fere nunquam Latine verba feci, aut scripta exaravi, nisi in minimo epistolarum commercio cum doctissimis quibusdam in Helvetia, Germania, & India orientali viris, quibus lingua Belgica non satis percognita aut pervulgata. Præterea ex hac cathedra docentes audivi viros clarissimos, Theologos magnos, Philosophos acutos, Oratores summos, ad quorum pedes quondam sedisse nulli mihi dedecori unquam putavi. Verum magna illa lumina, quorum quædam inexorabili morte exstincta, quædam autem adhuc in Academia, Ecclesia, & Republica fulgent, maximum mihi nunc incutiunt tremorem. Nec non ipsa hujus loci facies, illustris hujus auditorii splendor, stipata auditorum corona, meaque imbecillitas me metu plenum reddunt; cor meum pavet, tremor occupat artus, ac pene vox faucibus hæret. Nihilominus tamen Divina favente gratia, quam totiens expertus sum, dicendi periculum faciam: nec diu multumque animo deliberandum fuit meo, qua in re, quo in scopo, quave in materia mea versaretur oratio. Ecce enim ab Ecclesiarum Indicarum ἐπισκοπίᾳ avellor, atque linguarum Orientalium nec non Indicarum inculcandarum, enucleandarumque Sparta mihi injungitur, adeoque extra oleas me vagaturum non æstimo, si planum faciam Theologo, qui Indorum conversionem

nem est promoturus, eique suam navabit operam, necessariam esse Orientalium nec non Indicarum linguarum cognitionem atque peritiam.

Argumentum dicendi A. H. rei præstantia grave satis & nobile, cujus unicus hic est scopus, ut Gentilibus, Muhammedanis, nec non illis, qui Christum ore sunt professi, præbeatur lac illud rationale, quo nutriantur ad vitam æternam comparandam, ideoque splendidissimo hoc auditorio non indignum, atque vestris auribus non injucundum suscipio; quo tanta quanta potest fieri brevitate persungar, atque maxima ejus diversitate vos delectare conabor.

Quod ut fiat, te Deum ter optimum maximum supplex rogo, ut mihi, de variis quibus divinum tuum nomen celebrandum est linguis dicenti propitius sis, & vos A. H. ut mihi faveatis, ac benignas aures & attentos animos præbeatis.

Sermonis copiam, loquendique facultatem, ei, qui docendi partes suscipiat, adesse oportere, nemo cui sanum sinciput unquam dubitavit. Fides enim, sine qua salvus esse nemo potest, ex auditu est, auditus autem per verbum Dei; docente Gentium Apostolo Paulo, Rom. 10: Sita igitur est gentium salus in salutari Dei verbo, quod sane ad homines pervenire non potest, nisi hominum deferatur vocibus, quas qui non percipit, verbi Dei vim sentiet nunquam. Hanc ob causam cunctarum Gentium Dominus, ac omnium Populorum Rex, post exantlatum salutis negotium, & sublatam mortis potestatem, triumphum canens discipulos suos Apostolos quidem constituit, iisque mandavit, ut in mundum proficiscantur universum, ac prædicent Evangelium omni creaturæ, discipulos facientes & docentes omnes gentes, non autem dimisit, antequam in proximo Pentecostis festo Spiritum Sanctum, ac tantam variarum linguarum cognitionem in eos effudisset, ut Judæi,

dæi, viri religiosi ex omni natione eorum, qui sub cœlo sunt, audiverint unusquisque sua propria lingua ipsos loquentes. Hoc Spiritu repleti, & linguarum dono miraculoso instructi non in arctis Palæstinæ cancellis substiterunt Apostoli, sed Divinum secuti mandatum per totum orbem dispersi Ecclesias condidérunt, Gentesque ad Christum, verbo, scriptis, & miraculis converterunt.

Ast jam dudum miraculosum illud linguarum donum cessavit, nec alia superest via fideli Christi servo, qui gentium amat salutem, calcanda, nisi ut improbo labore atque indefesso studio duram hanc superet molestiam, ac gentium addiscat linguas, quibus divina illis explicanda oracula.

Igitur si quis salutis animarum studio inflammatus est, serio is sibi persuadeat, nihil præclarum aut insigne sperari posse, nisi sermonis primum indefessa sit cura. Si enim is, qui idiotæ supplet locum, ad tuam benedictionem, quam non intelligit, amen dicere nequit; quamvis tu bene gratias agas, ille tamen non ædificatur: Quonam modo concionanti tibi, quamvis mirabiliter, quamvis divine de Christo, ignotæ linguæ populus, & profundi sermonis gens respondebit in corde suo amen, hoc est, animi præbebit assensum? Quo modo, quamvis tu recte imo optime loquaris, ædificabitur ad fidem & charitatem frater, cum voces non intellectæ tantum sparguntur in ventum, ac Babylonicæ confusionis more, qui sermonibus dissident, nequaquam sensu animisque conspirant? Quare nihil commodius aut certius est, quam ut qui Apostolatum inter gentes appetit, sermonis curam suscipiat, familiarissimam consuetudinem habeat, copiamque ad discendum sibi paret, tum arte tum exercitatione diuturna. Neque enim alia via reliquus terrarum orbis ad Christi pervenit gratiam, quam divinorum oraculorum forti instantique præ-

prædicatione; ficut in Apoftolorum actis fæpe legimus, & Ecclefiafticæ omnes hiftoriæ tradunt.

Præter documenta divina plurima, eademque graviffima, atteftatur nobis id ipfum copiofiffime rei experientia. Si enim quem gentes nactæ fuerint linguæ fuæ peritum concionatorem, fummo cum honore eum excipiunt, attentiffime eum audiunt, magnopere delectantur facundia, ipfo dicentis impetu rapiuntur, atque ore hiantes, oculis immotis hærent fufpenfi, fibique invicem dicunt; nunquam fe Chrifti legem talem cogitaffe aut audiviffe: dum alii concionis vi cor ipfum fcindi affirmant. Si qui populi aliquid vel intelligentiæ vel probitatis præ fe ferunt, præ cæteris inveniuntur, fine ulla exceptione, ii effe maxime, qui verbi divini Miniftros, Ecclefiæ Paftores aut habuerunt aut habent veteranos, fermonis fui peritos. Omnium vero perditiffimi, qui novos & imperitos ab Europa recentes fortiti funt, quorum infantiam egregie rident, elinguesque contemnunt.

Itaque elaborandum eft verbi divini Miniftris, atque ftudio & tolerantia fermonis paranda facultas. Quamvis duri ac molefti, difficiles ac negotiofi fint labores, qui dicendæ alienæ impenduntur linguæ, non tamen fieri nequit, ut gloriofam quis reportet victoriam, & inde dulciffimos fluentes fructus, charitatisque divinæ illuftre teftimonium.

Ne autem veftra A. H. abutar patientia, hifce generalioribus non diutius immorabor, fed ad fpecialiora tranfibo, ad ipfas illas linguas, quarum cognitionem Theologo, Indorum converfionem promoturo, neceffariam effe duco: eæque funt linguæ Orientales, quæ plerumque Theologis commendantur, & in Academiis docentur, nec non linguæ Indicæ, populo cum quo converfandum vernaculæ.

Linguæ Orientales, quæ plerumque Theologis com-

commendantur, & in ſcholis docentur, ſunt Hebraica, Chaldaica, ſub quibus Rabbinicam complector, Syriaca, Samaritana, Arabica, Æthiopica, & Perſica, de quibus omnibus & ſingulis pauciſſima levi penicillo delineabo: ac initium faciam de Orientis regina, & priſcæ antiquitatis domina, lingua nimirum Hebraica, qua ſacra Veteris Teſtamenti volumina perſcribi curavit ſummum Numen, ejusque notitiam Θεολογουμένων παισὶ, ac cuivis ἐπίγνωσιν ἀληθείας καὶ εὐσέβειαν accuratius ſectanti, & ardentius deſideranti neceſſariam eſſe plenis pronuncio faucibus, ac facili labore me evicturum ſpero.

Epiſcopi munus & officium conſiſtit partim in docendo, partim in pugnando, præeunte Divo Paulo Tit. 1: 9. ut poſſit & exhortari doctrina ſana, & contradicentes convincere.

Qui non intelligit linguam ſcripturæ ſacræ Veteris Teſtamenti originalem, ille ſacram ſcripturam fundamentaliter intelligere, & alios de ejus ſenſu certiores reddere nequit. Quicunque enim verſionibus tantummodo fidit, ille cogitur admittere interpretes ſententiæ alienæ, non propriæ, ac errori obnoxios. Quamvis autem ex verſione Spiritus Sancti ſenſum idiota in locis clarioribus pro ſe utcunque aſſequi poſſit, non tamen ideo Doctor loca obſcura, ubi interpretes diſſident, intelligere, nedum aliis explicare poteſt. Præterea nulla Biblicarum verſionum, quibus mundus eſt obrutus, erudito Sacræ Scripturæ lectori unquam ſic ſatisfaciet, quam auctoris primi nativus ſermo.

Concludo ergo linguæ Hebrææ imperitum non magis eſſe idoneum ad explicandam ſacram ſcripturam, quam Arabicæ ignarum ad docendum Coranum.

Quid aget Theologus, ſi hæretica pravitas eſt refutanda falſorum quorundam Chriſtianorum, aut infide-

fidelium Judæorum, cum nulla versio sit vel esse possit authentica? nonne fateri cogitur cum eruditis adversariis, non ex versione vernacula, sed ex ipsis fontibus esse disputandum? Quid fiet, si cum Judæo tibi agendum foret? hic nullo modo ex versionibus & interpretationibus convinci potest; ad solum igitur fontem Hebræum est recurrendum.

Ne autem mihi aliquis objiciat, me agere de Theologo, qui convertendis Indis navabit operam, ibique cum rudi & indocta plebe tantum agendum, ubi nulla linguæ Hebrææ notitia, aut adversarii docti, qui eam calleant linguam: audacter ac constanter assero, inter Europæos, qui in Indiam navigant multos linguæ Hebrææ peritos reperiri, nec non in Ora Malabarica ipsissimos Judæos, qui hujus linguæ notitiam quoque conservarunt, quamvis alio sermone utantur vernaculo, qui, quod in transitu noto, ex relatione *Jacobi Canterii Vischeri*, ab Hierosolymæ destructione epocham numerant suam, & biennio ab æra differunt vulgata. Præterea quid ageres, si totus tibi traderetur sacer codex in aliam transferendus linguam, eritne hoc tibi possibile absque Hebrææ linguæ peritia? Ne autem porro quis excipiat, se non fore Bibliorum interpretem, memet ipsum exempli loco sisto: quis mortalium unquam mihi prædixit aut præsagivit, me Bibliorum interpretationi operam navaturum, aut ad Indos profecturum, antequam eo vocatus essem? Et quamvis hoc opus ad umbilicum jam perductum, dantur tamen præter Malaicam adhuc plurimæ in India linguæ, quibus læta Evangelii vox nondum est audita, in quas Dei verbum, antequam plenitudo gentium intrare potest, est transferendum. Præterea ipsissima illa nostra versio, quam cum collegis dilectissimis non sine magno labore perfeci, aliis relinquitur examinanda, cum stylo Hebræo conferenda, ac ubi erraverimus, homines enim sumus,

mus, & nihil humani a nobis alienum putamus, corrigenda, atque emendanda.

Linguæ Hebrææ proxima eſt Chaldæa, quo idiomate etiam quædam Veteris Teſtamenti monumenta concepta ac conſcripta ſunt a viris Θεοφερομένοις, atque iis intelligendis ea æque neceſſaria ac Hebræa Hebræis.

Præterea quam plurimæ in Hebraiſmo voces ex Chaldaiſmo illuſtrari poſſunt, ac magno & inæſtimabili Chriſtianæ Theologiæ bono hodie inſerviunt, non tantum Chaldaicæ Paraphraſes ſeu Targumim, ſed & ipſum Talmud, tum Hieroſolymitanum, tum Babylonicum, nec non commentaria & ſcripta Rabbinorum, tam veterum quam hodiernorum. Ex illis enim indubia Chriſtianæ religionis veritas adverſus Judæos aliosque demonſtrari, priſcæ Eccleſiæ Judaicæ cum Chriſtiana conſenſus oſtendi, variæ controverſiæ illuſtrari, plurimaque Veteris & Novi Teſtamenti loca dubia, voces, phraſes, ritus, proverbia, ac hiſtoriæ explicari poſſunt.

Chaldaicam ſequitur Syriaca, qua quidem nullus ſacer exaratus eſt codex, attamen in Novo Fœdere multæ occurrunt voces phraſesque Syriacæ, quas hujus linguæ imperitus inter ſe diſtinguere, ac nativum ſincerumque ejus ſenſum aſſequi nequit. Deinde Syriaca Hebrææ inſervit linguæ in eruenda deſuetarum in Hebraiſmo radicum ſignificatione, nec non in Syriacarum utriusque Teſtamenti verſionum collatione, quibus feliciter etiam viri docti ſunt uſi. Ut taceam egregium hujus linguæ uſum in Hiſtoria Eccleſiaſtica & addiſcenda lingua Arabica; nam Hebræa, Chaldæa, Syra, Arabica & Æthiopica linguæ tanta invicem convenientia ac ſimilitudine conjunctæ copulatæque ſunt, ut qui unam calleat aliam, quoque haud parva ex parte intelligere poſſit. Sicco tamen

men pede non est transeundum, quod hæc lingua in India Christianis a Divo Thoma dictis (*a.*) usurpetur in sacris, versioque Novi Testamenti in maximo habeatur honore, cujus exemplar ipse Maha Thomas eleganter descriptum mihi ad *Carolum Schaaf*, omnibus Syriacæ linguæ cultoribus sat notum, quod nunc ab ejus filio *Johanne Henrico Schaaf*, in linguis Orientalibus multo versatissimo, & Medico longe expertissimo possidetur. Hos Maronitas, aliquo modo a veritatis tramite devios factos, & Nestorianorum sectæ addictos, nemo nisi linguæ Syriacæ pergnarus ad veritatem unquam reducere poterit: adeoque Theologo, cum his in aciem processuro, hujus linguæ notitia summopere est necessaria.

De lingua Samaritana non opus est ut multum sim sollicitus, quia parum a Chaldaica differt, excepta orthographia, seu literarum figura: Sed tamen & hujus idiomatis usus aliquis datur in restitutione deperditarum radicum Hebræarum, & collatione versionis Samaritanæ, quæ suis non caret dotibus. Populos autem, qui hac utantur lingua, in India dari mihi inauditum & invisum est.

Ad linguam accedo Arabicam, quæ omnium, quotquot exstant, est longe copiosissima, & immensa verborum abundat copia; hæc illa lætissima Hebrææ matris propago, divinis scripturis perpulchre ancillans. Hæc est linguæ Hebrææ fax, eique plus lucis affert quam omnes linguæ Orientales. Hæc tandem

(*a.*) De Christianis a Divo Thoma dictis vide *Baldæum* in descriptione Malabariæ & Coromandeliæ p. 131. & seqq. *Franciscum Valentinum* de veteri modernaque India, in descriptione Coromandeliæ p. 112. & seqq. *Fridericum Spanhemium* in Geographia sacra atque Ecclesiastica. p. m. 190. & *Maturinum Veyssiere Lacrosium*, in Historia Christianismi Indici, p. 37. & seq.

dem est linguæ Hebrææ clavis, qua occlusa hujus aperiuntur, obscura illustrantur, difficiliaque enodantur. Exemplorum centuriis hoc probatum darem, nisi vererer vestris auribus ingratus esse, ac potius in testimonium adduco Arabizantium principes *Bochartum*, *Hottingerum*, *Golium*, *Pocockium*, *Relandum*, & *Schultensium*, præclarum adhuc in Academia Leidensi sidus, quorum nomina, ast quanta nomina! indicasse satis erit. Ne autem nomina tantum citem, unius Pocockii addam verba, in Notis miscellaneis p. 11. Merito interim vobis commendatum reddat linguæ Arabicæ studium vel unus hic ejus usus, quo Hebraicæ tam feliciter ancillatur. Quam late pateat per totam humanioris literaturæ ἐγκυκλοπαιδείαν ejus usus fatebuntur multi, qui, quid ulla ex parte Theologiæ studioso conferat, plane dubitant. Ego vero, si quid sentiam, Theologo adeo utilem existimo, ut, si textum Hebraicum aliquando penitius excutere necessarium ducat, ea sine manifesto veritatis præjudicio, ne dicam dispendio, carere non possit. Arabicæ huic linguæ magnus ille *Schultensius* imaginem adaptavit Palmæ masculæ, quippe cujus flore vegeto ac polline fœcundo adflata atque adspersa Hebræa mater, in spathisque suis gravidata veluti, multo prægnantiores uberioresque sensus e sacratissimo verbo reddet, fructusque maturiores mellea dulcedine eosdem commulcebit.

Utriusque porro sacri codicis versiones Arabicæ nonnunquam loca obscura felicius expediunt, quam vasta aliorum commentaria, aut commentariorum plaustra; quod in Bibliorum versione sæpius expertus sum. Hujus linguæ ope Historia tum Ecclesiastica, tum profana floret, ex ea plurima Christianorum aliorumque Orientalium dogmata, mores, & ritus in apricum produci & illustrari queunt. Ne de Jure, Philosophia, Ethica, Medicina, Astronomia, atque Poëti-

Poëtica, quibus gens Arabica egregie gaudet, nunc dicam, adeoque ea omnibus omnino Philologis tam commendata esse debet, quam commendatione dignissimum est, nosse voces Arabicas, quæ nescio quid monstri aliter viderentur. Hæc lingua exhibet dogmata, quæ post natum Muhammedem in Ecclesiam, præter & contra sacræ Scripturæ auctoritatem, magno infidelium scandalo, & orthodoxorum detrimento, irrepserunt, quæque ab ipsis Muhammedis asseclis, multis ante Reformationem temporibus sunt observata & exsibilata.

Ante omnes vero spectandus est hujus linguæ usus in percipienda Pseudotheologia Muhammedica, & refutandis impiis Muhammedis dogmatibus. Musulmannorum Theologiæ cognitio non est haurienda ex Græcorum Latinorumve scriptis; illi enim quam plurima affinxerunt Muhammedanis, quæ ipsi corde & ore detestantur, quorum maxima pars a Cl. *Relando* est detecta: Sed ex ipsorum Muhammedanorum confessionibus librisque dogmaticis, nec non ex ipso fonte Corano & Sunna. Si porro refutanda est fides Muhammedica, qua maxima orbis habitabilis pars est fascinata, necesse est ut fiat Arabica lingua; illa enim, ubi religio Muhammedana recepta est, longe lateque dominatur, ac extremos fere orientis & occidentis terminos conjungit. Quamvis alia lingua vernacula cum Muhammedanis agi queat, nullus tamen felix sperari potest successus, nisi Corani falsitas & nullitas ex ipso demonstretur Corano, quod absque Arabicæ linguæ ope impossibile duco, nam semper ad hunc recurrendum erit, etsi omnem ejus, sicuti quibusdam fuit visum, non spernentur interpretationem; dantur enim ejus versiones seu potius paraphrases Persica, Malaica, Javana, ac forsan etiam plures, quas mihi videre nondum licuit.

Per Arabum quoque peregrinationes, bella, & victorias, præsertim autem Muhammedismi introductione, Arabum lingua in Indiæ insulas est propagata, ex eaque quamplurimi termini artis, tum Theologici, tum Philosophici, tum Grammaticales in alias sunt introducti linguas, ut nemo facile in intimum earum sensum inquirere possit, nisi & Arabicam calleat linguam: quod ille, qui Æthiopicam vult discere linguam, clarius experietur, tanta enim est inter has cognatio, ut quot Arabicas didiceris voces, tot fere Æthiopicas discas.

Denique Minister Arabico utens idiomate sibi facilius auditorum conciliabit gratiam, quod ipse sæpe literali tantum Corani lectione apud ipsos reges Muhammedanos sum expertus.

Æthiopica nunc sequitur lingua, (quam *Marianus Victorius Reatinus* male Chaldæam vocat, melius autem omnium celeberrimam, atque earum quæ ab ipsa Chaldæa oriuntur emendatissimam, ut quæ ab omni bellorum externorum incursione expers, immunis, incorruptaque semper permanserit:) etsi Æthiopes Hebraicam posteriorem, & a sua progenitam potius velint. Certius autem *Jobus Ludolfus*, summus hujus linguæ Apollo, eam Arabicæ traducem judicat. Hujus linguæ usus non contemnendus est in restitutione quarundam radicum Hebræarum, quæ ex aliis linguis non, aut saltem non tam commode repeti possunt, & ad alias quoque linguas Orientales illustrandas multum conducit. In explicatione porro Æthiopicæ versionis, quam Habessini circa Apostolorum tempora factam contendunt: Et, quod caput rei est, ad literarium & amicitiæ commercium cum Christiana hac gente instituendum, in utilitatem, non tantum reipublicæ literariæ, sed & Ecclesiasticæ & civilis, quandoque redundaturum necessario

rio requiritur. Aſt ei, qui apud hanc gentem negotia gerere vel Miſſionarium agere velit, quoque neceſſaria foret lingua Amharica, quæ, mutata regni ſede, Æthiopibus nunc vernacula, manente tamen Æthiopicæ dignitate ac puritate in Sacra Scriptura & cultu ſacro, nec non in Regum diplomatibus.

Perſicæ tandem linguæ utilitas quædam eſt in explicatione vocum Perſicarum, in ſacro codice occurrentium, & evolutione antiquitatum Perſicarum, quarum cognitio quibusdam Sacræ Scripturæ libris lucem affert, nec non in Sacri contextus Perſicis translationibus, ac in hiſtoria Eccleſiaſtica, in qua varia de Chriſtiana orthodoxia monumenta reperiuntur: ne plura de hiſtoria profana, Philoſophia ac Philologia gentili nunc addam, illa uſui eſt in detegendis Muhammedicis Sunnitas inter & Ali aſſeclas controverſiis, atque ad illuſtrandam Chriſti gloriam & promovendam hominum ſalutem, qui præcipuus Theologorum ſcopus eſſe debet; quamquam etiam in addiſcendis quibusdam linguis Indicis uſui eſſe poſſit, quibus voces, phraſes, atque ſententiæ Perſicæ nonnunquam ſunt interſparſæ.

Hiſce dictis linguis forſan non male addi poteſt Turcica, quæ quidem in Sacræ Scripturæ expoſitione uſum vix memorandum habet, alius tamen præſto eſt in expoſitione vocum, quæ & noſtratibus in ore, atque in Oriente etiam audiuntur, ubi in linguis Indicis etiam aliquando voces Turcicæ reperiuntur. In communione porro cum Porta Ottomannica, ac exploratione religionis & rituum Turcicorum, præſertim autem in Turcis ad ſacra Chriſtiana convertendis: nec opera hæc fruſtra ſuſcepta aut reprehendenda erit, ſi infidelium ſalus ea promoveatur.

Linguæ Ægyptiacæ procul dubio etiam aliquid in hac palæſtra eſt deferendum, in explicatione qua-

rundam vocum Ægyptiacarum in Sacris occurrentium, quas rerum in Ægypto gestarum historia requisivit. Sic quoque Regum & rituum Ægyptiacorum historia aliquando faculam Sacræ Scripturæ locis præfert, cui usui inservire quoque potest totius Sacri canonis versio Coptica, & hodiernum in diem in Ægypto supersunt quoque Christiani Coptitæ (*b.*) dicti; adeoque hoc idioma usum præbebit non spernendum in Historia Ecclesiastica & profana, nec non in universa Philologia, in quo tot sapientiæ monumenta sub hieroglyphicis latent.

Tandem & Lingua Armenica in censum venit, eamque *Johannis Joachimi Schroderi* verbis (*c.*) describam. Armenica lingua cum sit post Hebraicam una ex antiquissimis, & adhuc in libris Armenorum superstes, licet non sit ex illarum numero, quæ magnam cum sacris Hebraica atque Græca vocum convenientiam habent, habebit tamen vocabula aliqua, tum codici sacro, tum scriptoribus secularibus illustrationem & usum minime contemnendum latura. Haicana natio cum juxta alias primis post Christum natum seculis Christianam religionem amplexa sit, eandemque per tot secula sub ærumnis & afflictionibus gravissimis constanter retinuerit, antiquam Bibliorum sacrorum versionem nobis exhibebit, Theologiæ ac sedulis verbi Divini scrutatoribus omnibus commendatissimam. Historiam tradet non tantum

sacram

(*b.*) Copti aut Cophti, juxta *Johannem Lichtfootum* in manipulo spicilegiorum ex libro Exodi ad cap. 12:37. Ægyptus domi fuit dicta *Copthi*: sed exteri dixere *Ecophti*, unde natum Ægyptus. Si mihi quoque divinare liceat in re obscura, ex *Copti* cum præfixo *Al* & *El* Arabico fiet *Alcopti*, & inde forsan Αἰγυπτος.

(*c.*) In dissertatione de antiquitate, fatis, indole atque usu linguæ Armenicæ. cap. IV. §. 2.

ſacram Eccleſiæ Chriſtianæ præprimis Orientalis, conciliorum, canonum, hæreſium, & hæreticorum, ſed & priſcorum Regum ſuorum atque principum, eorumque belli ac pacis, regiminis atque politiæ, ſcientias item rerum naturalium ſeu Philoſophicarum, in ſpecie Geographiæ, Aſtronomiæ, & quicquid continet regio, herba, flores, fructus, metalla, piſces &c. quam liberaliſſime docebit.

His addo Armenicæ linguæ uſum in didacticis & elencticis in India celebrem: Armenii enim induſtrii & impigri ſunt mercatores, totumque terrarum peragrant orbem lucri faciendi gratia, quam ob cauſam ii quoque in Indicas nagivant inſulas, ubi in eorum familiaritate verſari licet, quod plus ſemel expertus ſum, quamvis lingua neutri vernacula nobis confabulandum eſſet. Attamen aliquando nonnunquam eos quædam ex lingua Arabica, nec non ex Theologia docui, quæ ipſis non ingrata fuerunt, & procul dubio gratiora fuiſſent, ſi idiomate eorum materno uti potuiſſem, & mihi amplior patuiſſet campus docendæ veritatis Chriſtianæ, ad illuſtrandam Dei ter optimi maximi & Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriam.

Hæc A. H. ſufficiant ſcopo mihi propoſito, & materiæ huic electæ, de linguarum Orientalium, quæ in Europæ Academiis unquam fuerunt doctæ, cognitionis atque peritiæ neceſſitate Theologo Indorum converſionem promoturo. Nondum tamen in portum pervenit carina, nam præter has plures dantur linguæ in Oriente, præſertim in India, quarum ſi nomina ſaltem vobis enarrarem, inaudita & barbara veſtris ſonarent auribus, in quibus tamen verbi Divini præconium eſt audiendum, ſi unquam infidelium ſalus procuranda erit, qui ſcopus tamen omnibus Chriſtianis debet eſſe propoſitus, ut fratres quoque lucrentur Domino.

Multæ

Multæ variæque sunt Indicæ linguæ & dialecti, quarum præcipuas tantum levi brachio tangam, initiumque sumam a celeberrimo totius Indiæ emporio, Batavorumque sede BATAVIA, ubi maxima linguarum auditur varietas. Præcipuæ autem sunt inter Euopæas Belgica & Lusitanica, inter Indicas vero, quibus cùm Belgica supremi Senatus Indici diplomata & edicta scribuntur & affiguntur, sunt Malaica, Javana, & Sinica.

Malaica lingua duobus in Malæorum scriptis celebratur nominibus, vocaturque Javica atque Malaica; prius illud a Persico Djâ deductum significat *linguam locatam*, Malaicæque recte convenit, utpote quæ non tantum in patrio solo, sed & extra illud longe lateque locata est. Dici quoque potest Javica ab Insula Java, seu potius Sumatra, quæ olim quoque Java dicta fuit, sicut alia occasione pluribus docui. (*d.*)

Alterum hujus linguæ celebre nomen, quo & Europæis innotuit, est lingua Malaica, ita dicta a Malæorum populo, qui ad fluvium Malajuvv in Regno Palimbang, in Insula nobis Sumatra, incolis vero Indalus dicta, quondam commoratus est. (*e.*)

Alio tamen quoque nomine insignitur hæc lingua, vocaturque lingua infra ventum, hypoanemonica seu infraventalis, si ita loqui liceat, cujus originem paucis delibabo. India proprie Persis Hindustân vel Hindistân dicta, a Geographis aliisque dividitur in Indiam intra vel extra Gangem. Prior vocatur Persis Bâlâbâd, seu *regio supra ventum sita*, posterior

(*d.*) In præfatione Grammaticæ Malaicæ, §. 4. ubi etiam Taprobanam hanc Insulam vocatam pluribus conjecturis docui.

(*e.*) De hujus denominationis origine plura annotavi, in modo dicta præfatione Grammaticæ Malaicæ §. 5.

rior autem Zîrbâd, seu *regio infra ventum sita*, horumque centrum est fluvius Gangeticus. Quando ergo Malaica vocatur lingua infra ventum, nobilissimo sane insignitur nomine, eoque significatur, quod hæc sit lingua totius Orientis a sinu Gangetico orientem versus, quod revera Malaicæ competit linguæ; quamvis *Tavernierio* in itinerario assensum præbere nequeam, narranti Malaicam linguam in Regia Ispahani urbe audiri, atque esse eruditorum linguam ab Indo fluvio usque ad Sinam & Japoniam, ac in majori Orientalium insularum parte, quemadmodum lingua Latina in hac nostra Europa.

Hæcce lingua originem suam debet, non promiscuæ Piscatorum colluvioni, qui ex regionibus suis undequaque eo, communis artis suæ exercendæ gratia confluxerunt, & Malaccæ urbis fundamenta posuerunt; quemadmodum *Gulielmus Nicholsonius*, Carliolensis Episcopus, scripsit (*f.*) ex relatione *Johannis Hugonis Linschotani.* (*g.*) Nam antequam Malæi patriis relictis sedibus in continentem Zîrbâd emigrarunt, urbemque Sînga pûra condiderunt, quod plus quam 90 annis ante conditam Malaccam factum est, Malaica hæc lingua apud eos floruit, docentibus id illorum historicis, & cum Malæis in continentem transmigrantibus ibi quoque sedem fixit, ac ab ea totam pertransiit Orientalem Indiæ partem, quamvis ubi-

Ss 5 cun-

(*f.*) In doctissima dissertatione de totius orbis linguis ad *Johannem Chamberlaynium* Armigerum, quæ adnexa est Orationi Dominicæ in diversas omnium fere gentium linguas versæ, atque propriis cujuscunque linguæ characteribus expressæ, & a *Chamberlaynio* editæ.

(*g.*) Locus hic exstat in ejus Navigationis in Orientem cap. XVIII, editionis Belgicæ, quod respondet capiti XX. partis I. Versionis Latinæ, quæ Anno MDXCIX. Francfordii edita.

cunque fere locorum permanſerit quoque nativus illorum ſermo: ut non male de Malæis ſcripto exararit *Johannes Hugo Linſchotanus.* (*b.*) Sunt ingenioſi admodum, ſtudioſi poëticarum inventionum, comœdiarum, cantilenarum Venerearum, meditantes poëmata elegantiſſima, e quibus ſibi famam nominisque celebrationem magnifice promittunt. Si quis in India linguæ Malaicæ ignarus fuerit, is rudis habetur ac ſtupidus, non ſecus ac linguam Gallicam apud noſtrates ignorans.

Quamvis in variis ac diſſitis locis in uſu ſit lingua Malaica, ſemper tamen fuit ac manſit unica tantum, nec in varias diviſa eſt linguas, quemadmodum quidam nimio auſu, ac forſan ad tegenda vitia contra linguæ genium, ſunt commenti: omnesque libri ab Europæis hac lingua exarati ad hanc normam ſunt reducendi, ſicut magnus ille Evangelii in India promotor *Juſtus Heurnius* ſæpiſſime agnovit. Verum enimvero ſicuti in aliis linguis ita & in hac quoque variat ſtylus, eſtque ſecundum Malæos quintuplex: Librorum, Aulæ, Magnatum, Monticolarum, & infimæ plebis, qui & mixtus ac fori appellatur, atque multa vocabula ex aliis huic miſcet linguis, ſufficitque hic mercatoribus aliisque in India degentibus, ut cordis ſui cogitata aliis communicare poſſint, etſi contra Grammaticam & linguæ genium ſæpiſſime & ſordide peccent.

Malæi videntur antiquitus propriis gaviſi literarum figuris, quæ nunc plane in deſuetudinem abierunt, earumque locum occuparunt Arabicæ literarum figuræ, quibus Malæi quinque ex ſuperioribus formatas addiderunt, iisque reliquarum ſuarum literarum ſonum dederunt, quem in Arabicis literis reperire non poterant; literas quoque Arabibus proprias, cum vocibus Arabicis iis pronuntiandis, in ſuum

(*b.*) Loco ſupra citato.

ſuum converterunt uſum. Inde tamen non eſt vocanda hæc lingua Arabicæ filia, ſicuti quondam literis exaravit *Jacobus Canter Viſſcherus*, quæ Bibliothecæ Bremenſi (*i.*) ſunt inſertæ. Poſtea vero melius edoctus hunc errorem correxit in literis ad Miſſionarios Danicos Trankebariam miſſis, quæ eorum relationibus ſunt inſertæ. (*k.*)

Lingua hæc eſt intellectu facillima, atque levi labore ſemeſtri ſpatio addiſci poteſt, quod non tantum meo, ſed & aliorum probo exemplo, ad publice in ea habendam concionem. Facilior quoque noſtra opera facta eſt hujus linguæ cognitio, ſiquidem plura nunc ad manus ſunt adminicula, quæ mihi anteceſſoribusque meis defuerunt. Adeſt enim Bibliorum verſio Theologo ſumme neceſſaria, ex qua, quamvis Latinis literarum figuris deſcripta (*l.*) linguæ genius, loquendi formulæ, ac ſtylus Biblicus diſci poſſunt, quæ nobis ex ipſis Malæorum manuſcriptis haurienda fuerunt. Proſtat quoque Grammatica ſummo labore a me edita; nec non in promptu eſt Lexicon Belgico-Malaicum, a me exaratum & ad prelum paratum, quod opportunam imprimendi & edendi occaſionem expectat. Denique ſuppetit *Melchioris Leidekkeri*, qui nobis nucem fregit, Lexicon Malaico-Belgicum, in quo vocum Malaicarum ſignificatio, ubertim adductis exemplis ex probatiſſimis

(*i.*) In Claſſis V. Faſciculo IV.

(*k.*) Contin. XXXVII. p. 59.

(*l.*) *Chriſtianus Ravius Berlinas* in priori præfatione in primam tredecim partium Alcorani Arabico-Latini. Quod apertiſſimum eſt in Perſica, & clarum fiet ſuo tempore in Malaica & Mogolica, & aliorum nominum idiomatibus, quamprimum illa ipſa idiomata non Latinis poſthac, quod deplorandum eſt, in tantis divitiis hominum & mercatorum, ſed propria literatura exprimere cœperimus.

mis Malæorum ſcriptoribus, explicatur. Ad hoc plurima annotavit admodum reverendus *Petrus van den Vorm*, quondam collega mihi conjunctiſſimus, patris loco honorandus, vir in literatura Orientali verſatiſſimus; quorum quædam ipſi furto nunquam mihi pœnitendo abſtuli; plura tamen adhuc inter ſchedas latent, quibus forſan cum tineis & blattis luctandum erit. Hujus Lexici exemplar propria deſcripſi manu, ſimulque illud aliquo modo in ordinem redegi, & notas Vormianas addidi, eique meliorando & augmentando operam do, atque ſi Deus vires vitamque largiatur, illud ad prelum parabo.

Haece lingua tantum hucusque in Orientali Indiæ parte ab Europæis propagata eſt lætiſſima illa Evangelii vox inter gentes Indicas, quæ forſan meliorem ſortita fuiſſet eventum, ſi unaquæque gens ſermone patrio audire potuiſſet verbi divini præconium, quod hucusque impoſſibile fuit: nam ab una parte tanta eſt linguarum Indicarum multitudo, ut ab unico viro omnes addiſci nequeant, & ab altera parte tanta eſt in India verbi divini præconum paucitas, ut omnibus linguis diſcendis impares ſint: quibus addenda inſtabilis illa verbi divini miniſtrorum in India ſtatio, a qua quotidie vocari & transportari poſſunt, ubi prioris lingua vernacula intelligi nequit. His impedimentis ut occurratur ubicunque locorum lingua Malaica obtinuit uſum in peragendis ſacris inter Indos. Non autem omnes & ſinguli auditores tanta pollent linguæ Malaicæ peritia, ut totam concionem a capite ad calcem intelligere poſſint, quia hæc illis non eſt vernacula, magis ac magis tamen ei aſſueſcunt auditores, præſertim illi, qui in concione frequentes ſunt, atque ſi concionator orationis ſtylum auditorum captui accommodet, & aliquando cum infantibus balbutiat.

Ex

Ex dictis, A. H. nunc clarum puto, ante omnium omnino linguarum Indicarum Malaicæ peritiam Theologo, qui Indorum conversionis negotium istis in locis, sive ore tenus, sive per scripta, promovere avet, summopere esse necessariam, ac nullo modo negligendam.

Vela mihi contrahenda video, A. H. citatoque cursu ad secundam pergo linguam Indicam, quæ Javana vocatur, incolisque Javæ est vernacula, unde illud nomen est sortita. Ipsa autem insula a Persico DJavv *Milium*, quod Malæi & Javani DJâvva pronuntiant denominata est, a Ptolomæo Ἰαβαδίκ dicta, quod per κριθῆς νῆσος explicatur, quasi dicas *milii insulam*, ibique adhuc hodie magna milii & orizæ deprehenditur copia. Ab Europæis hæc Insula vocata est Java major, adeoque necesse est cogitemus de minori, quodque reperisse mihi videor in Insula Sumbavvâ, quæ in antiquis mappis Geographicis Java minor fuit vocata. Etenim plurimas reperio insulas quæ Sindæ sunt dictæ a Persico Sind, quod *hominem nequam ac proditorem* significat, & ab *Hofmanno* in Lexico Universali dicuntur esse insulæ Eoi maris, quæ & insulæ Anthropophagorum, Sinarum oræ adjacentes. Hæ, teste Mercatore, sunt hodie Celebes, Gilolo & Amboina; Sansoni sunt Javæ, Sumatræ & Bornei Insulæ. Ex quibus judico veteribus omnes insulanos usque ad Moluccicas insulas indicari nomine *Sind*, quod nunc insulæ Javæ proprium remansit, a quo fretum illud Javam inter & Sumatram Sundæ fretum est appellatum, ejusque vestigia adhuc supersunt in lingua Malaicâ in Gavvlokh sunda, armorum genere, quod Javanis tantum in usu est: ex quibus concludo Javam quondam quoque Sundam vocatam fuisse, & quidem major, quia alia datur minor, quæ quoque Sunda dicta est, illaque erit Sumbavva, quasi dicatur Sind bâvvah, hoc est, *inferior Sunda*.

Sed

Sed ut redeam a quo digressus sum, lingua Javana est sororia Malaicæ, cum hac eosdem fontes habuisse videtur, quia easdem plerumque habet radices, quæ vario tantum flectuntur modo, adeoque a Malaicæ perito facili addisci potest negotio. Et quamvis hæc propriis utatur literarum figuris, viginti tantum numero, tamen & Arabicæ quoque iis in usu sunt, quibus præsertim Theologicos conscribunt libros, propter voces Arabicas, quæ Javano charactere non commode exprimi possunt. Adjumenta discendæ huic linguæ ab Europæis scripta & edita nondum vidi, certus tamen sum interpretibus Javanis adminicula ad manus esse: libros ab inquilinis manuscriptos plurimos vidi ac manu trivi, quosdam etiam ipse possideo, ex quibus hujus linguæ notitia hauriri potest. Necessitas autem cognoscendæ hujus linguæ per se patet, si cum fructu Evangelii semen inter Javanos erit spargendum, ut id fiat lingua ipsis vernacula.

Tertia nunc sequitur lingua, Sinica, ita dicta a vastissimo Sinarum imperio, quod Arabibus TSîn & Malæis TJîna audit, quod Hispani Lusitanique per CH scripserunt, juxta suam pronuntiationem, quæ cum Malaico TJâ fere convenit, nobis sufficiet si per S scribatur atque pronuntietur. Non ego nunc in huius linguæ literaturæve naturam, discrepantiam, & varietatem multis inquiram, quæ in Sinâ est vernacula, & a Sinensibus in Indicis insulis servatur, sicut a Belgis Belgica. Miri sane sunt Sinarum characteres, non literarum sonos, sed ipsos rerum conceptus exprimentes, non aliter ac zifræ, notæ Mathematicæ, Astrologicæ, Medicæ & Chimicæ, quorum beneficio non tantum Sinenses, sed & populi vicini se intelligunt, ut ut ratione idiomatis sibi sint barbari. Illorum numerus a variis censetur varius, sunt qui centum & viginti characterum millia numerant: quos

utinam

utinam expedita analysi Φιλογλώτλες resolvere docuisset *Andræas Mullerus*, facilior ad hanc linguam aditus fuisset datus, qui ipsis etiam Sinensibus multum negotii facessunt, quemadmodum Bataviæ sæpius vidi juvenes a sexta matutina ad sextam vespertinam in scholis discendis his characteribus, una cum Sinica lingua, operam dantes. Scribendi seu potius pingendi, penicillo enim utuntur non calamo, modus a nostro nimium quantum variat, incipit enim a dextra deorsum ad inferiorem paginæ partem, & sic porro. Quamvis nulla orientalium plus habeat difficultatis, in Theologia tamen maximus ejus foret usus, in refellendis falsis eorum dogmatibus, & docenda Evangelica veritate, ad quam se aspirare quidam mihi confessi sunt, nec non se solo rationis lumine videre atque perspicere, summum illud Numen esse venerandum atque colendum, ast verum cultus modum sibi incognitum doluerunt, quem tamen aliquando sibi demonstrandum fore sperabant, quemadmodum etiam quidam ex illis Malaicæ linguæ beneficio Christianam amplexi sunt veritatem, ut & alii multo plures Muhammedicam impietatem, quæ tamen Theologia Sinica aliquo modo magis rationalis videtur.

Paucissima discendæ huic linguæ idonea subsidia dantur, lauream tamen meretur *Theophili Sigefridi Bayeri* Museum Sinicum, ante septennium Petropoli editum.

Inter Belgas verbi divini Ministros, proh dolor! nullus mihi repertus est huic linguæ operam dedisse. Ante seculum Bataviæ a magistris Sinensibus quatuor adolescentes didicerunt Sinicam linguam, magnusque inde exspectabatur fructus, quis autem qualisve hic fuerit fructus in actis Ecclesiasticis non refertur. Imo postea Ecclesiastici judicabant parum utilitatis esse in convertendis Sinensibus, populo tam obdu-

obdurato, & gente tam maledicta, cujus similem sub cœlo vivere non credebant. Anno tamen sequuto a supremo Indiæ Gubernatore admoniti Ecclesiastici de promovenda Sinensium ad Christianismum conversione, illi quædam promovendæ hujus conversionis media proposuerunt, quorum tertium est; ut scholæ ad docendam Sinensium juventutem ædificentur: quartum; ut petantur libri ad discendam illam linguam necessarii, aut personæ ad docendam hanc linguam: Sextum; ut certæ quædam designentur personæ, quæ hanc linguam discere jubeantur. Ne longior sim, A. H. ex his luce meridiana clarius patet Bataviæ portam ad Sinenses convertendos esse apertam, si modo Sinicam quis calleat linguam, qua familiariter cum illis confabulari, eosque divinam veritatem quæ est secundum pietatem docere possit: &, si semel illis Evangelii fax allucescat, in ipsum mox Sinensium regnum illud scintillabit, habebuntque omnes vicini, qui iisdem utuntur characteribus, Japonenses, Kosinsinenses, Coreitæ, & Tunkinenses spem, per eosdem characteres aliquam saltem faculam aut scintillam veritatis atque salutis ad se deferendam fore, etsi eorum non addiscantur linguæ, quæ tamen cum cæteris æque sunt necessariæ, si unquam mundi salvator Jesus Christus iis est annuntiandus.

Dubium aut impossibile, de Japonia saltem, hoc forsan videbitur, quia Japonensibus regno exire, aut cum aliis de fide & religione Christiana differere non licet, nisi cum maximo suæ & aliorum vitæ discrimine: quam ob causam omnes nostratum libri in Japonia dolio includuntur, nullus Ecclesiasticis datur accessus, aliquandoque nostrates coacti sunt in Pontificiorum, qui hic olim sat frequentes fuerunt, simulacra & imagines conspuere. Hæc sane, fateor, maxima est difficultas, tamen hac non obstante Romanæ

næ ſedis Miſſionarii eam addiſcunt linguam; & Japoniam petunt, ſpretis omnibus difficultatibus, quin & ipſa morte. Certe non ſemper præmeditandæ ſunt omnes difficultates, ſed potius ſpernendæ, & divino auxilio ſuperandæ, dabitque Deus, ſupra id quod petitur aut ſperatur, proſperiora tempora. Et, quamvis Japonenſes Chriſtianum nomen publice omnibus exſecrentur diris, tamen inter illos latent, qui non longe abſunt a regno cœlorum, (quorum Epiſtolas legi, & quibus reſpondendis operam navavi;) & querebundi gemunt, quousque obliviſceris noſtri, o Domine.

A Japonia ut redeam mihi præternaviganda datur inſula Formoſa, ab Hiſpanis ob formoſitatem ita dicta, incolis *Pac an* vel *Pac ande*, Sinenſibus *Ya-Likyeu* ſonat, juxta *Valentini* deſcriptionem, at juxta *Georgium Pſalmanazarium*, qui ſe Formoſa oriundum jactitat, incolis dicitur *Gad avia*, Sinenſibus *Pac ando*, Luſitanis *Lequejo*, aliis *Talliochu*.

Lingua Formoſana juxta eundem *Pſalmanazarium* eadem eſt cum Japonica, habetque viginti Alphabeti literas, quarum figuras non inelegantes addit; ſimulque refert; Japonenſes has literarum figuras a Formoſanis didiciſſe, atque rejectis Sinicis characteribus in uſus ſuos convertiſſe. Fides autem ſit penes auctorem, mihi ſaltem hæc veritati conſona non videntur: nam nuperrima poſſideo manuſcripta & impreſſa Japonica, in quibus vetus ille pingendi character tantum eſt obſervatus, nec novarum harum figurarum vola aut veſtigium in his reperitur. Præterea ille exhibet Dominicam Orationem, Apoſtolorum Symbolum, & Decalogi præcepta lingua Formoſana, quæ nulla ex parte ſimilis eſt illi, quæ in noſtratium occurrit libris. Etſi enim variæ in inſula Formoſa ſint linguæ, variæque exinde natæ ſint difficultates, ſicuti quondam queſtus eſt *Gravius*, in

præfatione Matthæi & Johannis Evangelio a se edito præmissa, maxima tamen inter eas datur similitudo & affinitas, quæ in hac *Psalmanazarii* universali Formosæ & Japoniæ lingua non reperitur, quare hæc mihi sublestæ fidei videntur.

In formosissima hac Formosa quam plurimi a Belgis ad Christum conversi fuerunt incolæ, qui postea ejectis Belgis, Coxinia imperium tenente, aut dira occubuerunt morte, aut vera salutis doctrina destituti ad Gentilismum sunt reversi, aut inter Gentiles clam latitant. Illos autem absque eorum linguæ vernaculæ peritia ad veram Dei cognitionem reduci posse nullus unquam aliqua cum ratione sustinebit.

A Formosa meridiem versus interjacent Insulæ Philippinæ, quæ Hispanorum subsunt potestati, quarè eas missas facio, & ad Moluccas trajicio, quæ quinque numerantur: Ternate, Tidor, Motir, Makjan & Batjan, cum circumjacente Gilolo (*m.*), quarum præcipua, licet una ex minimis, est Ternate, Regis & Belgarum Gubernatoris sedes, in quibus Malaica lingua ad peragenda sacra hucusque in usu fuit, atque a fratre Germano, *Johanne Thoma Werndly*, primo meo hujus literaturæ discipulo, ast eheu! nimis matura morte Ecclesiæ ademto, non absque fructu usurpata. Præter Malaicam tamen ibi lingua datur vernacula, quæ ab hac Insula Ternatana vocatur, qua a nostratibus verbi divini præconium nondum est institutum, quod si fiat major ac major in dies foret seu erit successus. In Orientali Insulæ Celebes littore, quod Ternatensi Regi, aut Nobilissimæ Indicæ Societati subest, aliquando aliquid tentatum est lingua Sangiræa ab industrio *Cornelio de Leeuw*, qui summo studio ac labore sibi aliqualem ejus linguæ notiti-

(*m.*) Hæc insula quoque 'Almahejram, id est *dimidia luna* appellatur.

notitiam comparaverat, & oracula divina hac lingua explicare incipiebat, aſt res caruit ſucceſſu, non tantum propter hujus linguæ peritiæ penuriam, verum magis propter odium Gubernatoris atque collegæ, qui huic laudem debitam atque ipſam linguæ cognitionem invidebant. Latus itaque Theologo & Philologo ibi adhuc patet campus, in quo diſcendis linguis operam dare poteſt, ut Chriſtum mundi ſalvatorem, de quo forſan aliquando audiverunt, magis magisque iis notum faciat.

Ab his inſulis in meridem vergo, in Amboinam & circumjacentes, quæ Batavorum ſubſunt imperio, ubi certe ſi ullibi in India Chriſtianiſmus floret, qui Malaica docetur lingua, non autem vernaculis, quæ ibi dantur quamplurimæ. Ante ſeculum *Juſtus Heurnius*, vir divino plenus zelo, tentavit quasdam Sacræ Scripturæ partes, aliaque ad ædificationem neceſſaria, in Uliaſſicam transferre linguam, ut ipſiſſimus ſenſus lingua materna melius, quam aliena, intelligatur. Hæc autem poſt ejus ſeceſſum nullius fuerunt uſus, quia noſtratium nullus hanc linguam diſcere voluit, nec ea mihi videre licuit; nam procul dubio temporis injuria ablata ſunt. Poſtea quoque *Petrus van der Vorm* quædam in linguam tranſtulit Amboinicam, quæ aut quorum ſaltem partem manuſcripta poſſideo: atque, ne nimis longus ſim, hic tantum addam *Petri van der Vorm* conſilium, quod fere ante ſemiſeculum de docendis & inſtruendis Amboinenſium Eccleſiis dedit, ac ego nunc meo calculo probo. Nullus optatus præconii fructus unquam exſpectari in Amboina poteſt, niſi unaquæque natio vernaculo ſuo idiomate erudiatur. Attamen neceſſaria manet lingua Malaica, qua doceantur & inſtruantur futuri inter Amboinenſes paſtores & doctores, quemadmodum Studioſi lingua Latina in Europæ Academiis, qui abſoluto ſtudiorum ſuorum curriculo ad

ſuos revertantur, eosque ſermone patrio doceant, quod ob defectum & imperitiam verbi divini miniſtrorum hucusque fieri non potuit.

Non procul ab his diſtat inſula Banda, quæ olim quoque habuit linguam vernaculam, quæ omnium cum Bandanenſium internecione & exilio finem ſortita eſt, cujus vicem nunc ſupplet Malaica, aſt, quamdiu ego in India præſens fui, nullus verbi divini præco Malaicam ibi didicit linguam, ut ea gregem ſibi creditum paſceret. Subjectæ inſulæ ab oriente & occidente unaquæque varia gaudet lingua vernacula, quæ omnes neceſſariæ erunt, ſi hæ gentes revera ad verum Dei cultum, qui quibusdam nomine jam notus, ſunt adducendæ.

Secundo nunc vento præternavigo inſulas Solor, Timor, Buton, quarum ſermo quidem varius, Europæis autem non ſat perſpectus eſt, ac in Inſulam Celebes (*n.*) appello ratem, ubi ego in regno Mangkaſarienſi, in promontorio 'Udjong pandang incolis dicto, in quo arx Roterodamum a Nobiliſſimo Speelmanno Rotterodamenſi ita vocata, per triennium degi, ac lingua Belgica & Malaica gregem mihi creditum pavi, nec non aliquando quosdam ex Gentiliſmo & Muhammedaniſmo ad Chriſtianiſmum adduxi, atque haud dubie plures adduxiſſem, ſi linguam eorum vernaculam calluiſſem, quæ ibi quoque multiplex & varia, duæ tamen ſunt præcipuæ, quæ Buginenſibus & Mangkaſarienſibus ſunt uſitatæ, vinculo ſororio ſibi invicem junctæ, ac ejusdem originis, poſterior autem priori aliquanto nitidior atque elegantior eſt, eædem quoque illis ſunt literarum figuræ viginti quatuor, quibus lectu & ſcriptu faciliores

(*n.*) Hæc inſula Celebes dicta videtur a Perſico SJil, *tridens* ſeu *furca*, &. Beſi vel Peſi *poſtica pars*, quia poſtica ejus pars eſt inſtar furcæ.

res in oriente non vidi. Gens ipsa est bellicosissima atque gravissima, facilis tamen ad eam datur accessus, & si linguæ commercium adsit, nullus dubito quin cum fructu atque facili negotio Evangelicæ Veritatis semen inter eam spargendum foret.

Reliquas insulas Salaier, Sumbavva (*o.*), Lombok, Bali, & ipsam Borneo (*p.*) maximam totius Asiæ insulam, præternavigo, unica hac nota, tot varias in his insulis dari linguas, ut hominum fere superet fidem, quibus tamen etiam suo tempore divinum Numen est celebrandum.

Sic totam peragravi Indiam infra ventum sitam. Sit nunc A. H. mihi venia paucis perlustrandæ Indiæ supra ventum sitæ, in cujus vastissimo mari primo apparent Insulæ Cocos dictæ, verum rarissime a Belgis visitantur, adeoque optima earum notitia ad nos nondum pervenit, nec lingua quæ qualisve sit satis perspecta; nam pauca illa, quæ Cl. *Relandus* ex nostratum itinerariis edidit, φιλογλωττίᾳ satisfacere nequeunt, quare has missas facio, atque ad occidentem pergo, ubi mihi obvia Madagascar, quæ plerumque a Geographis Africæ annumeratur, & hæc quoque propria gaudet vernacula, cujus breve Lexicon seculo præterito ineunte edidit *Fridericus de Houtman*, qui illud lexico sub Belgico-Malaico inseruit, ut proprie vocandum sit Lexicon Belgico-Malaico-Madagascaricum. In Malaica Orthographia toto aliquando cœlo aberrat *Houtmannus*, ut sæpe mihi grave sit di-

 vinare

(*o.*) Rationem denominationis vide supra in Java.

(*p.*) Apud Persas Ber *continentem* & *terram*, aut contractum a Bâr *fructum*, aut Ber *raptorem* significat, cui si addatur Nevv, id est, *novus*, erit Bernevv, significabitque *terram novam*, aut *fructum novum*, aut *raptorem novum*, quæ postrema derivatio cum Sindis optime conveniret.

vinare quænam vox ab ipſo adhibeatur, aſt in verborum ſignificatione & conſtructione ut plurimum ipſos ſequitur Malæos. Atque ſecundum charitatem idem mihi judicium de lingua Madagaſcarica eſt ferendum, quod ſuo tempore clarius patebit, cum hac quoque lingua audietur Evangelizantium vox.

A Madagaſcar in ſeptentrionem & orientem recurro, atque mihi obviæ ſunt innumerabiles illæ inſulæ Maldivæ, ante peninſulam Malabariam & Seilanam inſulam, ab ipſa natura in certas quasdam claſſes diſtinctæ, quæ nomen ſuum ſortitæ ſunt a præcipua earum urbe Male vocata, cui Perſicum Dîvv, id eſt, *inſula* additum ſonat Mâledîvv, ſeu *inſula Male*, quod ita quoque obſervatum eſt a Miſſionariis Danicis. (*q.*) De earum vero lingua quæ qualiſve ſit nihil perſpectum habeo.

Tandem appello in inſulam Ceilon vulgo dictam, quæ tamen rectius Sejlân & Sejrân vocatur, quod Perſis *Theatrum aut recreationis locum* ſignificat, quare & aliquando Sejrângâh, id eſt, *locus recreationis*, appellatur, nec non Selandive apud Teixeram, quod idem eſt cum Sejrândîvv, hoc eſt, *inſula recreationis*. Ab incolis vocatur Lankaun, & Malabaribus dicitur Ilangâ-buri & Ilængejkarei, id eſt *Regio Langkah*, quo nomine etiam in Malæorum ſcriptis occurrit, ſcilicet, Pûlavv Langkah, h. e. *Inſula transgreſſus*. Tres hæ denominationes unius ac ejusdem originis mihi videntur, & natæ ex Hiſtoria antiqua & forſan fabuloſa, de magno quodam rege, qui tantæ fuit proceritatis, ut unum pedem fixerit in Inſula Seilan, alterum vero in Siamica regione, & ſic totum interjacentem oceanum transgreſſus ſit, cujus veſtigia, alterum in Seilan in Monte Pico de Adam dicto, alterum vero in Siam in quodam templo oſten-

(*q.*) Vide Contin. XXXI. p. 65.

ostenduntur, & a peregrinantibus honorantur, quamvis plurimi ignorent cujus originis sint hæ fabulæ, quibus significari puto: olim quendam Regem imperium tenuisse ab hac & altera Indiæ parte, quemadmodum Magnus ille Alexander Macedonum Rex atque Monarcha simili celebratur nomine, quando vocatur 'Iskander dzuvv lkharnajn, i. e. *Alexander duorum cornuum dominus*, hoc est, orientis & occidentis. In alia nomina, quibus hæc insula a veteribus insignita fuit, nunc non inquiram.

Lingua in hac insula tantum vernacula vocatur Singalæa. Magnus ille *Bochartus* (*r.*) hujus insulæ incolas *Chingalos* vel *Chingaros* per contemptum dictos putat, Arabice enim CHindjar significat *virum timidum & ignavum.* (*s.*) Verum pace tanti viri illum deceptum puto Lusitanorum & Hispanorum scriptione per CH, quæ fere per S. pronuncianda nobis est, cum qua Arabica vox CHindjar nullo quadrat modo. Nec & alia *Teixeræ*, qui linguæ Arabicæ plane fuit ignarus, derivatio, quam *Bochartus* addit, Chingalas dici a Sinis & Portu Gale, admitti potest, & ab ipso refutatur *Bocharto*, quod portum e sua Lusitania in Seilan insulam transtulerit. Verior autem videtur nominis ratio, quæ datur a Missionariis Danicis: (*t.*) Singaler est unum ex quinquaginta & sex tribuum nominibus, quæ rarissime alicujus sunt significationis. Verum si & mihi aliqua conjectandi detur libertas, eas ita dictos crederem a Sînga, quod iis nec non Malæis ex veteri Brachmanorum lingua *Leonem* denotat, cum terminatione Malabarica vel Singalæa *ler*, significabitque *populum instar leonis*, quo nomine sæpius Singalæi delectatos fuisse clarum est in

(*r.*) In Geographiæ Sacræ parte posteriore Canaan dicta, Lib. I. cap. XLVI. §. 16.

(*s.*) Vide Castelli Lexicon. (*t.*) Contin. XXXI. p. 773.

Seilani rege, qui Râdja Sînga, id eſt, *Rex leonum*, aut *Rex Leo* vocari voluit.

Hujus linguæ ſcriptura ab aliis orientis eſt diverſa, ac morem Europæorum & Malabarium, qui ipſis proximi, imitatur, lineis a ſiniſtra dextrorſum ductis, earumque figuræ eleganti & artificioſo ductu formantur. Hujus natale ſolum eſt inſula Seilan, ubi adhuc ſtat vigetque, nec ſuos terminos unquam transgreſſa videtur: maximam tamen habet affinitatem cum Malabarica ipſi vicina, ac multa ei ineſſe vocabula ex veteri Brachmanorum lingua nullus dubito, quod ſuo tempore cum ipſa illa Brachmanorum lingua clarius patebit.

Unicum tantum adminiculum typis expreſſum oculis fuit oblatum meis, nempe *Johannis Ruëllii* Grammatica Singalæa, Belgico idiomate ſcripta, in cujus præfatione uſum & peritiæ neceſſitatem optime deſcribit. Non minimum eſt, inquit, officium verbi divini præconum, qui inter alienas habitant deguntque gentes, illarum diſcere linguam, ad demonſtrandam vanam illarum converſationem. Et paulo poſt: Non itaque intermiſi, ſecundum debitum officiumque meum, ſtudere linguæ Singalææ, quæ hic vernacula, & patrius eſt ſermo: nec ſucceſſu caruit ſtudium meum. Utinam omnes omnino Verbi divini Miniſtri, qui in hac degunt Inſula, huic incubuiſſent, certiſſime, divino favente Numine, optatior fuiſſet viſus ſucceſſus in propagando inter hos Ethnicos Evangelio, quam hucusque unquam viſus fuit. Quibus mihi nihil addendum.

Præter hanc datur & altera in Inſula Seilan vernacula, a noſtratibus Malabarica, a Regione Malabar, ubi illa etiam viget, dicta, quamvis hoc nomen ipſis Malabaribus incognitum, ab Arabibus & Perſis iis tributum ſit Mâlâvvar, ſignificetque *Piratam*, dum illa

illa regio incolis Maleialam vocatur. Lingua hæc a *Bartholomæo Seigenbalgio* vocata eſt Damulica, aſt ejus ſequaces Miſſionarii cum *Kirchero* eam nominarunt Tamulicam, cujus nominis origo & ſignificatio mihi nondum eſt cognita. Vernacula hæc lingua eſt in majori parte ſupradictæ inſulæ Seilan, & in tota illa peninſula Indum inter & Gangem in litore Malabarico & Coromandelino, quamvis hic vel illic aliquando variet dialectus, qua quidem ſcrupulus aliquis diſcenti objicitur, qui tamen facile ſubmovetur ab eo, qui unam callet. Aliæ quoque linguæ Indicæ, quas inter ipſa Malaica, ab hac quædam mutuatur vocabula, quæ non facile niſi ab utriusque linguæ perito diſcernuntur. Cum Singalæa convenit hæc lingua ac maximam habet affinitatem, imo in ipſis literarum figuris; quæ Singalæis magis rotundæ, huic vero magis quadratæ; nec non in literarum nominibus, quæ ſimili gaudent terminatione. Sat magna tamen reperitur differentia, cum in vocibus, tum in declinationibus, atque conjugationibus.

Primus e Belgis, qui aliquo huic linguæ incubuit modo, fuit *Philippus Baldæus*, ediditque introductionem in Grammaticam Malabaricam Anno MDCLXXI. (*u.*) Hoc ſeculo autem ex Danicis Miſſionariis primus modo dictus *Bartholomæus Ziegenbalgius* pleniorem planioremque hujus linguæ Grammaticam edidit, ne alios hoc idiomate ab induſtriis piisque his Miſſionariis editos libros, quorum magnam partem eorum liberalitate poſſideo, nunc memorem. Lexicon autem Malabaricum, dudum ab iis promiſſum, nunc Trangenbariæ excuditur.

Lingua hæc facile addiſci poteſt, quod ipſius

(*u.*) Vide hanc introductionem in Grammaticam Malabaricam in ejus deſcriptione Malabariæ, Coromandeliæ, & Seilani.

Zeigenbalgii, qui primus id tentavit ac nucem aliis fregit, exemplo patet. Ille enim octo mensium spatio eam linguæ Tamulicæ facultatem obtinuit, eamque fiduciam, ut non solum Barbaros loquentes, eorumque scripta intelligeret, farique inciperet Indico labio, sed eodem etiam publice concionaretur, Indis ad sermones ejus eo avidius & frequentius confluentibus, quo magis ipsis erat insolitum novumque albæ faciei hominem, seu Europæum vernacula audire sua. (*x.*) Qualia quoque de posteris Missionariis narrantur in eorum relationibus, quæ Halæ Saxonum edi solent.

Suis hæc lingua se proprietatibus commendat, estque, testibus hujus linguæ peritis, elegans, vocabulis & phrasibus abundans, gravis, oratoria, atque auditu suavissima, præsertim quando pedetentim, clare ac distincte pronuntiatur. Ast obscurum quibusdam videri posset, nullas Malabaribus esse distinctiones per commata, & puncta, aut spatia voces inter & voces, sed omnia ita cohærere, ut primo intuitu unicum videatur vocabulum; quod imperitis aliquam quidem molestiam facessit, sed periti nullo negotio legunt ac intelligunt.

Hujus peritiæ necessitas & utilitas ex dictis patet, nec lubet hic addere ea, quæ noster *Baldæus* in introductione ad Grammaticam Malabaricam hac de re scripto exaravit, quæque lectu sunt dignissima: *Ziegenbalgium* tamen præterire nequeo in Dedicatione Grammaticæ Tamulicæ sic referentem: Habebam auditores auribus animisque adstantes, & mirum in modum suspensos singulari ipsisque stupenda rei novitate, quam partim in Christianæ doctrinæ capitibus, partim in Malabarici oris instrumento deprehendebant. Hæc erant literarii operis initia, statim aliquo

(*x.*) Vide *Ziegenbalgii* Præfationem ad Grammaticam Tamulicam.

aliquo ipſius rei Chriſtianæ initio, immo incremento, fœcunda & conſpicua.

Huic linguæ affinis eſt Warugica, Wartuga, ſeu Warduga, quæ quoque Telungica & Tellinga dicitur, & quidem ex relatione *Benjaminis Schultze* qui eam didicit, ut Danica Germanicæ, ſed literarum figuris variat, quarum typos Miſſionarii Danici in uſum Miſſionis, quæ eſt in Madraspatnam, chalibi inſculpi curarunt, quorum ἔκτυπον dono horum poſſideo, ſperoque aliquando libros editos ad me perferendos eſſe.

Denique in ora Coromandelina viget celeberrima illa Brachmanorum lingua, quæ Kirendum vel Girendum vocatur. (*y.*) Vernacula hæc eſt Brachmanorum, & Gentilium ſacerdotum lingua, quemadmodum Latina apud Europæos, eâque conſcriptus narratur legum Gentilium codex Vedam ſeu Wedam dictus.

Literas Brachmanorum lingua habet quinquaginta & unam, Juxta *Walerium Nicolai*, ſeu quinquaginta tantum juxta Miſſionarios Danicos, & *Bayeri* Alphabetum. Literarum characteres ſuos Brachmani vocant ſacros atque a Deo dictatos, quorum uſus eſt in omnium populorum linguis, qui Indica ſuperſtitione ſunt infecti. Nullibi de linguæ hujus natura aliquid vidi, præter ea quæ edidit *Kircherus* in Sina illuſtrata, & nuperrime præclarum illud Academiæ Petropolitanæ ſidus; *Theodorus Sigefridus Bayerus*, in commentariis Academiæ ſcientiarum Imperialis Petropolitanæ: lubet tamen addere notam ex *Johannis Antonii* Sar-

(*y.*) Lingua hæc *Lacroſio* Hamſcrit, *Bernierio* Hanſcritica, *Kirchero* Hanſcretica, *Alb. Rogerio* Samſcortana, *Thomæ Hyde*, Samſcroot, *Walerio Nicolai* Sanſcrutana, *Valentinio* Sanſcritica, & *Petro van der Vorm* Sanſcritana audit, quæ varia lectio aut pronuntiatio ex ipſis Brachmanorum ſcriptis corrigenda ſupereſt.

Sartorii literis, (z.) qua eas concludit. In Kirendum & Nagaram vel Devva-nagaram, id eſt, Deorum lingua, quæ Brachmanorum ſunt linguæ, item Balabanda clarior eſt literarum ſimilitudo cum Hebraicis, nec non ipſiſſimæ reperiuntur Hebraicæ literarum figuræ. Quæ cuncta ulteriorem requirunt indaginem, ſaltem in editis Kircherianis & Bayerianis, qui literarum Devva nagâram numero 54, & Balabandæ numero 57, & Akar Nagari numero 56. figuras addidit, tanta cum Hebraicis ſimilitudo mihi nondum apparet, quamvis aliqualis quidem ſimilitudo concipi queat. Ex Malæorum tamen ore ſæpius hauſi, hanc omnium fere Indicarum linguarum fontem eſſe: optandumque ergo ut hæc lingua nobis magis magisque innoteſcat: atque concludo verbis doctiſſimi *Maturini Veyſſiere Lacroſii*, Regiæ Bibliothecæ Berolinenſis præfecti, multisque in rempublicam literariam meritis clariſſimi, in Epiſtola ſeu diſſertatione ad *Johannem Chamberlainium*. Quid præter conjecturas & ſuſpiciones dare poſſum in iis, quæ ad cæteras Orientalis Indiæ literas ſpectant, quas liceat cenſeam omnes ab ea propagatas quam Hamſcrit appellant, inopia tamen temporis preſſus, & variis, quæ fruſtra requiro, ſubſidiis deſtitutus, ulterius illuſtrare non pergam. Et paulo poſt. Optaverim itaque ut aliquis eorum, qui ſacris noſtris ſub Batavorum poteſtate in his regionibus operantur, eorum Alphabetorum varietatem, literis accurate inter ſe collatis deſcriptam, typis in Europa edendam transmitteret, &c. Qualis a Miſſionariis Danicis ad celeberrimum *Bayerum* transmiſſa, atque in commentariis Academiæ ſcientiarum Imperialis Petropolitanæ nunc edita ſunt.

Super-

(z.) Literæ hæ ſcriptæ ſunt Madraſi XIV. Februarii MDCCXXXII. & editæ in Contin, XXXIII. p. 999-1002.

Superſunt denique linguæ plures circa Gangem fluvium, de quibus nihil certi affirmare queo, ideoque illas miſſas facio, unica hac nota, utiles neceſſariasque eas fore promovendo Evangelio inter fluvii Gangetici accolas, quibus eæ ſunt vernaculæ.

Sic tandem in portum pervenit carina, atque his facile finem imponere poſſem, niſi unica reſtaret quæſtio examinanda, ubinam ſcilicet terrarum hæ linguæ ſint diſcendæ? ad quam ſalvo aliorum judicio paucis reſpondebo; Linguas Orientales, quæ cum Hebræa matre colunt affinitatem, in Europæ ſcholis doceri, ac proin diſci poſſe; cui ſtudio ſi porro viva vox accedat, mirum quantum quis facturus progreſſus ſermone qui vivit vigetque. Linguæ autem Indicæ neceſſario ſunt diſtinguendæ in eas, quarum uberior, vel quarum parcior, aut nulla ad Europæos pervenit notitia. Poſteriores procul omni dubio in India ab inquilinis, quibus vernaculæ, aut ex illorum ſcriptis ſunt addiſcendæ, quoniam Europæi hucusque eorum peritia ſunt privati. Priores vero & in India & in Europa addiſci queunt. In India id neceſſarium ante V luſtra quoque judicarunt Miſſionarii Danici in literis ad virum quendam Celeberrimum exaratis. (*a.*) Maximo, inquiunt, nos tenemur deſiderio, ut hic in India hunc in finem erigatur Seminarium Studioſorum, in quo futuri operarii diſcendis linguis Indicis, juxta noſtram experientiam a nobis præparentur, ac poſtea quocunque locorum inter Gentiles, quorum didicerunt linguam, mittantur.

Toto nos optamus corde, ut hoc in negotio nobis adſint cooperarii ejusdem nobiſcum animi, ſic in latiſſi-

(*a.*) Literæ hæ datæ ſunt Trankebariæ in ora Coromandelina XVI. Septembris MDCCXII. & inſertæ eorum relationibus, Contin. VIII. p. 606-614.

latiſſima Gentili India, mediante benedicto Dei verbo, in procuranda Gentilium converſione res optime gereretur. Angli varia poſſident prædia & in hac & in Orientali Bengalæ ora, ubi aliquando copioſus ad Ethnicos introitus eſt ſperandus, ſi id negotium a viris ingenuis incipiatur, neceſſariisque ſumtibus promoveatur. Major autem in noſtra hac India Belgis datur occaſio deferendi ad Ethnicos Evangelii theſauri, iisque impertiendorum ſpiritualium bonorum, ſiquidem Belgæ illorum corporalia bona gazasque navibus uberrime auferunt. Porro quoniam Belgæ plurima ſua prædia acceperunt a Luſitanis, qui Chriſtianiſmum Pontificio more in iis condiderant, ita quoque Eccleſias magno ſat numero ibi conditas retinuerunt, ac reformationem in iis decreverunt, atque ab illo tempore in hunc uſque diem variis in locis templa & ſcholas ædificarunt. Quid vero hi conſtituerint, quove ſtudio cæteros Ethnicos ad Chriſti cognitionem adducere curent, quos qualesve ut propoſitum aſſequantur mittant Miniſtros, ac quam diligenter hi Gentilium addiſcant linguam nondum experiri potuimus. Nam ad noſtras hac de re quæſtiones per literas Bataviam, & in Seilan miſſas nullum tulimus reſponſum. Speramus autem cauſam aliunde nobis referendam: nam ea, quæ Luſitani advenæ ſæpiſſime de his narrant, forſan fundamento carerent. Hac in ora convertendis Gentilibus Belgæ nullam navant operam: ibique plurima poſſident loca, aſt nullus nunc præſto eſt Miniſter Europæis, multo minus Ethnicis. In Bengala itidem in celeberrima urbe Hugli nullus adeſt verbi divini præco. Siquidem autem hæc natio cætera ſtudia in comūne fovet bonum, & a Deo corporalibus ubertim beata eſt divitiis, & nos ſperamus illam noſtris hiſce temporibus adhuc multum Indorum Gentilium converſioni contributuram, nec unquam in poſterum aliquid

quid omissuram, quo Jesu Christi regnum inter omnes gentes, nationes & linguas promoveri queat. Utinam hic & in Hollandia darentur viri, qui hujus negotii necessitatem & possibilitatem recte in medium afferre nossent.

Priores autem quoque in Europa non tantum disci possunt, sed & ut doceantur & discantur dudum consultum duxit doctissimus *Antonius Walæus*, Collegii Indici, quod Lugduni Batavorum quondam fuit, Regens celeberrimus. (*b.*) Ubi vero, inquit vir ille eximius, collegium hoc suam formam acceperit, consultum insuper erit, ut uno aut altero ante discessum anno, in lingua illis regionibus usitatissima nonnihil instruantur. In quem finem despiciendus erit vir aliquis probus, linguæ illius peritus, qui ex illis partibus ad nos rediit. Alioquin enim tempus reditus eorum ad nos sæpe appropinquat, priusquam linguæ apud Indos usitatæ peritiam habeant, unde inter eorum regionum indigenas minori cum fructu versari possunt. Et rem ita vere se habere experientia mihi testis est non contemnendus.

Idem quoque censuit *Franciscus Valentinus*, gravissimus rerum Indicarum scriptor, in notis ad acta Ecclesiæ Batavicæ ad annum MDCXXI. (*c.*) Tunc temporis multas ob rationes Synedrium Ecclesiasticum Bataviense necessarium duxit, ut verbi divini præconium instituatur linguis Lusitanicâ, Sinicâ, Malaicâ, & Javanâ. Lusitanice atque Malaice id non absque fructu tentatum est. Verum omnem omnino superat conceptum, nullum unquam Verbi divini Ministrum operam dedisse convertendis Sinensibus

(*b.*) In Consiliis, de necessitate ac forma erigendi Collegii, seu Seminarii Indici. §. 18.

(*c.*) Vide ejus Veteris atque Modernæ Indiæ descriptionem. Part. IV. Tom. II. p. 7.

bus & Javanis. &c. Ego multam ſumſi operam in diſcenda lingua Javanâ, ac Lexicon-Javanum conſcripſi, nunquam autem mihi data fuit occaſio erogandi mei talenti. Præterea Bataviæ præſens (quod ſciam) in Synedrio Eccleſiaſtico nullum vel minimum audivi verbum excitatorium ad Verbi divini Miniſtros de diſcenda lingua Sinicâ & Javanicâ; nec unquam comperi has agitari, ſiquidem tamen, me judice, certiſſimum hoc foret medium plurimi inter ambas has gentes carpendi fructus. Atque ſi a primis iſtis Chriſtianiſmi in India temporibus, cum Claſſis Walcherana de Collegio, non tantum Theologico, ſed etiam Malaico, Lugduni Batavorum erigendo, monebat, ſalutiferum illud medium, de ſtudioſis in Indiam mittendis illam & alias orientis linguas docendis, effectum fuiſſet ſortitum, revera Malaica Bataviensis Eccleſia multo florentior & frequentior quam nunc eſt fuiſſet. Denique ſic adhuc hodie idem exerceatur medium, ac in quadam Academiâ hujus linguæ Profeſſor creetur, certiſſime multos optatosque id proferret fructus, occaſioque daretur Verbi divini Miniſtris, ut, ſimulac in Indiam appulerint, duabus ſtatim Eccleſiis operam navare poſſint.

Hunc in finem, A. H. ut futuri Verbi divini Miniſtri, qui Indorum converſioni operam navabunt ſuam, linguarum neceſſariarum notitia imbuantur, quibus Jeſum Chriſtum, unicum illud ſalutis acquirendæ fundamentum, Gentibus prædicent, Auguſtiſſimus atque Potentiſſimus Boruſſorum Rex FRIDERICUS WILHELMUS, Dominus noſter longe Clementiſſimus, divino ad promovendam Evangelicam veritatem per totum terrarum orbem zelo plenus, Linguarum Orientalium & Indicarum hoc in Athenæo docendarum provinciam mihi quam benigniſſime ac clementiſſime conceſſit.

Ore pleniore profecto laudandum Sereniſſimi ac Maje-

Majestate abundantis Principis nostri institutum, quo in ipsissima REGIS sede Berolino vigeat floreatque Societas Regia, quæ nationum linguarumque, quæ a Sinis usque ad Prussiam vastissimis regionibus porrectæ sunt, naturam atque indolem, literasque Orientales cunctas gnaviter investiget.

Laudibus in cœlum ferenda insignis illa REGIS nostri generositas atque magnificentia, ut sub clementissimo ejus imperio instruantur & doceantur Theologiæ Studiosi, futuri Verbi divini inter Ethnicos præcones, & a *potentissimo Daniæ & Norwegiæ Rege* in Indiam Orientalem mittendi, quod Halæ Saxonum fit.

Ast laude nostra, immo laude cuncta superius, & Augustissimo REGI nostro dignissimum decretum atque statutum, quo præter alias Orientis linguas hoc in nostro Athenæo Indicis, quæ nunquam publice in Academiâ fuerunt doctæ, locum tribuere voluerit, ut earum scientia imbuti futuri Verbi divini in India Ministri, simulac navibus in Indiam advecti, mox indigenis vernacula sua lingua Evangelium atque salutem æternam prædicare possint.

Quid nunc Potentissimo ac Clementissimo REGI ac Domino nostro referendum erit, pro tanto in Gymnasium Lingense & in Ecclesias Indicas beneficio? Nihil mihi præsto est, præter hocce meum grati animi testimonium, atque humilimas ad Deum Ter- Opt. Max. preces; Faxit igitur Summum Numen, ut REGIÆ MAJESTATIS, Serenissimæque Regiæ Familiæ splendor omnia perennet sæcula, & imperii ejus fulgor cunctis illucescat gentibus, ut ejus decore irradiatæ ipsæ splendidam illam Evangelii lucem, quæ sub clementissimo ejus Imperio iis accenditur, adspiciant, & ad ejus nitorem exsultent!

Dicendi nunc finem facerem, nisi vestra præsentia, Nobilissimi & Amplissimi Scholarum Constituendarum Triumviri, qua me dicentem honorare voluistis, me moneret, ut ad vos sese mea converteret oratio. Grates itaque vobis persolvo pro summa vestra pietate, & propenso in bonarum artium & literarum studium animo, quod, sub auspiciis *Augustissimi* BORUSSORUM REGIS *ac Domini nostri longe clementissimi*, vobis placuerit in hoc Athenæum, præter alias Orientis, Indicas quoque introducere linguas. Hoc facto præstatis vos Ecclesiarum quoque Indicarum nutrices, quo titulo vos appello atque saluto, Deumque ter Opt. Max. precor, ut pro summo vestro erga domum suam beneficio vobis præmium debitamque retribuat mercedem. Hunc in finem vos me in tenebris latitantem in luce collocastis, & ab Ecclesiis avulsistis Indicis, corpore quidem, non tamen animo; nam tuto sub vestro præsidio atque patrocinio mihi conceditur facultas, ut iis quoque opem ferre possim: proptereaque maxima muneris Ecclesiastici emolumenta, quibus majora rarissime ullibi reperiuntur, etsi cum sat magno rei meæ familiaris dispendio, sprevi, ut alios pluresque in Domino generem filios, qui Ecclesias pascant Indicas. Læto igitur gratoque animo hanc a Vobis mihi oblatam aggredior Spartam, humillimeque vos rogo, ut civem quondam vestrum, quem in patrium reduxistis solum, nunc recipiatis, vestroque favore & gratia, ut cœpistis, prosequamini.

Nec vestrum, *Athenæi hujus Rector Magnifice & reliqui Professores celeberrimi doctissimique*, oblivisci fas erit, quia vestro adjungor collegio, quod maximo mihi honori puto: nam vestro labore floret Gymnasium, superbit Civitas & Comitatus Lingensis. Ad vos, Clarissima hujus Athenæi Lumina, tarde ac incom-

pte

pte mea progreditur Oratio, atque vos enixe rogo, peto, flagito, ut aliquem inter vos mihi detis locum atque nomen ſaltem poſtremum, & cum amore in veſtrum me recipiatis conſortium. Veſtrum laborem imitandum mihi propono, atque a vobis diſcam quod ſum docturus: regite igitur me conſilio, præite me virtute, animum addite, & latus fulcite, atque amplexu veſtro me beate. Hac interim dextera omnia officia, ad quæ devinctum me profiteor, lubentiſſime ſpondeo, nec amicitia, integritate, animi humilitate, & bene merendi conatu ulli veſtrum unquam defuturus ſum.

Tandem vos apello, Deo dicata iuventus, & ſacrata pectora ad promovendam aliorum ſalutem. Cum nihil ſolidi in Theologia absque linguarum Orientalium notitia peragi queat, nec Gentium ſalus absque earum ſermonis peritia promoveri poſſit, adeſte mihi vobis præeunti, & ex alia orbis habitabilis parte in patriam reverſum varias Gentium linguas docentem audire ne dedignemini. Doctorem enim, Optimi Juvenes, vobis datum videtis, qui ſe totum quantum vobis ſtudiisque veſtris conſecrat, non tantum publice, verum etiam privatim, in docendis dictis linguis, cum Orientalibus, tum Indicis. Onus certe graviſſimum, cui ferendo humeri mei impares ſunt, atque defectuum meorum mihi optime conſcius ſum, nec in omnibus & ſingulis plene vobis prodeſſe potero, aliqualem tamen & non contemnendum vobis propinabo guſtum, & ad perfectionem vobiſcum contendam: calcarque vos mihi addite, ut docendo quotidie magis magisque diſcam. Eſtote ergo me duce diligentes in diſcendis Orientalibus linguis, ut ſincerus divini Sermonis ſenſus vobis pateat, nec non Indicis, ut veſtra ope Evangelium & Mundi Salvator Jeſus Chriſtus, unicum illud ſalutis medium, ad omnes deferatur populos, nomen

Domini magnificetur ab Oriente in Occidentem, omnes in universo urbes Canaanis discant linguam, atque unitis Deo Ter. Opt. Max. serviant humeris.

III.

JOH. GEORGII ALTMANNI
Prof. P. & h. t. Rectoris.

ORATIO
DE
ILLUSTRI INSCRIPTIONE CRUCIS CHRISTI, EJUSQUE MYSTERIO. *

Quam eleganti & laudabili instituto moratiores gentes, quas nobis veterum scriptorum monumenta definiunt, Viris illustribus, de patria bene meritis, salutis publicæ assertoribus, magnifica in victoriarum campis Tropæa erexerint, apud omnes humaniorum literarum cultores cognitum est atque

* Idem hoc thema in Dissertatione Philologico-Theologica exposuit *Gottfried Michael Fetter*, quæ prodiit Lipsiæ 1725. In qua autem potissimum id agit, ut varias difficultates de ordine inscriptionum aliaque expendat, atque pessimis Pontificiorum consequentiis quas inde deducunt, occurrat: Post hunc Fetterum Vir Cl. *Johannes Wesselius* titulum Crucis Domini pro argumento Orationis suæ selegit inauguralis, cum ordinariam Theologiæ professionem aggrederetur anno 1712. quo anno typi edita est Lugduni Batavorum; quæ cognita, sed mihi nondum visa erat eo temporis, quo hanc meam componerem. De affinitate utriusque Judex constituendus æquus lector. J. G. A.

que apertum. Solebant itaque gravissimæ molis lapides in sublime exstruere, aut ingentes arbores decisis undique ramis, hostium spoliis, adjectis Victoris victarumque gentium titulis, exornare: Factum hoc ex communi antiquitatis fide, ut nomen & merita heroum vitam sanguinemque pro patria fundentium, ad sequentes hominum ætates transferrent, utque hoc modo beneficiorum memoriam grata recoleret posteritas. In titulo adscriptum erat communiter, quantum agri in monumenti culturam cederet, cautum etiam in ejusmodi inscriptionibus, ne defuncti ossa violarentur, adjecta nomini defuncti lege, de sacris stato tempore redeunte faciendis, floribus rosisque ad monumentum deferendis.

Liceat nobis hac hora A. P. quod præsentis temporis, quod officii nostri ratio & suadet & præcipit, vos ad splendidissimum totius terrarum Orbis monumentum deducere; Accedite mecum ad magnificentissimum illud tropæum, quod Patre cœlesti Filio suo unico benigne providente, non amica manus, non defuncti mœsti hæredes atque propinqui, sed ipsa ad ferale supplicium rapientis judicis conscientia dictavit, quo Salvator in cruce pendens, Victor orbis, Imperator gentis ipsum ad ignominiosam mortem flagitantis, publice declaratur. Attollite mecum oculos vestros ad legendam & considerandam Inscriptionem illam, quæ brevibus & dilucidis verbis concepta, manu licet hominis gentilis exsculpta, ingentis operis gratiæ, redintegratæ salutis, immensæque victoriæ in monte Calvariæ compendium facit, cum Pilatus titulum trilinguem cruci affigit, JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Adiectum quondam titulo, quantum agri in monumenti culturam cederet. Adeste Auditores, nam & hoc ex consueta priscis formula factum patebit, tota quippe Syria, doctrina quondam, miraculis & sancti-

ſanctitate Filii Dei locupletiſſimus teſti: , ſed ingratus, ſed ad meliorem frugem, ad pietatem vel fidem, ad præſentiam tanti Numinis ſtupidus & flecti neſcius, vobis declarabit, everſa quippe tantæ gentis impiæ fortiſſima quondam mœnia, diſperſi Penates, exciſa gens tota, & ejecta ex avitis ſedibus, quæ ad tantam copiam, ut cum arena litroris maris juxta poneretur, excreverat. Ingens ergo regio fertilis, omni penu atque annona abundans, dum deſerta Judæis jacet, tanti monumenti culturam facit. Cautum erat olim ſæpiuſcule, ne defuncti oſſa violarentur, & hæc ſacra in medio turbæ inimicæ videbitis, cum diffractis atque contritis latronum oſſibus atque tibiis, intactum manſit ſanctiſſimum corpus, ſceleſtorum manibus dehinc non amplius contrectandum. Sed in more quondam etiam poſitum erat, ut ad monumentum tanti victoris annuo tempore redeunte Sacra fierent, recentibusque roſis atque variegatis floribus ſacer locus conſpergeretur. Redit nunc A. H. Cœleſti Victori, nobisque ſacratum tempus, quo convenit nos illa loca devota mente inviſere, cordeque ad cœlum ſublato luſtrare, in quibus ſanguine Servatoris madentem terram, quo maledictionem omnem detergeret atque mundaret, conſpicimus. Cum ergo in hoc verſamur, ut illuſtriſſimam inſcriptionem Crucis Servatoris noſtri conſideremus, non tam meum eſt hoc tempore, de re graviſſima, de qua ſalus noſtra & conſolatio dependet, veſtram exorare benevolentiam, veſtrum cum ſit, non defatigatas nobiliſſimo argumento aures commodare, in quo dum eruditionis copia ad familiarem mihi anguſtiam redigitur, myſterii pietatis amplitudo, latiſſimos fines & terminos pandit & exercet.

Tot tantaque occurrunt in ignominioſa atque execranda morte Servatoris noſtri Divinitatis teſtimonia, ut qui non ad apertiſſima hæc documenta occlu-

occlusis velit cæcutire oculis, facile exinde concludere possit, non hominem communi lege naturæ natum, non virum per se mortalem, sed cœlestis originis, sed Deo propinquum & familiarem nefando scelere ad maledictum lignum raptatum fuisse. Testes, quantum nefas perpetrassent Judæi, erant non homines tantum, sed & elementa inanima, Sol, perpetuum & salutare mundi lumen, admisso tanto facinore suum splendorem condebat, tellus ingenti movebatur tremore, summarumque rupium fastigia ingenti fragore distumpuntur & dissiliunt, velum Templi magna arte & sumtu compactum, in duas partes perciditur. Testes adsunt patientis Regis Judæorum spectatores omnes Judæi & Gentiles, quos inter præcipue Centurio, tremefactus tanti spectaculi attonitusque præco, Christum Filium Dei professus, latro in acerbissimis doloribus ad sanctissimum in cruce proximum Sospitatorem recurrens. Testis tandem ipse Pilatus, Crucis titulo Christum Regem Judæorum declarans, cujus innocentiam a rabida Procerum Judaicorum turba vindicare nequiverat. Adeste jam Audirores mecumque consistite atque affixam fastigio crucis inscriptionem expendite. Nolo tempora vestra, infausti stipitis, in quem cœli terræque moderator impio & nefando crimine sublatus fuit, formæ recensione morari, cum non longe remoti simus ab illorum mente, qui crucem talem sibi fingunt & proponunt, qualem sedis Romanæ assentatores in viarum crepidine ponunt. De hypopodio res mihi satis incerta videtur, nec Criticorum, disceptationibus quid hac in parte tenendum esset lis confecta, vel ad liquidam veritatem producta videtur. Res prisco jam tempore ad penicillum venit, ad cujus ductum non sculptores tantum sed & Passionis dominicæ Oratores crucem Domini efformabant, & qui in seculis monasticis, perpetua barbarie

& ignorantia horridis, usum imaginum moderabantur, antiquitatis rudes & imperiti, ad figmenta statuariorum recurrebant. De sedili medio, quo cruciariorum corpora sustinerentur, mihi dubium nullum, cum enim in hoc supplicio quæsitum esset maxime, ut execrabili hac morte necatorum cadavera quam diutissime in propatulo servarentur, opus erat sustentaculo, cui corporis pendentis moles incumberet, dissolutis enim membris & putredine laxatis, indeque dilatatis impactione clavorum ulceribus manuum, corporisque pondere magis deorsum trahente, inanime & horridum corpus brevi tempore è cruce dilapsurum fuisset, nisi tale trunco crucis adjectum fuisset vehiculum. Nostrum non est A. ad has descendere controversias, cavendum enim ne de ligno Crucis solliciti, patientis Christi nos capiat oblivio. De inscriptione autem Christo crucifixo superposita commune habemus Evangelistarum suffragium, & quam Lucas Inscriptionem nuncupat, eam Matthæus ΑΙΤΙΑΝ, Johannes autem Titulum vocat. Factum hoc communi Romanorum vel lege vel consuetudine, qui ædificiis publicis splendidioribus, monumentis atque sepulchris inscriptiones vel titulos adponebant, hinc Poëtarum elegantissimus de proprio Cenotaphio.

Sculptaque sunt titulo nostra sepulchra brevi.

Indeque monitum Virgilianum, de inscriptione ligatà oratione adponenda.

Et tumulum facite, & tumulo supperaddite carmen.

Mos idem obtinebat in homines ad publica supplicia damnatos, quorum crimen mortisque causa supereminenti cornui crucis in tabella affigebatur, ut etiam eminus à viatoribus legi atque conspici posset. Damnato ad crucem adstabat præco, qui elata voce

pro-

promulgabat verba eadem, quæ tabellæ inscripta erant. Ritus hic vulgaris & promiscuus Judæis Romanisque erat, inde etiam eundem in crucifixione Christi observatum fuisse, ratio nulla est cur dubitemus, hincque memoriæ proditum, altissima voce proclamatum fuisse, cum Polycarpus constantissimus Servatoris nostri martyr ad necem insons deduceretur, *Polycarpum Christianum esse, qui tertium confessionem eandem professus fuisset.* Perpendite jam mecum A. P. cœlestem Mediatorem nostrum, communi veterum ritu ad ferale supplicium deductum, impio livore & audacia Judæorum in numerum scelestissimorum latronum recensitum, ad extremam dolorum & ignominiæ classem depressum & dejectum, Deo vero prospiciente publica Præconis voce, publico titulo veritatem eandem, quam coram Pilato cordate denuntiaverat, ab omni crimine in conspectu hostium suorum liberatum. Aderant ex utroque latere homicidæ ad idem mortis genus, demeritas admissi sceleris pœnas sustinentes, raptati, sed quam dispar præconis, quam diversum tituli effatum! Latrones illos esse, communes hominum societatis publicosque hostes, in confesso erat. Omnis autem AITIA, omne Jesu Christi crimen & accusatio in eo hærebat, quod se Regem, non mundanum equidem, non ad exemplum Principum, auro purpuraque sublimi in sede superbientem, sed cœlestis sortis & originis, verbo duntaxat spirituque animas hominum flectentem atque delinientem declaraverit, qui æterno amore motus atque pellectus, ad omnes illas ægritudines atque ærumnas ferendas, è Patris sinu in hanc terram, tristissimum per totum vitæ suæ tempus ergastulum descenderit. Titulum ideo vel inscriptionem non accusationem crux habebat, Rex declaratur, non maleficus accusatur. Causa superscripta est offensæ & livoris Judæorum, non proditionis aut cul-

pæ, cujus ipsum Judæi proceres, mortalium scerrimi insimulaverant.

Si jam inscriptionem ipsam spectamus, illam equidem animadvertimus apud tres priores Evangeliorum Scriptores eandem, quam in Johanne legimus, sed in compendium redactam, atque palmaria tantum verba exhibentem: Illam autem Johannes indivulsus Servatoris nostri comes, Divinitatis, passionis atque miraculorum Christi luculentissimus & perpetuus testis, his verbis absolvit *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*. Habemus in his A. H. Christum Regem ore manuque Romani Judicis, a Judæis ad iniquam sententiam ferendam adacti, publice declaratum, & quis tam demens est atque nefarius, ut hæc sine numine facta fuisse arbitretur. Injustus fuerat Pilatus Virum innocentissimum ad patibulum rapiendo, inexcusabilis, qui minacibus Procerum Judaicorum verbis se eo abduci passus est, ut contra innocentissimum quem terra hactenus sustinuerat, sententiam capitalem decerneret, his tamen verbis in manus & vincula lictorum atque speculatorum traditum hominem ab omni perduellionis facinore, quo eum impia hostium turba oneraverat, immunem proclamat atque edicit. Noverat Pilatus, Christum longissime ab omnibus impactis criminibus, quibus personatæ pietatis homines, Pontifices, sacrorum Judaicorum Antistites, eum reum facere frustra tentaverant, remotum, hoc itaque titulo confitetur, non vanum esse augurium & monitum, quod uxor somnians non sine angore concepisset, verumque esse, nec ullo fuco incrustatam publicam confessionem Christi, se Regem equidem, non tamen nec Romanis nec Herodi insidias struentem, vel Judæorum ad seditionem ruentium animos, vel foventem vel suscipientem. Tali porro hæc inscriptio formula erat concepta, ut legentes omnes facile conciperent, Pilatum

latum necem Christi ad solos Judæos devolvere, quorum haud obscure livorem & atrocitatem incusabat, utque hoc modo supplicii infamiam, sententiæque latæ rationem non in delicta & offensas Jesu Nazareni, sed in Magnatum Judæorum, Pilatum ad hanc sententiam obtorto collo rapientium, minas, impetum, & inconditum clamorem retunderet, quod si autem hanc Procuratoris Romani inscriptionem accuratius pensitemus, plurima in illa deprehendimus, in quibus præsentissimum divini Numinis ductum & instinctum certissimis non indiciis tantum, sed & testimoniis & documentis percipimus & agnoscimus. In ea autem innocentiæ Christi convictus Judex Romanus, non tantum omnem immitis sententiæ turpitudinem in graves illos Senatus Judaici Patres devolvit, verum etiam ipse tacitus agnoscit, plurima adesse, quæ suadeant Christum hominem divinum, cujus tanta esset sanctitas, vitæ morumque integritas, ut accusationes & crimina a Judæis Christo objecta ad calumnias atque meram æruginem, nigrumque loliginis succum percenseret; In hoc autem non omne absolvitur hujus inscriptionis mysterium, ad cujus meditationem propius accedendum. Titulum Crucis habemus a Magnate pagano dictatum, sed cujus manum mentemque ita instruxit atque direxit Omnipotens ille, ut rerum omnium ita cordium meditationumque humanarum arbiter, ut omnino profundiora in hoc titulo lateant, quam ipse noverat, qui ejus auctor & dictator a cæca Judæorum gente habebatur, idem enim ille Spiritus, omnia nutu suo frenans atque gubernans, qui os Bileami atque Cajaphæ ad divina oracula edenda aptaverat, & Pontium ad magnificum hoc de divinitate & æterno Messiæ in Judæos imperio testimonium scribendum impulisse censendus est. Triumphat in ligno execrabili suspensus Salvator mundi, & in abjectissima forma

ma cum latronibus contemtim habitus pleniſſime probabat, ſe Regem eſſe, cujus ſolium & diadema Pater ita firmaturus eſſet, ut dehinc omnes vel Judæorum doli & impetus, vel regni inferorum tumultus irrito aſſultu contra eum lacertos & vires tentaturi forent. Tantum ergo aberat ut vel nuditas in Cruce gloriam ejus atque ſplendorem, fortiore clavo affixa membra potentiam, ſuſcitati angores ex ſenſu iræ divinæ, cujus in ſe pro genere humano placationem ſuſceperat, fortitudinem atque magnanimitatem labefactare, multo minus extinguere poſſent. Tantum ergo hæc a Pilato verba ſcripta valebant, quantum ex dictamine illius, qui ea non attendenti & veram ſignificationem aut neſcienti aut negligenti Pilato ingeſſerat, valere & ſignificare poſſunt. Qui in trabe infami ut mortalium miſerrimus pendebat, per ſe erat Jeſus, non tantum hoc nomine per totam Palæſtinam notus & compellatus, ſed etiam excellentiſſimæ appellationis vim & majeſtatem exprimebat; Juſſus fuerat Joſephus atque Maria hoc nomine illuſtri compellare puerum divinum, nondum ex utero beatæ matris prognatum, quia is erat Servator generis humani, qui tot animarum millia ex orci faucibus erepturus, æternæque gloriæ & vitæ cœleſtis hæredes renuntiaturus eſſet, nec alia a Patre in æterno pacis conſilio via vel ratio detecta fuerat, quo perditas oves, miſeras per ſe inferorum victimas, ad regnum ſpirituale revocaret, quam execranda mors in ferali robore ſuſtinenda, nec antea Rex a Patre declaratur, quam prius Crucis ærumna & acerbitate Dux ſalutis, redimendorum ſtator & vindex, obedientia, dolore & morte conſummatus foret, merito ergo nomen cruci inſcribitur, quod in cruce partum & comparatum fuerat. Animadvertite mecum cum ſtupore & admiratione A. ex calamo Romani hominis defluentem æternam veritatem;

tatem ; Perpendite ex naturali Pilati caligine & ignorantia fulgentem lucem, ad cujus radios totus collustratur orbis, atque hoc modo divinæ voluntatis & providentiæ vestigia comparent in adjecto Jesu epitheto, quo Pilatus illustrem Cruciarium compellat & distinguit, illum Nazarenum vocando; talis erat Servator noster non sensu tantum literali, ex ignobili oppido Nazareth ita insignitus, sed etiam tecta & abscondita Judæis atque Pilato significatione. Manifestatum fuerat jam prisco veteris œconomiæ ævo, similem futurum Messiam surculo ex radicibus Isai efflorescenti, quod vaticinium equidem Regios ex gente Davidica natales clarissime exponebat, sed simul etiam servilem & abjectam conditionem Christi, quam diu mortalis apud ingratissimum populum Judaicum victurus esset, non obscure significabat. Vos ideo rogo atque testes provoco A. an inter innumera fere Christi nomina atque elogia, aliquod aptius & convenientius titulo Crucis a Pilato potuisset insculpi, quo simul Regia Christi dignitas & origo, simulque despicatus & abjectus Salvatoris patientis status describeretur ; Nec prius poterat ad ingentem arborem surgere & efflorescere hic Davidis surculus, antequam scelestorum manibus & dejectus & decisus esset, quo facto ad tantam proceritatem excrevit depressa Cedrus, ut securum fieret perfugium & receptaculum *Nazarenorum exclamantium in monte Ephraim, surgite, & ascendamus in Zion ad Dominum Deum nostrum.* Rex etiam Christus cruci alligatus manebat, imo mortem & ignominiam in cruce ferendo, Regnum acquisivit, prius enim ex æterno Patris decreto semen ex tenebrarum & iræ filiis sibi partum & acquisitum habiturus non erat, quam obediens factus fuisset usque ad Crucis supplicium. Dispar autem hujus Regis cum Imperatoribus, Principibusque terræ conditio, illi splendorem cum diademate at-

que

que ſceptro morientes exuunt atque ſeponunt, Chriſtus autem Imperium a Patre promiſſum in Cruce fundat & ſtabilit, illudque æternum atque immutabile reddit. Chriſtus in Cruce brachia extendit, quibus jam univerſum orbem complectitur. In altum tollitur, ut omnes gentes illuſtriſſimum hunc victorem Tropæo ſuo inſiſtentem, omnibusque populis dehinc imperaturum conſpicerent. Rex autem Judæorum a Pilato ſcribitur, cum talis Salvator eſſet maxima auctoritate & potentia. Regem Filium Dei agnoſcebant unanimi ſuffragio Prophetarum oracula, talem umbræ & typi Veteris Oeconomiæ declarabant. Rex Iſraëlis unctus fuerat ab æterno, talis propoſitus in promiſſione de Puero, cujus Principatus repoſitus eſſet ſuper humeros ejus, cujus ſolium fundatum erat per juſtitiam. Regem ſe declaraverat Judæis, legem ferendo per ignem, cacuminumque fragorem in monte Sinai, ipſe Imperii ſui cuſtodes & vindices poſuit Principes Judaicos in ſedem Moſis ſurrogatos, Reges ipſe conſtituit Davidem & Salomonem, imperii & dominationis Meſſiæ vicarios, illuſtriſſimos tanti Regis typos, Jeſu Chriſti ſecundum carnem proavos, inde ſpes & promiſſio facta de extollendo Mediatore in ſolium Patris ſui Davidis, ut regat æternum in domum Jacobi, ſitque ſine fine vel termino dominium & potentia ejus. Verum in his non ſubſiſtimus A. P. Latius patet, longiusque ſeſe extendit Regnum Jeſu Nazareni, ſua enim obedientia atque perfectiſſimo Redemtionis pretio, longe latiſſimeque per univerſum terrarum Orbem dilatatum fuit hoc regnum, quod prius anguſtis Palæſtinæ cancellis & arctioribus tantum continebatur limitibus, ad gentes enim deductum, per maria, montiumque aſpera propagatur noſtri Regis imperium, atque devolvitur ad omnes, qui Judæi vel Iſraelitæ, non ex circumciſionis ritu & Sacramento, ſed ſecundum

dum Spiritum, quo regente subditi facti fuere universi, qui Christum Regem, Principem, suumque Legislatorem venerantur & agnoscunt, quos regit externe equidem verbo suo, lege divina, quæ talis est rectitudinis & justitiæ, ut omnes veterum Regum, Principumque sapientum Tabulas longe antecellat, interne vero Spiritu suo atque potestate, quæ tanta est, ut immorigeros omnes coercere, rebelles punire, errantes reducere, obedientes ad maximos honoris atque beatitatis gradus evehere possit. Regiam tandem suam auctoritatem probat, Satanam perpetuum illum atque potentem tenebrarum principem subigendo atque æternis tenebrarum catenis ita domando & concludendo, ut dehinc iratus & iners fremere, suasque mordere catenas adigatur.

Titulum Crucis Christi hactenus atque ejusdem Mysteria expendimus, ad ea nunc ulterius prodeundum, quæ instituti nostri scopus & ratio suo jure ab Oratore in hanc rem dicente, postulare videntur, ad ea ergo accedimus, quæ ex antiquitate eruenda, & quæ si non palmarem, egregiam tamen inscriptionis partem conficiunt atque absolvunt; Dicendum ergo, priscis in more positum fuisse crimina atque delicta cruciandorum tabellæ albo colore inductæ vel inscribere, vel insculpere, ut titulus eminus stanti literis rubro colore pictis lectu facilis fieret atque conspicuus. Utebantur autem Veteres etiam in libris epistolisque scribendis colore purpureo potius, quam atramento, itaque mos inoleverat, ut literas majores omnes minio elegantissimo depingerent, indeque posteriori ævo Rubricæ nomen apud Auctores promiscue mansit atque obtinuit. Consuetudo obtinebat eadem apud priscos in omnibus monumentis publicis, hincque Legum Tabulas ita encausto pingebant & exornabant, ut intuentibus aspectus esset gratus & acceptus, quodque ideo a priscis factum memo-

memoratur, ut inde Cæsari vel Principi aliqua accederet auctoritas. Licet jam non ex illis sim, qui ex rebus levissimis aliquod volunt exsculpere mysterium, notari tamen nihilominus posse videtur, aliquem etiam esse tituli Christi ita depicti significatum & potestatem, cum enim veteres Regnorum atque Rerumpublicarum Moderatores & Antistites gloriam & existimationem in eo reputaverint, nomina sua atque titulos in locis publicis literis colore rubeo splendidissimo notare atque depingere, jure sine controversia eminentissimo, Regum maximus & consummatissimus, eo modo suam dignitatem & potentiam omnibus declarari voluit, quo Cæsares atque Principes majestatis suæ atque imperii testimonia subditis, omnibusque ditionem illorum incolentibus. Sanguine partum & acquisitum imperium aliter quam literis rubicundis in tabula nec scribi, nec promulgari potuisse videtur.

Aliqua hactenus Orationis parte, me defunctum fuisse existimabo, A. H. si in iis quæ diximus singulare Numen animadvertitis, si in Pilato Judice injusto, & Judæis contra innocentiam & sanctitatem Christi sævientibus, nullum capistrum pro sua, qua Romanorum nomine gaudebat potentia imponente, singularem Dei ductum & providentiam agnoscitis. Ad ea jam descendimus, quæ ulterius in Crucis titulo ita manifestum DEI moderamen & imperium nobis depingunt & repræsentant, ut non modicum inde ad firmandam divinitatem Christi simulque totam veritatem Evangelicam fulcrum accedat atque testimonium. Titulum Pontius Pilatus scripsit trilinguem cum Judici Romano, nomine Cæsaris apud Judæos agenti, Latinus, lingua Principis conceptus, sufficere potuisset: Sed aliter visum DEO gloriam & imperium Filii sui jam omnibus gentibus, linguisque omnibus declaranti atque manifestanti. Solius

Impe-

Imperatoris Gordiani Cenotaphio inſcriptionem lingua Latina, Græca & Perſica inciſam legimus. Tabulæ publicæ Romanorum maximi momenti & ponderis per totam Palæſtinam non niſi Græca, Latinaque lingua affixæ atque æri inciſæ legebantur. Quo major eſſet patientis Chriſti per totum terrarum ambitum gloria, ſanctiſſimique Nominis promulgatio, incognito ſibi ſtimulo & ductu permotus Procurator Romanus, Salvatorem noſtrum Judæis lingua Hebræa aut Syriaca, Judæis Helleniſtis Græcisque omnibus Græca, Romanisque terrarum Dominis, a cognitione ſalutiferæ veritatis remotis, verum proximo jam tempore ad Evangelium invitandis, Latina, Regem annuntiat & proponit. Noſtrum jam non eſt A. O. ad illam deſcendere controverſiam, Græca ne an Hebræa inſcriptionis verba primum in titulo Crucis locum obtinuerint. Lucas Græca, Johannes Hebræa ante ponit. Sufficit nobis cognoviſſe, Jeſum Regem declaratum fuiſſe a Pilato in omnibus illis linguis, quibus moratiores Gentes familiariter utebantur. Sonticam fuiſſe rationem Lucæ, quare Græcum titulum primum poſuerit, gravem & validam Johanni, cur Hebræum, nos Scriptorum Sacrorum divinitas & ſanctitas dubitare neutiquam permittunt. Johannem Judæis præſertim ſcripſiſſe, Lucam Græcis, opinantur Viri in Eccleſia magnæ famæ & auctoritatis, atque etiam exinde rationem arceſſunt, quare hic in ordine Græcam inſcriptionem, Johannes Hebræam primam exaraverit. Nec hoc leve atque vere exigui ponderis diſſidium tanti habendum, ut cum quibusdam affirmemus, tres fuiſſe titulos in tribus depictos tabulis, qui in recta ſerie a dextra incipiente ita Cruci affixi fuerint, ut Græcus primus, Hebræus vero ultimus fuerit, qui tamen pro primo haberi etiam poſſit, cum Judæi lectionem a læva incipiant. Nolo ergo A. P. tempora veſtra longiori in-

dagatione vel ſcrutinio litis leviſſimæ, ad ſalutem vel cognitionem noſtram de Chriſto nil plane conferentis morari. Unicam fuiſſe tabulam longiorem, ternariam inſcriptionem continentem, ita mihi certum, ut nulla videatur vel ratio vel argumentum, quare ámbigamus. Volente & proſpiciente Deo, in loco urbi propinquo Cruci affixus fuerat Servator noſter, & teſte Evangelii & divinitatis Chriſti præcone Johanne, Judæi plurimi, qui tum temporis ad Feſtum Paſchatis in urbem ſanctam ex omnibus oris, quaſi agmine facto confluxerant, titulum legebant; Hac itaque ratione immenſum illud atque divinum redemtionis opus in publico Judæorum Gentiumque conſpectu geſtum fuit atque abſolutum. In hanc etiam ſententiam jam conceſſerant priſcæ Eccleſiæ Patres, qui eundem inſcriptionis ordinem ex mente Johannis recenſent, hinc Prudentius.

Fronte Crucis titulus ſit triplex, triplice Lingua
Agnoſcat Judæa legens, & Græcia norit,
Et venerata Deum, percenſeat aurea Roma.

Terna vice Chriſtus Rex promulgatur, quia ex Judæis, Græcis atque Romanis ingentem numerum teſtium ſuæ divinitatis, confeſſores Crucis, Martyresque habiturus eſſet. Linguis tribus Filius Dei Princeps populi annuntiatur, quia ſecundum veriſſima Prophetarum de eo effata omnis lingua confeſſura eſſet, Jeſum Chriſtum factum fuiſſe conſummatum Ducem Salutis in gloriam Patris. Judæis ante Græcos proponitur, cum primi eſſent ad illuſtriſſima bona fœderis gratiæ, cujus ſtator & vindex Chriſtus erat, invitandi. Iſraelitis ſuccedunt Græci, qui jam dilatatis Eccleſiæ pomœriis ad communionem cum Deo, ad civitatem cœleſtem, ad ſplendidum illud Meſſiæ convivium eſſent provocandi. A Græcis ad Romanos cum propaganda eſſet cœleſtis illa doctri-

na

na atque ſapientia, Latina etiam Lingua Gentiles omnes ſub jugo Romanorum concluſi certi reddebantur, & apud illos beatum Chriſti Regnum breviſſimo temporis ſpatio tanto cum ſucceſſu prædicandum eſſe, ut non minus beneficiorum Meſſiæ futuri eſſent participes, ac autem Iſraelitæ, qui ſe ſolos & genuinos Dei filios, ſalutaris doctrinæ depoſitarios & cuſtodes hactenus putaverant. A Japhete oriundi alliciendi erant ad tentoria Sethi, cum Japheti poſteris, Græcis nimirum, non tantum amicitiæ gratæque conſuetudinis, ſed & conſanguinitatis vinculum intercedere, Judæi ipſi fatebantur.

Alligatum Cruci Mediatoris generis humani titulum ſplendidiſſimum, Regnum ſpirituale per totum qua patet orbem proferentem, & oſtendentem vidimus. Dum jam in eo ſunt plurimi Judæi, ut exinde diſcant ſuſpenſum hunc Jeſum Nazarenum Meſſiam eſſe, qui patiendo Chirograhum cottidiana ſacrificiorum immolatione in Templo ſcriptum deleret; Dum in eo ſunt Græci Romanique plurimi, ut ex candida atque aperta Pilati ſententia Jeſum Regem & celebrent & agnoſcant, ad novam iterum iram ſuſcitantur, & excandeſcunt Judæi, ſcriptum a Pilato criminantur titulum, atque vehementius rogant, ne ſcriberet Jeſum eſſe Regem Judæorum, ſed hoc tantum, quod ipſe dixerit, ſe eſſe Regem Judæorum. Quam perſpicue in his videmus A. P. infernale illud odium, quod Pontifices Judæorum, quod perſonatæ pietatis Proceres Phariſæi plurimi, quod Legis divinæ explanatores & Magiſtri, vera ſerpentis antiqui progenies, in Chriſtum inter eos docentem ſemel conceperant, nefandæ Crucis morte & ignominia non extingui, non leniri, non ſedari potuiſſe. Eo delabitur hæc non Abrahami, ſed Cacodæmonis proſapia, ut ex cruce ſuffurari & impia tangere manu allaboret, quod provida Dei cura, quod æquitas, quod

 veritas,

veritas, quod Judicis apud Judæos supremi auctoritas dictaverat. Quam aperte & perspicue ex his animadvertimus A. quam egregie isti homines, totius infernalis imperii motus & vires contra Christum suscitantes odio suo & malitia non magis profecerint, quam ut gloria, divinitas, Majestas & Imperium Regni Christi declaretur, magisque etiam per infensissimorum hostium molimina muniatur & confirmetur. Internecinum odium in Christum virgis laceratum, spinea corona misere vulneratum, clavis pedibus manibusque stipiti affixum adhuc excercent mortalium injustissimi & deterrimi, tantopere hos homines pungit innocentiæ testificatio, tantopere illos stimulat, quæ iniquum eorum pectus occupaverat invidia, ut gloriæ & veritatis certum testimonium, clavis jam affixum e Cruce avelli & abiici tentarent. Animadvertite quam cito Christus crucifixus Judæis fuerit offendiculo. Pudet impiam gentem habere Regem crucifixum, ad quem tamen supplici rogatione per serpentem æneum clarissime præfiguratum jam accesserat. Verentur ne ingens Judæorum, è Galilæa præsertim, numerus ex verbis Pilati impietatem & injustitiam Pontificum, quos hactenus, cœli Candidatos, pietatis & justitiæ satellites, intemeratos Legis Divinæ custodes & vindices habuerat, cognosceret, & exinde omnem pro Senatu Judæorum existimationem abiiceret. Rècte omnino astutum & dolosum hoc hominum genus animadvertit, futuros aliquando homines, qui objicere & inter crimina gentis Judaicæ recensere possent, quod proprium suum Regem in Crucem adegissent, itaque mutatum, deletum & excisum volunt titulum a Pilato scriptum. Ita impietati hoc proprium & peculiare est, ut quæ male & impie gesta sunt, splendido justitiæ & probitatis velamine tegi velit & obscurari. Sed frustra lacertos movent Judæi, irrito conatu incitantur & excan-

excandescunt contra titulum Crucis fortioribus clavis affixum, jam in corde tot hominum firmatum, in orbe prædicandum, a Patre decretum, atque per ineffabilem seriem seculorum succedentium laudandum & decantandum. Repulit ideo homines protervos Pilatus, cumque ad primum ingensque jam crimen, ut virum sanctissimum ad mortem damnaret, ipsum adegissent, a secundo saltem immunis esse & liber recte decrevit. Cur titulum de Cruce avellere aut mutare noluerit, ratio haud dubie non ea est, ac si per leges ipsi non licuisset, ut quidam sanctissimæ historiæ mortis Christi Commentatores nullo satis valido ex antiquitate Romana præsidio contendunt. Melior haud dubie ratio exinde petitur, quia Pilatus non tantum, ut ex antiquitate testes habemus Historicos luculentos, ingenio satis esset iracundo, duro & pervicaci, ut quod semel concepisset, haut leviter mutaret, sed & ex eo, quia sæpissime interpellationibus intempestivis & nefariis fatigatus & obrutus, tandem futilem & impiam hanc Pontificum & Sacerdotum plebem a tribunali abigere consultius putabat, quam clementi animo probrosis hominibus in hac causa iterum patientem aurem præbere, nec mihi vana est fides & suspicio, injustam illam contra Christum latam sententiam post ejus executionem ita Pilati insedisse animo, ut senserit quam turpiter a Judæis, quam atroci in æquitatem & justitiam, cujus ipse Primipilus & custos esse debuisset, edicto in Jesum Nazarenum, se corrumpi & deduci passus fuerit. Tanta enim est veritatis & innocentiæ vis, ut etiam tum, cum ad supplicium rapitur, profundos in animo & corde hominis impii aculeos figere, incussosque servare possit, hinc cordate respondit, quod scripsi, scripsi. Quæ responsio tantum valebat Judæis, ac si vultu ad minas & iracundiam composito dixisset, non muto sententiam,

ad me judicem immobil‹ n & inflexum frustra defertis vel petitionem vel ›btestationem. Ego autem mihi videor spectabiles illos gentis Judaicæ Magnates, Amplissimi Synedrii Hierosolymitani Patres, coram Pilati tribunali consistere, illumque pollicitatione, minis, precibus, rogare, hortari, obtestari, ut hanc ab illis ignominiam averteret, cum non causam mortis titulus exprimeret, sed qui hoc tantum doceret, qui esset hic Cruciarius. Frustra ergo Judæis contra innocentiam bellum est, atque inaniter mutare tentant, quæ Deus in veritatis præsidium Cruci insculpi decreverat. Rex est Jesus Nazarenus, qui nec Regnum nec Regis titulum vel vivus, vel mortuus, vel perdere aut deponere unquam possit. Licitum fuerat Pilato & Judæis Regem Israelis in Crucem tollere, sed titulum corrumpere vel surripere; quem in ipsa Cruce acquisiverat, omnibus licet contra Sanctum Jehovæ concurrentibus hostium globis; licitum non erat, immo Romanæ Cohortes cum adstante Centurione cavent, ne quis audax & temerarius scelestas manus vel Christo vel Cruci inferat. Videte A. quam accurate & benigne cœlestis Pater honorem Filii sui vindicet, quam splendide & nomen & sceptrum Regium custodiat eo tempore, quo necatus, ignominia & dedecore onustus, atque è numero hominum excisus videbatur.

Quam vellem tempus mihi superesse O. A. quo, quæ dicta sunt ita ad vitæ nostræ institutionem, & ad animæ nostræ consolationem valido argumentorum & probationum pondere vobis depingere, mentique ita alte infigere possem, ut inde ad sanctissimi festi celebrationem rite adornaremur. Quam vellem gravibus dehinc verbis, si angustiores temporis cancelli id permitterent, gloriosissimi patientis Regis nostri dignitatem & excellentiam extollere & describere, ut mente ad veram pietatem deflexa, corde ad humili-

militatem & fidem contrito, memores essemus, Christum Nazarenum Regnum sibi in Cruce acquisivisse cujus non tantum simus subditi, sed concives, sed gloriæ, sed potentiæ, sed amplitudinis in Cruce partæ hæredes. Sit ergo titulus Regis nostri inscriptus non in ligneis tabellis vel arborum truncis, sed in cordibus nostris. Vestrum præsertim est, Studiosi Præstantissimi, ad quos propius hæc mea spectat Oratio, animum atque studia vestra eo intendere, ut vos dignos reddatis tanti Regis præcones atque ministros. Hujus nostri Regis honores, potentia & dignitas dehinc non in albicante titulo depinguntur, sed vestro ore, vestra lingua, quantus Jesus noster Nazarenus sit mortalium Princeps, quanta sint Imperii ejus emolumenta, quanta subditorum ejus dignitas, describenda & exponenda erunt. Animum ergo vestrum, labores & meditationes in id ponite, ut emissi aliquando mysterii de Jesu Christo crucifixo Oratores, Regnum illius dilatare, salutarem veritatem propagare & defendere, homines naturali vitiositate ad omne nefas proruentes ex præsentissimis perditionis æternæ catenis eripere, Christoque Regi nostro & unico Salvatori sanctos & inculpatos adducere possitis. Mature ergo parate animas vestras ad tantum Regem in præcordia vestra suscipiendum & adorandum, antequam ad publicam de eo Concionem accedatis. Hunc Jesum Cruci equidem alligatum hoc tempore nobis proponendum, brachiaque sua in execrando ligno extendentem, aliquando & vos aliis Regem adorandum promulgabitis, operam ergo navate sedulam, ne inutiles fiatis aut indocti tanti Regis, tanti Doctoris Oratores, qui æterna equidem gloria illos beare statuit, qui assidui, qui fervidi, qui fide amoreque in ipsum incensi ejus benignitatem, merita atque in genus humanum amorem celebrant & extollunt, æternis autem cruciatibus &

ignominia illos plectere & torquere, qui segniter, qui remisse, aut levis lucri gratia, ad tantum munus expediendum accedunt. Beatos autem vos, nosque omnes, qui sentiunt & persuasi sunt, Christum esse Regem & vindicem nostrum, qui nos immunes reddit & liberos ab omni conscientiæ accusatione, ab omni corruptæ carnis crimine, & omni tenebrarum & infesti nobis serpentis coram tremendo tribunali tanti Judicis delatione. Exultemus ideo hoc tempore, meditantes Christum peccata nostra secum sustulisse in Crucem, ibique ita eliminasse scelerum nostrorum contra nos scripta volumina, ut erecta dehinc cervice, integraque conscientia possimus exclamare, Jesus Nazarenus Rex noster, qui regnat & gubernat in cœlo & in terra! cui soli in æternum sit laus & gloria. DIXI.

****

JAC. CHRISTOPHORI BECKII
P. P. Basil.

Animadversio ad Actor. Lipſ. Suppl. T. III. S. 4. p. 170.

§. I.

FAteor, me non mediocriter animo commotum fuisse, cum nuper in pervolvendis *Supplementis ad Nova Acta Eruditorum*, quæ *Lipsiæ* prodeunt, *Tomo III. Sect. 4. p. 170.* atrocem in Helvetiam nostram & Helvetiæ Litteratos invectivam legerem. Neque tam me adfecit injuria Patriæ meæ patriisque Musis illata, quam illius, qui *Articuli*, quem designavi, Auctor est; invidia cum ignorantia non mediocri conjuncta.

juncta. Non is sum, qui nesciam, quam eruditi sint, quamque boni plerique eorum, qui in *Actis* illis *Supplementisque* concinnandis elaborant. Si quis istorum hunc, de quo agimus, *Articulum* composuisset, certissimus sum, neque invidiam talem, neque ignorantiam in eo se prodituram fuisse. Itaque non cum illorum quoquam, sed cum hoc mihi res est, qui invidia flagrans, ignorantiaque obcoecatus, *PATRIAM MEAM, MUSASQUE HELVETIAS* tam contumeliose tractavit, ut contumeliosius tractare non posset.

§. II.

En Tibi, Lector, omnem rem. Tuo enim judicio subjiciam. Tuum esto arbitrium: *Autor Articuli Lipsiensis* si qua in re sibi injuriam factam putabit, publice ostendat. Aut deprecabor ego, aut non factam docebo. Annus agebatur Seculi istius XXXV. cum Vir Celeberrimus, *JOH. GEORGIUS ALTMANNUS*, Ethices & Ling. Græc. in Lyceo Bernensi *Prof.* ejusdemque nunc *Rector* fasciculum primum eruditæ Dissertationum variarum Collectionis, cum inscriptione: *TEMPE HELVETICA*: ederet. Institutum laudabile & magno cum fructu conjunctum esse nemo non fatebatur. Itaque emere omnes, lectitare; Diatribas rariores, aut in scriniis latentes mittere, novas etiam, prout res ferebat, elaborare. Quapropter & mirum non accidit; quod designati *Articuli* Auctor eam rem tantopere laudibus extulerit. Nihil enim dicit, quod non superet *VIRI AMICISSIMI* Labor & Studium.

§. III.

Verum hoc quis non indignissime ferat, quod, ex hac re occasione utcunque capta, Helvetiam Helvetiæque Musas gravissima contumelia adficiat? Ita enim incipit: *Quæ olim nonnisi horridis montibus & vastissimis Sylvis nota fuit exteris Helvetia, ea nunc elegantes nobis*

offert Observationum selectissimarum fasciculos. Gratulamur Litteratæ Civitati &c. Hem! quid est? Sed audi porro. Finitur Articulus: *Hæ ergo, sunt Musarum Helvetiarum primitiæ, quæ spem faciunt fore, ut patrima Virgo has quoque oras à barbarie liberet, & semibarbaros olim homines in cultorum humanitatis censum adscribat. Nos vero & Helvetiis de hac felicitate, & Civitati Litteratæ de tanto incremento impense gratulamur.* O desides Musas Helvetias: O barbaras oras! O Homines semibarbaros! Itane nunc demum futurum, ut *patrima Virgo* vobis succurrat, à barbarie ad humanitatis cultum traducat, & Litteratæ demum Civitati adscribat? Scilicet

Vervecum in Patria crassoque sub aëre nati,

qui poteratis citius à *barbarie* liberari?

§. IV.

Sed illud singulare est, nec sine animadversione prætermittendum, quod nulla re alia *exteris* innotuit *HELVETIA* ante annum MDCCXXXV. quam *horridis montibus & vastissimis Sylvis.* Quid enim quæso, sibi vult istud *OLIM*? Si illud tempus significat, quod compluribus seculis nostrum istud antecessit, eleganter sane dictum est: *Quæ OLIM nonnisi horridis montibus & vastissimis Sylvis nota fuit exteris Helvetia, ea nunc &c.* Nam ab eo tempore, quod *OLIM* fuit, ad annum 1735. nullum fuit tempus. *Semibarbari OLIM,* i. e. ante complura Sæcula, *homines*, nunc demum post annum 1735. *in Cultorum humanitatis Censum* referuntur. Imo ne nunc quidem: Sed *spes* est, *fore*, ut *patrima Virgo* Musarum nostrarum, oblatis semel *primitiis*, misereatur.

Spectatum admissi risum teneatis amici!

§. V.

Quid si vero illud *OLIM* in oratione hominis nostri

ſtri omne tempus deſignet, quod ante *Cal. Januarias* anni 1735. eſt elapſum, nonne lepidum eſt, unum diem tantam rerum attuliſſe commutationem, ut cum *ANTE EUM DIEM non niſi horridis montibus & vaſtiſſimis Sylvis nota fuerit exteris Helvetia*, *NUNC* omni *barbarie* ſublata, *ſemibarbari* homines in *cultorum humanitatis* cenſum adſcribantur? Sed quid miraris? In media *barum orarum barbarie* non barbari tamen homines, ſed *ſemibarbari* olim fuere, quos in *cultorum humanitatis Cenſum adſcribere* eo facilius fuit, quod quantum ab *humanitate*, tantum à *Barbarie*, in *barbaris* licet *Oris* viventes, abfuerunt. Recte ſane. Hoc enim eſt ſapere.

§. VI.

Videlicet, *Helvetia olim nonniſi horridis Montibus & vaſtiſſimis Sylvis nota fuit exteris.*

Ibant obſcuri ſola ſub nocte per umbram, (*a.*)
Perque Domos Ditis vacuas, & inania regna.
Quale per incertam Lunam ſub luce maligna
Eſt iter in Sylvis: ubi Cœlum condidit umbra
Juppiter; & rebus nox abſtulit atra colorem.

Fuiſſe itaque oportet *Helvetiæ* aliam *OLIM* ſortem, quam *Saxoniæ*, *Thuringiæ*, *Franconiæ*. Illa *horridis montibus & vaſtiſſimis Sylvis* obſita: hæ elegantiſſime excultæ. Illa *OLIM* efferata *barbarie*: hæ *jam* tum *Muſarum* Domicilium, omnisque *humanitatis* ſede. Illa *ſemibarbaros* habens incolas; hæ *Civitatem Litteratam*. Neque verum eſt, quod *Cæſar*, *Tacitus* aliique de *omni Germania Veteri* ſcripſerunt, (*b.*) *informem terris*, *aſperam Cœlo*, *triſtem cultu aſpectuque fuiſſe*. Nulli in Germania montes, nullæ Sylvæ. Non erat ibi Hercynia, (*c.*) cujus *latitudo IX. dierum iter expedito pateret*,

(*a.*) Virg. L. VI. Aen. (*b.*) Tacit. Germ. C. 2.
(*c.*) Cæſ. B. G. L. VI. 24.

ret, & cujus neque initium, cum LX. dierum iter proces-seris, neque finem invenires. Non erat *Bacenis*, (*d.*) infinitæ magnitudinis, non *Cæsia*, non *Gabreta*, non *Marciana* Sylva. Quod si Montes & Sylvas in opprobrium Genti vertas, apparet *Germaniam* eidem opprobrio obnoxiam esse.

§. VII.

Quid enim de *Germania OLIM* dictum est laudabile, quod non eodem tempore de *Helvetia* dictum sit, dicive potuerit? Quid vicissim Suevi, Chatti, Chauci, Bructeri, Chamavi, Tubantes? Quid Usipii, Tenchteri, Sicambri? Quid Cherusci, Cimbri, Teutones? Quid Marcomanni, Harudes, Quadi, sexcentæque Nationes ejusmodi? Fuerunt ne *Helvetii* magis *Barbari* quam omnes illi? Non puto: neque quisquam adfirmabit. Sed profecto illud quoque apertum est, citius *Helvetios* ad *humanitatis cultum* traductos, quam *Germanos*, & eos potissimum *Germanos*, qui circa *Albim* sedes habent. Quis nescit, maturius Romanos in Gallias, (quarum *olim* pars Helvetia) penetrasse? à quibus omnis morum ingeniique cultura propemodum solis in hæc Occidentis Septentrionisque Climata transiit. Veteris aut Medii Ævi Historiæ prorsum ignarus sit oportet, cui heic aliquid dubitationis hæreat.

§. VIII.

Si vero propiora nobis tempora respicit illud *OLIM* nostrum, & de Artibus Studiisque Litterarum agendum est, quemadmodum sane istis potissimum heic locus est; ecquis est, qui nesciat, *Helvetiam* non nunc demum *Musarum suarum primitias* offerre? Notum est post Romanorum illud aureum Seculum, irrumpentibus ex *Germania* reliquoque Septentrione Barbaris, miserabilem plane Italiæ Galliæque fuisse Con-

(*d.*) Id. ib. Cap. 10.

Conditionem, non tamen miserabiliorem, quam ipsius Germaniæ Septentrionisque. Cum primum vero meliora adfulgere tempora cœpere, & Litteræ, ut ajunt, renasci, *HELVETIAM* quoque scimus luminis istius radiis continuo fuisse illustratam. Ecclesiæ Scholæque ubique sunt constitutæ. Nobiliores Urbes singulæ sua sibi constituerunt Lycea, ubi juventus bonis litteris & artibus erudiretur. Quid Academias, *Genevensem* atque *Lausannensem*, quid nostram istam *Basileensem* commemorem, quæ intra viginti annos, Volente Deo tertium complebit Seculum? Estne ullum Disciplinæ genus, in quo non totidem *HELVETIA* Viros claros producere possit, quot alia quæcunque ejusdem amplitudinis provincia?

§. IX.

Non est otium, Disciplinas nunc percurrere, & quot quantique in illis per *HELVETIAM* floruerint, demonstrare. Historiæ Litterariæ Auctores inspicere jubeo eum, qui ad *Eruditorum Acta* Symbolam conferre satagit. Sin vero mavult ille, quisquis sit, contumeliosi in *HELVETIAM* Articuli Auctor, à me enumerari Patriæ nostræ Lumina, non recusabo laborem pium justumque. Dabo tum ei Theologos, Dabo Jurisconsultos; Dabo Medicos, Philosophos; & in his quidem Mathematicos, quales vix alibi invenerit. Non deerunt Historici, neque Critici, neque Polyhistores notissimi. Verbo dicam: non erit quod Patriam ille suam Helvetiæ nostræ præferat.

Si ad vitulam spectet, nihil est quod pocula laudet.

§. X.

Neque enim ex Scriptoris istius ingenio de reliquis exterorum judicamus; neque credimus, quod antehac *nonnisi horridis Montibus & vastissimis Sylvis nota fuerit EXTERIS Helvetia*, quia ipse aut reliqua omnia *Helve-*

Helvetiæ bona ignoravit, aut invidia, quæ virtutis & gloriæ comes eſt, præpeditus, neſcire ſe ſimulavit. Quapropter deſinat *ſperare, ut à barbarie liberentur Helvetii & ſemibarbari olim homines in cultorum humanitatis cenſum adſcribantur.* Non ſperamus, quæ dudum ſunt facta. Deſinat *gratulari Helvetiis de hac felicitate, & Civitati Literatæ de tanto incremento.* Licet enim (*e.*) *ſera gratulatio reprehendi non ſoleat, præſertim ſi nulla negligentia eſt prætermiſſa* : Non eſt tamen prudentis hominis, de ea re gratulari, quæ ante plura Secula contigit. Alioquin reſponderi poſſet id, quod *Tiberius* Cæſar (*f.*) Ilienſium Legatis paullo ſerius conſolantibus : *Se quoque*, reſpondit, *vicem eorum dolere, quod egregium Civem Hectorem amiſiſſent.*

TANTUM.

(*e.*) Cic. Fam. L. II. Ep. 7. (*f.*) Suet. Tib. c. 52.

* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

GRA-

****

IV.

*GRATULATIO PANEGYRICA
Eminentisſimo S. R. Eccleſiæ Cardinali
DOMINICO ex COMITIBUS PASSIONEI,
Archi-Epiſc. Epheſino & D. N. Clementis P.P. XII.
Brevium Apoſtolicorum Secretario,
Ob acceptam pro meritis purpuram, gratitudinis & venerationis ergo oblata, Anno MDCCXXXVIII. menſe Octobri.

INterea, dum tanta teris ſubſellia laudum
ANTISTES, nunquamque manus laſſatur agendo
Pro Superum cauſa; gelidas tranſcurrit in Alpes
Fama

* Luſus iſtos poeticos, quibus convicia in Gentem Helveticam incautius jacta ſtrenue diluuntur, ob argumenti adſinitatem adjicere viſum eſt. Gratulatio iſthæc Panegyrica, cujus eam particulam, quæ Eminentiſſ. Cardinalis PASSIONEI res in Helvetica Legatione præclare geſtas poetica licentia exponit, ſumma fide excerptam ſiſtimus, prodiit in lucem Viennæ Auſtriæ ſplendiſſimis typis excuſa apud *Leopoldum Joannem Kalivoda*. Quis hujus Panegyrici autor ſit, equidem pro certo adſirmare non auſim: Sunt, qui ſibi eum ſuo indicio deprehendiſſe videntur; ſiquidem circa finem Panegyrici ipſe de ſe:

Fama recens, montesque ferit rumore fecundo,
Helveticis ubi *dura* rigent *præcordia* faxis.
Urbs jacet *hirfutis* circumdata *montibus*, alto

Inter-

\- - - - - - - - Quod *nuper* in auras
Emifi, Protector, *opus* defendis, & inter
Heroum, Regumque domos, aulamque ter almi
Pontificis laudare ftudes. - - - - - -

opus autem iftud diverfum non effe ab illo, quod nuper in dias luminis auras prodiit Viennæ fub titulo: *Genealogia diplomatica Auguftiffimæ Domus Habfpurgicæ*, autore R. P. *Marquardo Herrgoett*, Ordinis S. Bened. Capitul. conjiciunt ex verfibus, quibus operis illius argumentum plenius perfequitur idem anonymus autor:

\- - - - - - - - Sic fanguis avitus,
Habspurgicum genus, Proavis illuftribus ortus,
Turba per auguftas commendatiffima ceras
Notior evadet, lucemque videbit apricam
Te duce, Te fternente vias. - - - - - -

Cum vero doctiffimus operis Genealogico-Diplomatici autor ufque perneget, fibi carminis leges unquam fuiffe cognitas, alii P. *Franc. Carol. Pankelium*, Vienna oriundum, Præconem Caftrens, hujus Panegyrici autorem effe cenfent; cujus in condendo opere Genealogico-Diplomatico non infimas fuiffe partes ipfe R. P. Marquard Herrgoett teftis eft omni exceptione major: Qui autem in eundem conveniant, quæ in principio Panegyrici habentur, non intelligo, dum ita affatur purpuratum Præfulem:

Inter honorificas ftudia non define curas
Dum procul a Patria regales incolo fedes
Archiducum. - - - - - - - - -

Forte fociata opera Panegyricum hunc conditum aliquis non fine veri fpecie conjecerit; ita enim quod uni non conveniret, ad alterum apprime referri poffet. P. B.

Interfusa lacu; gens huic antiqua Lucernæ
Cognomen tribuit; Lampas quia fulserat olim
Hanc prope, navigiisque viam patefecit in undis,
Ceu Pharon Aegyptus similem construxit in usum.
Mitteris huc, gentesque rudes legata Potestas
Emendat, rigidos & adhuc de semine Pyrrhæ
Mollit, & ingenita lenit dulcedine sensus.
Quæ non seditio, quis non in plebe tumultus
Te pu nas inhibente cadat? quæ moribus excors
Barbaries, quam non faciei gratia frangat?
Aut quis non sitiens verborum mella tuorum
Deserat Aonidum colles, Rhodopenque canoram
Orphæa ludente lyra? Succurrite vati
Pegasidum facunda cohors, aut laudibus æquis
Vos ipsæ celebrate VIRUM, quem suspicit orbis
Romanæ columen fidei, pignusque salutis.
Non ego, si toto madeam Permessidis amne,
Plectraque Phæbeæ faveant mihi conscia vocis,
Percensere queam, quantis sudoribus acto
Vindice tam forti felix Ecclesia lætum
Erexit caput, & *reprobos grave fulmen in hostes*
Misit, Avernalique tulit de nocte triumphum.
Nec mora, nec requies: seu Sol remeabat Eous,
Hesperiis seu rursus aquis se mersit, adauges
Numinis obsequium, stabilitaque jura sacrorum
Asseris, & valido propugnas strenuus oestro.
Cælicolum jam tecta placet procul avia longo
Visere circuitu: jam casu sortis in arcto
Solaris miseros: morbis divina ministras
Pharmaca jam mystes, dispensatorque fidelis
Dulciter auxilium præstas, & sacra THEANDRI.
Jam partes Doctoris agis, cathedrasque sonoras
Concutis, & plebis suspensas imbuis aures
Eloquio spirante Deum, præcoque disertus
Tharsensem clangore Tubam penetrante propinas
Alter Evangelii zelator, Apostolus alter.

Vivit, & æternis implebit ſecula lucris.
Copia tot locuples operum, ſerieſque librorum
Cadmæis excuſa typis, quos Numine fœtus
Scripſiſti, PATER, & ſeros ditare nepotes
Viſus es, & doctas orbi diſpergere gazas.
Confidet ad Chartas Sapientia, confidet alma
Relligio, ſpoliumque vetant has eſſe maligni
Temporis, aut ſcabræ corrodi dente ſenectæ.
Et vero quis livor iners, obſcuraque nubes.
Obruat ingenium tanta ſpectabile luce,
Tot radiis inſigne caput? gens noctis opacæ,
Turpis Ariſtarchus, tumefacti felle Theones,
Et quisquis critico chartas eviſcerat ungue,
Caligant ad grande jubar, longeque recedunt,
Obruerer cumulo, ſi ſingula prodere verſu
Aggredior, calamusque ſtupet. Quodcunque volumen
Notitiæ majoris eget; qui delitet ævo
Autographi ſcribentis apex, hodiernaque laſſat
Pectora; de terris effoſſa metalla, vetuſtæ
Helladis Auſonidumque labor; tot geſta priorum
Hiſtorico memoranda ſtylo, tam mente recenſes
Eximia, propriisque tenes tam moribus annos,
India quam gemmas novit, quam thura Sabæus,
Balſama fuſcus Arabs. Fidei ſalvantis Atlantes,
Dalmata purpureus, Lybiæ jubar Auguſtinus,
Et reliqui, quorum veſtigia baſiat orbis,
Divino quicquid repleti Pneumate dudum
Ore loquebantur ſacro, tua cura laborat,
Noſcere, multifidisque volumina maxima formis
Elatebras ratione potens, ſudore perenni,
Non uno ſermone loquens; dum voce Pelasga,
Et Lingua, quam priſcus Heber cognomine ſignat,
Verba refers, alioſque ſonos ex fonte reducis.
Artibus imbutus ſolidis excurris in omnes
Palladio rumore Scholas, & conſcia famæ

Pulpita

Pulpita perpetuæ. Quisquis caput evehit astris
Ingenii splendore boni, magnasque per urbes
Monstrari digito meruit, tua nomina, PRAESUL,
Adnotat insigni consumatissima laude,
Et titulos tibi promit ovans ; nec rarius audis
Mecænas operum, protectoremque fideli
Officio petiere libri, gaudentque sub auras
Auspiciis prodire tuis : clamosus ubique
Plausus it in cathedras : sancta delubra Minervæ
A motu saliunt, & marmora surda videntur
Gratantem dare velle sonum. - - - -

* *

ANIMADVERSIO HEROICA

IN POETAM

Laudes Eminentiss. Cardinalis PASSIONEI per convicia Nationis Helveticæ adulanter concinnantem.

NOn bene Castalidum totum te fonte repletum
Scriptorem exclamem ? facilis cui vena vagatur
Præsulis in varias virtutum carmine Laudes:
In varias dixi, certeque graves ; quibus impar
Esset, ut includat, tractet justeque volumen,
Has tu tam grato, quam præclaro ordine promis
Omnes, ut quicunque videt tua carmina, mirans
Et nares ringens, humeros, ac ora retorquens
Ecce ait . insolitum ! sacro liquore Poetam
Perfusum, nimioque mero, qui vix sibi compos.
Et titubat similis sensu vel mente carenti,
Allegit hoc, confundit idem, nunc applicat istud.
Haud secus, ac Hernicâ animal proboscide longa

Ruminat in silva, vertit susque omnia deque.
Ecquid enim ? (maneat tua laus tibi Præsul amussi)
Ecquid enim licuit probrose scindere Gentis
Illius famam, foret ut famosior Iste ?
Illius Gentis, quæ longum extendit in ævum
Nativas laudes ; Animosi Mascula Telli,
Non Pyrrhæ soboles ; valide sua Tela revibrans
Quoslibet in Satyros, qui Scommata montibus æqua
Evomitant, Patriæque suum populantur honorem.
Verum quam magnas superaddis Præsulis ostro
Laudes ? dum dextram, quæ Pontificale ferebat
Digna pedum, ferula pueros moderante decoras,
Hosque rudes, rigidos : quanta hæc Legata Potestas ?
Quorum Sacratus Præsul didasculus audit
Emendans mores ? sed & hoc jactare cavillo
Te poteris nunquam : retinet Gens Helveta mores
Mordicus antiquos, Sancta, & pro lege tuetur.
Ipsemet hoc debet testari Præsul & Ipse
Expertus dicet, quod quem Romana Lucernam
Curia Legatum mittit, noscatur ab illa
Haud aliter, quam, qui sublimem Cæsaris adstat
Ante Thronum ; tanquam clarum colit illa Ministrum.
Isque Magistratus nescit tolerare Magistrum.
Ecloga sed quorsum sylvestrem tibia mentem
Abripit ecce tuam ? meritis dum ferre minerval
Præsulis, *hirsutos* statuis pro munere *montes*
Gens ubi *dura* riget : poteris sperare profecto
Ut quoque, quod temet gratioso lumine Præsul
Aspiciet, reddens memori de pectore grates,
Nictu detque tuo, quoque pectorale cucullo.
Non bene te toto Permissidis amne Poëtam
Perfusum dixi, fecit quem musa procacem
Musa novem supra, vulgo quæ Passio dicta,
Passio dictavit, complevit passio carmen,
Et nostram rostro perstrinxit passio gentem.

Non

Non ita ſcripſiſſes, ni mens tibi læva fuiſſet.
Sed & hoc monuiſſe juvabit,
Arctius Hiſtorici partes leplere neceſſe eſt,
Purgatoque magis ſtomacho Policeia vereri
Jura, nec abſurde veris innectere falſa.
Si cupis auguſto (quod te nunc mente moliri
Affirmant) operi fidem famamque teneri:
Addere plura piget; tibi nunc Reſponſa licebit
Helvetiam exoſis formare Theonibus, & ſic
Hiponactheas aliorſum inflectere ſannas.

Brevis Obſervatio

Aliquarum Quantitatum in animadverſione Heroica.

OB male ſcandentem Lector ne ſcandala ſumas,
Saxoſam ob patriam claudicat ille pede.
Helveticos naſu Satyrus traxiſſe putabat,
Scilicet hinc illis *Longa Proboſcis* erit.
Gratia longa quidem, *gratioſum* dicere culpat,
Verum *Blandiloquo* competet iſta brevis.
Conſiſtit pedibus quoque *Pectorale* poetis
Pectoribus momi ſiſtere poſſe, negant.
Magna quidem *Moles* Veterum monumenta referre,
Sed jam teſtificant *Edita* prima brevem:
Conturbare quidem potuit *grave fulmen* ab alto,
Helveticis longa eſt nil minus inde *Fides*.

* * * *
* * *
* *

EPI-

* * * * * * * * * * * * * *

EPISTOLA FRANCISCI CAROLI PANKELII,

ad

Versificatorem Helvet. Lucernens.

Qui (impudenter, dicam, an ignoranter) in

Gratulatione Panegyrica

Eminentiss. S. Rom. Eccl. Cardinali

DOMINICO PASSIONEI,

metrice elaborata,

& A. MDCCXXXVIII. Vienn. Austr. typis excusa.

Gentem suam per convitia traduci credidit, & versiculis aliquot infelici Minerva in lucem protrusis in Panegyristen Calumniator invehitur.

Litera, quæ peregrum sine me decurris ad axem,
Protege Scriptoris fida ministra caput.
Et simul adversum victrix pugnabis in hostem,
Qui jacit insana metrica tela manu.
Scilicet est aliquis, qui se putat esse Poëtam
Et laudem populi posse juvare sui.
Ille tamen (Phœbum testor, Pindumque, Deasque)
Castalio guttam vix bene fonte bibit.

Insu-

Insuper haut voluit, quo charta sit edita prœlo
Scribere, quippe typi nomine charta caret.
Quisquis es, aut ubicunque, tamen tibi fabor ad aures
Quosque cano, numeris inveniere meis.
Dic mihi, quis Livor, quæ te furiavit Erynnis,
Ut ructes stolida probra nefanda crisi?
Ut primum vidi mendis gravioribus auctos
Versiculos, ferulam, qui meruere pati;
Mirabar, quantas gravis Ignorantia vires
Præsumat. Quid non ebria Musa vomit?
Tune Lucernensem defendes, quæso, Senatum
Voce rudis, vacuus Palladis, artis inops?
Ille Magistratus Musa meliore meretur
Publica virtutes ferre per ora suas.
Primus hic ex Pagis (quæ gloria summa) tuetur
Romanam stabili Religione fidem.
Germana gravitate Viros, gentemque potentem
Helvetios semper Gloria digna vehat.
His Ego, quo clarent, non sum populatus honorem
Musaque Laudatrix, (sed sine dente) fuit.
Ausonia de Gente Pater, cui Roma dat ostrum
Fulciit heroo carmina nostra pede.
Ut tamen agnoscas, quam mens tibi desipit amens;
Explico, quos Versus ungue nocente premis.
Helveticis ubi DURA RIGENT PRAECORDIA
Saxis. (*a.*)
Offendunt Stomachum talia dicta tuum.

(*a.*) DURUS i. e. laboriosus. Laudem sonat, non vituperium. Ita Auth. Class. Virgilius ubi Apollinem ad Aeneæ Socios ita loquentem inducit:

Dardanidæ *duri*, quæ vos a stirpe Parentum
Prima tulit tellus, &c. Æneid. L. III.

Idem Æneid. L. IX. Romulus gentem suam bellis assuetam ita extollit:

Durum

Gramaticaster iners, verborum percipe sensum;
Nec prius in furias vindice voce ruas.
Errarunt veteres (si Dis placet) ergo Poetæ,
Qui simili laudes explicuere phrasi.
Urbs jacet HIRSUTIS circumdata MONTIBUS (*b.*) Heu me!
Hic iterum gelida fulmen ab Alpe tonat.
Aspexi multas includi montibus urbes,
Senserunt clausæ nil tamen inde mali.
Defendunt Scopuli (ceu munimenta) propinquo
Ut magis hinc populus liber ab hoste foret,
Finge sed HIRSUTOS poni pro crimine MONTES;
Naturæ fierent crimina, non hominum.
Mitteris huc, GENTESQUE RUDES Legata Potestas
EMENDAT. (*c.*) Rursum verba probrosa vocas.
Id quoque displicuit: Rigidos de Semine Pyrrhæ. (*d.*)
Væ mihi, quot jaculis obruor? unde salus?

Sed

Durum a stirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, sævoque gelu duramus, & undis.

Ovid. Trist. L. I. Eleg. IV. Ulyssem ita commendabat.

Illi corpus erat *durum*, patiensque laborum.

& alii authores passim, quos forsan nec de nomine novit obtrectator.

(*b.*) *Urbs jacet* &c. Mirum est, auctorem animadversionis ad descriptionem loci & regionis advertisse, cum hæc nihil ad incolas. Interim notet illud Ovid. de Ponto L. IV.

- - - - - - - - - - Tomitæ
Quos ego cum loca sim vestra perosus, amo.

& paulo infra.

In loca, non homines, verissima crimina dixi
Culpatis vestrum vos quoque sæpe solum.

(*c.*) (*d.*) *Mitteris huc* &c. & *rigidos* &c. Vide Ovid. Metam. L. I. Fabula mihi XI. ubi reparatio generis humani per Deucal. & Pyrrh.

Sed depono metum, nec me piget ista locutum.
 Pro clypeo veterum prendere scripta lubet.
Naso dat hunc nobis mortalibus omnibus ortum,
 Dum Pyrrha canit, & Deucalione satos.
Dumque sumus Pyrrhæ soboles, ceu saxea moles,
 Ecquis nos rigidos, quis neget esse rudes?
Quæ non Seditio, quis non in plebe tumultus,
 Quæ non barbaries, te prohibente, cadat? (e.)
Hæc iterum pungunt; sic ignorantia censet.
 At vox Helveticos attinet ista nihil.
Qui bonus Orator dici meret, ille profectò
 Per populos motum conciliare potest.
PRAESULIS eloquium laudavimus; ergo tumultus
 Illius ad Suada, Seditioque cadet.
Vindice quo felix Ecclesia fulmen in hostes
 Emisit reprobos, perdomuitque stygem. (f.)
Hostes, quos pugnans Ecclesia fulmine sternit,
 Crimina sunt, pestes ex Acheronte satæ.
Quid prohibet, cur non hominum delicta feriret
 Legatus Romæ, Cardineusque Pater?
Qui plectit scelus, & suadet meliora, Magistrum (g.)
 Jure vocas; cur vox displicet illa tamen?
Heu rudis Interpres, & Censor inique vetustis
 Quem patet ex chartis noscere pœne nihil?
Ore Theon blateras, miscesque quadrata rotundis,
 Et stipas denso scommata crassa globo.
An non grande nefas, illum mordere canino
 Dente VIRUM, purus, qui sine labe sapit?

 Si

(e.) *Quæ non Seditio.* &c. sunt generatim dicta per modum Amplificationis poeticæ, qua locutione imitor iisdem ferme verbis Claudianum de Conf. Theod. Mall. quem modum carmen exornandi omnes adhibent poetæ.

(f.) *Vindice quo* &c. Iterum amplificatio Poetis usitata.

(g.) *Magistrum.* Improbat hunc titulum Poetaster; sed si contextus in Poemate inspiciatur, vix commodiore appellatione in ea materia potuit nuncupari.

Si nescis, Ego sum, qui Vatem PRAESULIS egi.
  Quem tu credideras, panxerat ille nihil:
Si potes; accusa mea carmina, meque Poetam
  Argue, vulgavi qui metra cusa typis.
Historicum, cujus famam laniare laboras,
  Tam rigido posthac lædere parce stylo.
Illius Augustum, quod in omnem laudibus orbem
  Pervolat, in centum Secula vivet opus.
Passio non illi carmen dictavit, ut inquis,
  Nec mihi, sed Latii gloria Sacra PATRIS.
J nunc, & posthac insontia rodere perge
  Nomina; sed punctis confodiere novis.
Provoco, si quid habes, quod præbet versibus ansam,
  Sat mihi Pegaseas vena ministrat aquas.
Cedis, an obduris? age, quod libet, attamen ex hoc
  Insontes discas lædere nolle, Sape.

* *

POLYMETRA POETAE NATI, HELVETII,

ad

Epistolam Pankelii Poëtæ Laureati sua epigraphe (ne plus dicam) immoderata notam

RESPONSIO.

Ↄ C

Lenis est hic spiritus, asper alter. *Saphicum.*

CArnea turris, monstrum ingens, immane, Golias
Exprobrat agminibus vivi verique Tonantis,
Inque Diis Jurando suis, mordacia toti
Convitia impingit populo. Puer illa, virili,

Jessæus

Jeſſæus non ferre valens, ardore palæſtram
Ingreditur, formidandumque redarguit hoſtem.
Terribiles mox ille minas, ſannasque procaces
Vertit in ultorem patrii furibundus honoris.
Pankelius (Phœbi pariter, Martisque Sacerdos,)
Hei mihi! quam ſimili præfert ratione Goliam!
Ærea ceu caſſis, cingit ſua tempora Laurus:
Confiſus virtute ſua, prægnantibus æque
Ac Luci expoſitis, prælo obſtetricante, libellis,
(Erravi, librisque, voluminibusque volebam
Dicere, quos ipſus vel quæ jactatque probatque)
Et Mecænatis velut omnipotente favore,
His, ajo, confiſus, ut in Diis atque Deabus,
Foſſæbronnano Laudes dum pangeret oſtro
Helvetium nigro nomen carbone laceſſit.
Nempe biſſenos celebras labores
Herculis; nec ſat celebraſſe credis,
Helvetos quin nos aliquem laborum
Mome vocares.
Quem dedit mundo Calaroga, & aſtris,
Prædicatorum Patriarcham adumbrans,
Helvete Heus (inquis) Canis, huc adeſto:
Siſte, facem fer.
Immeritum quod ego patriæ dum vindico probrum,
Tota in me rabies Pankeliana ruit.
Non ſic in lapidem furunt Moloſſi,
Quem, cum durius eſſet allatratus,
Impegit fugientibus Viator.
En mordent lapidem, moventque caudas,
Ac ſi poſt adulentur allatrato.
Quam male blandiris, male dum maleſcripta retractas,
Et contradicis Pankeliane tibi!
Dardanidas vel Apollo ipſius cognomine *duros*
Inſignivit, ais: Vox ea laudis erat.
Duros nempe, quibus ſolemne famemque ſitimque
Solesque ardentes, imbrem, hyememque pati.
Si

Si tales ſumus ; eccur nos Legata poteſtas
Emendavit, ain, *molliit*, erudiit ?
Ni revocando ſimul nos emendaſſe negaris
Excuſas ipſum te puerile nimis.
Cantando ſe prodit avis : nihil Oedipe prodes,
Nec filis opus hic eſt, Ariadna, tuis.
Pankeliana ſatis contextu mens patet ipſo ;
Hanc tibi deteƈtam, ni fateare, dabo.
Mittitur, inquis, ad Helvetios duros meus Heros ;
Ecce *tumultus* ibi, *ſeditioque* furit :
Hanc partim *ſuada* compeſcit, *fulmine* partim :
Hinc Mecænati eſt gloria adauƈta meo.
Atque utinam per non ſat *amica ſilentia* primo
Non creviſſet, quod vis memorare, malum !
Denique nec quicquam *ſuadam* vel *fulmina* narras,
Nam neque ſuada fuga eſt, & neque fulmen erat.
Ex aliis meritis niſi purpura tinƈta fuiſſet,
Manſiſſet pro nunc candida Charta tibi.
Sed neque propterea, quod te protexit, & auxit,
Faƈtum purpureum, credo, fuiſſe Patrem.
Talia cui radiant virtutum inſignia, nunquam
Materies oſtri garrulus anſer erit.
Huc tua, parce, levis me juſtificatio traxit,
Nempe mihi Pirrhæ ſemine Cuna riget.
Incuſas non excuſas te maxime vatum,
Eludis noſtras, non fugis, arte notas.
Si genus humanum riget omne à ſemine Pirrhæ,
Sequana, Trajeƈtum, Roma, Melita riget.
Sic tuus ad plures etiamnum à ſemine Pirrhæ
Heros Romana miſſus ab arce fuit.
Nil canis ergo novi, nullum erigis inde trophæum :
Mordens & lingens par tibi ſemper eris.
At mihi non parcis, quamvis revocare videris
In totum Helveticum ſpicula miſſa genus.
Verſificatorem me vis altiſſimus eſſe,
Meque *Poëtaſtrum*, ſumme Poëta, facis.

Unde

Unde probas ? quod forte tuæ diſtillo phrenæſi
  Helleborum, quin & ſacchara pulchra darem ?
Non bene conditis tua ſunt labra digna labruſcis :
  Sit, quæ te cædat, compta Minerva minus.
Poſſem & ego *Paradyſiacis* turgeſcere verbis,
Et perſonatis incedere ſubſtantivis.
Poſſem, ſi vellem, veluti Pandione natus,
Floricomas garrire phraſes, garrire figuras,
Caſtalias numerare Deas, numerare Poëtas,
Lectura tritos multa juvenilibus annis,
Quotquot tunc noti queiscunque fuere Poëtis,
Cum Naſone Canes Actæonis atque Dianæ
Undivagumque gregem, aut ranas, muresque cum
  Homero
Nomine quemque ſuo proprio vocitare, vel alis
Pegaſeis altum volitare, vel Hipocrene
Ebrius, ut tuus Æmulus, inſanire ; ſed audin :
  Nec meas laudes crepitante bucca
  Nec libros notos libet explicare ;
  Nundinæ non ſunt : nec es aptus emptor ;
    Complico merces.
  Tu tuas merces, uti Circulator,
  Pangis, & pandis ſtrepitu ſonoro,
  Lauream uſurpans, vel eadem abutens
    In tua damna.
  Erro : ter felix, ter es & beatus,
  Quod tuos Laurus redimit capillos,
  Nam ſine hac, faſtu, cerebrum, tumeſcens,
    Tempora rumpet.
Calumniator impudens à te vocor,
Cui nil ſit artis, vox rudis, muſa ebria ;
Vacuum Minerva pectus ; ignorantia
Enormis. An quid ſimile tenuis mea meret
Avena ? num non æſtui juſto modum,
Legesque fixi, temperavi injuriis ?
Tu vero felle plus Theonino calens,

Con-

Contemptor hominis, plusquam homo videri volens,
Scommata, Viro te indigna, quisquis es, vomis,
Quæ fastus ac ambitio dictavit tibi.
  Ne crede, solum te bibisse Castalim:
Solam Viennam, ne puta, aut Sylvam nigram
Cingi sereno Climate, & Citharides
Et Apollo nostris montibus dudum favent:
Hic amne, vel torrente, prout hostis jubet,
Vel amicus, Unda sana Libethræ fluit,
Non musa, quod calumniaris, ebria.
Sobrius ego sum; sobrius num sis quoque,
Tu siste vadem. Pro probrum arrogantiæ!
Scientia inflat! melior indoctus fores.
Soli tibi sapis: desipere proin omnibus
Mereris: inter artis & mentis bona
Immensa, licet Historicus Augustus tibi
Videaris, utque talis in mundi plagas
Hominum per ora mente jam voles tua.

Historico Germana fides tibi deficit: uno
  Hoc super articulo te monuisse velim.
Unde Lucernensem me credulus esse sciebas?
  Aptus pro certis certa det Historicus.
Amplificare fides & nota licentia Vatum
  Te docet; Historicos non decet ista fides.
Historicam non sola fidem sibi prosa reposcit
  In factis Veri Jus quoque metra ligat.
Mittere responsum optassem meliore Camæna;
  Sed, prout intensæ sunt, sonuere fides.
Vena mihi fluit, ut dixi, torrente, vel amne,
  Naso, Maroque tibi, vel Juvenalis ero.
Hostis habes hostem, gaudebis amicus amico;
  Ni dedigneris, selige, tendo manum.

APPEN-

APPENDIX
De Meritis Eminentiss. Præsulis in Rem Literariam, Quoad Legatione apud Helvetios est functus.

PRodiit ante bina ferme lustra Commentarius, qui Acta Legationis Ecclesiastica complectitur, de quo, cum rarius inter nos obvius sit, brevem hic exhibere notitiam, non erit neque ab hoc loco alienum, nec fortassis ingratum. Titulus Libri ita habet: *ACTA APOSTOLICAE LEGATIONIS HELVETICAE ab Anno MDCCXXIII. ad Annum MDCCXXIX.* Tugii, ex officina Fr. Leontii Schell, in 4. Continentur hoc Libro 1.) Sermo de Abbatis Coadjutoris electione rite instituenda, ad Monachos Campidonenses in Suevia habitus IV. Non. Sept. An. 1723. 2.) Sermo de Abbatis electione, ad Monachos Monasterii Murensis in Helvetia. V. Kal. Octobris ejusd. anni. 3.) Sermo de Sacerdotum dignitate, (*a.*) habitus in Ecclesia S. Leodegarii Lucernæ IX. Kal. April An. 1724. Apostolica Sede vacante. 4.) Sermo de Abbatis electione, ad Monachos Monasterii Dissertinensis in Rhoetia, habitus in Capitulo ante Scrutinium IV. Kal. Jun. An. 1724. 5.) Sermo, de eodem argumento ad Monachos Fabarienses prope Sarunetas, habitus IV. Idib. Jul. 1725. (*b.*) 6.) Sermo in Benedictione Antistitæ Parthenonis Seedorfen-

(*a.*) Agitur quotannis Decreto Senatus solemnis memoria de Urbe ab igne liberata tempore Julii II. P. M. & sermo habetur de more, tam Latine, quam Germanice, *de Dignitate Sacerdotali.*

(*b.*) Abbates, ad quos Sermones præcedentes habiti sunt, S. R. I. Principum dignitate decorantur.

dorfenfis Ordinis S. Benedicti in Rep. Vranienfi, habitus X. Kal. Jul. 1727. & Germanice (c.) a Diacono redditus. 7.) Sermo in Confecratione Epifcopi Abderitani, Coadjutoris Bafileenfis. (d.) 8.) Epiftola Encyclica ad Epifcopos Conftantienfem, Bafileenfem, Laufanenfem, Curienfem & Sedunenfem de opufculo, cui titulus: *MONITA AD CONTINENDOS SACERDOTUM MORES.* 9.) Epiftola ad eosdem de Cardinalis Vincentii Mariæ Urfini electione in fummum Pontificem. 10.) Epiftola ad eosdem, de Inftructionibus S. Caroli Borromæi ad Confeffarios. 11.) Epiftola ad Vifitatores Congregationis Helveto-Benedictinæ de nova Editione Pfalterii (e.) Venerab. Viri Jofephi Mariæ Cardinalis Thomafii. 12.) Decretum, ne Sacerdotes pulvere (ut vocant) cyprio afperfi accedant ad altare. 13.) Decretum, de nova Regulæ S. P. Auguftini, & antiquarum Conftitutionum Hofpitalis Monafterii S. Nicolai & S. Bernardi in monte Jovis, Editione curanda. 14.) *J. GEORGII ab ECKHART*, V. C. Epiftola de fua Converfione ad Catholicam Fidem, cum Auctoris Refponfo, & cum Præfatione V. Doctiffimi *Jufti Fontanini* nunc Archiepifc. Ancyrani. 15.) *ROB. BELLARMINI*, Admonitio ad Epifcopum Theanenfem Nepotem fuum, de iis, quæ neceffaria funt Epifcopo. Præfigitur Monitum, quo novæ

(c.) Hic enim mos aliquando fuit *Joannis Bonhomii*, Cel. Vercellenfis Epifc. quum tempore S. Car. Borr. hac Apoftolica Legatione fungeretur.

(d.) Non habitus ifte Sermo; fed propter argumenti magnitudinem utilitatemque minime prætermitti debuit; agit enim de Dignitatis Epifc. fundamento & partibus.

(e.) Prodiit hoc Pfalterium Typis Monafterii Einfidlenfis prævia hac eadem Epiftola. Accedit in fine: Indiculus Inftitutionum Theologicarum veterum Patrum confectus ab eodem Vener. Thomafio.

væ hujus Editionis occasio declaratur. 16.) Admonitio atque Hortatio Legatorum Sedis Apostolicæ ad Patres in Concilio Tridentino, lecta in prima Sessione.

Toto hoc tempore, quo Legatione apud Helvetios functus est, quanto studio in augendo Thesauro suo Librario fuerit occupatus, quem locupletissimum mirifica accessione ex Monasteriorum scriniis auxit, & cui intulit, quicquid Helvetiæ Bibliothecæ pretiosum habuerunt; quo amore in Literas, etiam Orientis flagraverit; qua benevolentia omnes, qui optimarum artium studiis operam navant, fuerit complexus, dici vix potest. Ipsi tamen muneris publici officiis, quibus se totum tradebat, præpedito splendidum opus, quod ad illustrandas Antiquitates Romanas paraverat, ad umbilicum perducere non licuit: Et cum spes vix ulla supersit, purpuratum nunc Præsulem ad hanc curam resumendam descendere unquam aut posse aut velle, non ingratum erit ex Ipsius ad V. Cl. *J. JAC. BREITINGERUM* datis Literis operis hujus rationem & amplitudinem ὡς ἐν τύπῳ cognoscere.

à Lucerne de 24. Octobre 1725.

Monsieur.

J' ay reçu avec bien du plaisir la Lettre, que Vous avez pris la peine de m'ecrire, & la Dissertation, qui y étoit jointe, sur vos Antiquités. Rien ne prouve mieux vôtre gout & votre erudition, que toutes les remarques savantes, avec lesquelles vous avez éclaircis, ce qu'il y avoit de plus obscur. Mais pour vous parler franchement, j'aurois souhaité, que Vous vous fussiés plus étendu sur l'article de vôtre *Via militaris*; car quand on écrit sur ces matiéres, il faut avoir moins en vüe ceux qui sont présens, que ceux qui sont eloignés: D'ailleurs quoique nous aions l'

ouvrage de *Bergerius* ſur les anciens chemins, il n'eſt pas, autant qu'il me ſemble, complet, comme il le devroit être. A l' occaſion que j'avois entrepris, il y a bien des années, une Diſſertation ſur un de plus grands ouvrages fait par Veſpaſien à ſon retour de la guerre de Judée, *in Via Flaminia* auprés *Forum Sempronii*, ma Patrie au Duché d'Urbin, j'avois traitté cette matiere fort au long, & j'avois fait la deſſus de nouvelles decouvertes. J'en ay-même encore avec moy les planches qui ſont en grand nombre & bien deſſinées. D. Bernard de Montfaucon vouloit inſerer cette Diſſertation dans ſes Antiquités ; mais dans le tems que j'y allois mettre la derniere main, on me chargea de ce Miniſtere ; & vous jugés bien qu'un fardeau de cette nature ne laiſſe gueres de tems aux études.

J'auray ſoin à la premiere occaſion d'envoyer Vos feüilles à Mr. le Preſident Bouhier, il eſt certainement un des ſavans hommes, que l'on ait aujourdhui en France ; & l'année derniere, j'allay expres à Dijon, pour le connoitre : Il ſera ravi de voir les nouvelles Productions de vôtre eſprit.

Je Vous offre ſincerement, Monſieur, tout ce qui peut dependre de moy pour vôtre ſervice : n'y aiant rien que j'embraſſe avec plus d'empreſſement que de faire connoitre aux perſonnes de vôtre mérite, l'eſtime, que j'en fais. Je ſuis, Monſieur, tres parfaitement à Vous

D. Archeveque d'Epheſe.

II. DO-

II.

DOMINICUS, ARCHIEPISCOPUS EPHESINUS,

Clarissimo Viro,

J. JAC. BREITINGERO,

S. P. D.

VAletudo incommoda, qua diu adfectus sum, & negotia, quibus quotidie distineor, serius quam par est me tuis amantissimis Literis pridie Kal. Octobris ad me datis respondere coëgerunt: Non ideo tamen, quas ad Amplissimum Præsidem BOUHERIUM, modo Parisiis reducem scripsisti tuta occasione curare intermisi. Valde mihi probatæ fuerunt eruditissimæ observationes tuæ, quibus Persii vitam explanare adgressus es, quod si eodem labore insudare velles in reliquos Suetonii Grammaticos & Rhetores insigni beneficio literariam Remp. tibi profecto devincires. Ceterum optandum esset, ut recte ais, mihi tantum otii suppetere, quantum opus esset ad absolvendum commentarium meum de admirando opere Vespasiani Augusti in Via Flaminia ad quintum a Foro Sempronii lapidem Romam versus; sed hujusmodi studia secessum poscunt, quem publica intercipiunt munera, & quæ nihil reliqui temporis mihi faciunt; ne interim dicam, quod opus tam immensi laboris absque Bibliothecæ meæ præsidio & exquisitissima librorum copia perfici minime possit. * * * In amicitiæ tesseram Specimen primi Capitis operis ante plures annos à me exaratum hic habebis, quo facilius magnitudinem argumenti dignoscas. Quod laudas humanitatem & do-

ctrinam meam, id totum singulari tuo amori, non veritati tribuo; hoc tamen tibi certo statuas velim, me tibi, omnibusque, qui optimarum artium studiis & bonis literis dant operam, officia mea deferre undequaque paratissimum esse, nihilque antiquius erit, (cum nec quidquam ex omnibus rebus humanis præstantius aut præclarius esse possit) quam de doctis Viris semper bene mereri. Vale & me ama. Dabam Altorfii Uriorum pridie nonas Decembris. MDCCXXVII.

III.

De admirando Opere VESPASIANI AUGUSTI In Via Flaminia ad quintum à Foro Sempronii Lapidem Romam versus.

DISSERTATIO.

Caput Primum.

NEminem ignorare arbitramur, quin ceteris magnificentissimis Romanorum operibus, sive quæ Literis consignata sunt, sive quæ hodie spectantur, longe maxime excellant Viarum Munitiones, quarum opportunitate sicuti Legum Sanctionibus mores emendando Justitiæ consulebatur, ita quoque exercituum comodo, omniumque gentium Societati, & commercio provisum est: ne quid enim publicæ felicitati deesset, harum omnium rerum curam Populus Romanus amplissimis cogitationibus complectebatur. Veterum testimonia de viis publicis & militaribus utramque paginam implent, & vel puerorum ore Dionysii Halicarnassæi, Strabonis & Plinii dicta

dicta celebrantur: Ex omnibus recentioribus palma danda est Nicolao Bergerio, qui notitia penitioris antiquitatis, & doctissimis lucubrationibus eas illustravit: Verum enim vero harum munitionum, & substructionum egregias aliquas, quæ nunc restant, publicas auctoritates ipsum non edidisse (quod fortasse pro facultate non licuit) dolendum est, quippe scriptorum Loca, Historiarum fides, operum denique Magnitudo in majorem nos raperet admirationem, & plenius docerent, si quæ mente concipiuntur, oculis usurparentur. Hoc planum fecit Christianus Henninius, qui Tomo X. Antiquitatum Romanarum Bergerium Latio donavit, & cum non haberet, unde viarum exempla peteret, verosimilem formam, ut ipse contendit, militaris viæ descripsit. Quantum vero lucis & utilitatis nobis oriatur ex certa monumentorum descriptione, omnibus satis superque constare puto, & quantumvis pretii esse dignoscuntur, quas summis laboribus ære incisas, & ad mensuram exactas Labaccus, Serlius, Scamottius, Joannes Buteo, & Fabrettus, veterum operum imagines nobis exhibuere, quarum ope, ne quid dicamus de Artibus pristino nitori restitutis a summis divini ingenii viris Bramante, & Rafaello Sanctio Popularibus nostris, Romanis antiquitatibus lux ingens affulsit: qua de caussa recte monitum a Vitruvio Augustum existimamus, qui in præfatione libri tertii huic sententiæ adistipulatur his verbis: *Disciplinarum scientiæ sub oculorum consideratione subjectæ non incertis judiciis probantur, sed doctis, & scientibus auctoritas egregia, & stabilis additur.* His ego rationibus adductus, etsi multa in adversariis scripserim, quæ ob demandata publica munera itinerum peragendorum occasio obtulit, ex his tamen proferre aliqua libet, quæ de Antiquitatibus Forosempronienſibus incredibilis in Patriam amor, ut commentaremur, effecit, & civibus,

posterisque meis gratum, acceptumque fore existimavi, si de his rebus ea ipsis ederem, quæ ad quintum Lapidem Romam versus molitus est Vespasianus Augustus. Cum enim Viam Flaminiam (licuit enim aliquando per otium) sæpe perlustrarem, hoc plane stupendum, & solum Romana virtute dignum opus, immane quantum contigit admirari, & subit cogitatio rationem ipsius animo conceptam metari, atque describere, ut pro amplitudine rei gestæ memoriæ traderetur & quoquo gentium exciperetur. Descriptionis onere a Fratre meo solertia, qua pollet libentissime suscepto, Architectonices norma disposita a Francisco Bernardo necessitudine mihi conjuncto, et si quis alius in hoc disciplinæ genere exercitatissimo, has tabulas exhibemus, quibus tota operis ratio constat, & ut ad amussim omnia explorarentur, miliari mensura, qua Raphael Fabrettus usus est in aquæductuum dimensionibus omnium optima, & ad certam regulam ab ipso revocata usi sumus, unde ne quid diligentiæ prætermisisse videremur non satis visum est Latera excisi montis, muros, viam, pontes, & inscriptiones mensuræ subiicere, sed vel ipsa specus fundamenta operarum multitudine effodi jussimus, ut inde altitudinem certo assequeremur, tractu enim temporis factum est, ut aquarum irruentium impetu exaggeratis impendentium scopulorum ruinis speluncæ hiatus late, ut antea non pateret, & deformis nunc etiam appareat: Antequam vero ad operis argumentum accedamus, sermo nobis erit de Via Flaminia, quam Romani hos inter Apenninorum anfractus exciso monte aperuerunt, & pontibus continuarunt, cujus regionis descriptionem, quæ inter callem, & Forum-sempronii extenditur accurate in chartam topographicam conjecimus, ut quibus non datum est oculis intueri, saltem loci naturam, quam diligentissime explicatam haberent, & ne quis credat nos operam ludere

ludere, dum in harum antiquitatum ſtudium incumbimus, id quod de earum pretio a veteribus, & recentioribus miro quodam conſenſu traditum eſt, plane evincet, quamplurima, eaque præclariſſima in his regionibus contineri, ſumma obſervatione digniſſima. Iter Honorii Imperatoris, Belliſarii & Narſetis Bella Gotthica, cædes Totilæ, clades Aſdrubalis, quem *per Metauri tortuoſi amnis ſinus, flexusque cum errore obeuntem Livius Lib. XXVII.* nobis ita ſiſtit, ut in harum rerum notitiam vel nolentes cogat, ipſo amne Lyrici Vatis carminibus celebrato: Quid debeas o Roma Neronibus Teſtis Metaurum Flumen & Asdrubal Devictus.

Forum denique Sempronii inſculptis Lapidibus, nummorum copia, ceteris ornamentis decoratur, in quo quotidie, ut monet Ludovicus Gotofredus in Archontologia Coſmica pag. 493. (ne noſtris verbis adſit invidia) *magis magisque plura veneranda antiquitatis ſe offerunt veſtigia, & monumenta* quæ aliquando nobis ſpectantibus eruta ſunt. Quæ cum omnia ſuis locis diſpoſuerimus in opere quod meditamur de antiquitatibus Foroſempronienſibus, tunc demum eas per otium perſequemur, quum præfationis loco præpoſuerimus, quæ ad Monumentum Veſpaſiani pro dignitate Imperii extractum maxime pertinent.

In Literis Altorfii Uriorum prid. Id. Februarii MDCCXXVIII. ad eundem Cl. BREITINGERUM datis de conſilio, quod animo conceperat, hæc adjicit. Non minimam profecto apud Eruditos omnes gratiam me initurum ſperabam, ſi per negotia licuiſſet ultimam manum imponere Diſſertationi de opere Veſpaſiani Auguſti, neque enim mens erat tantum immorari in ſola antiquitatum explanatione, ſed occaſione Cenſuræ, quam Veſpaſianus gerebat, tum cum immane illud opus moliretur, illorum

temporum rationem a multis vexatam ad acerrimam veritatis normam restituere, quæ res non parum lucis Judaico bello attulisset: Interim dum otium nanciscar, commentaria cubabunt in spongia.

****

Nova Literaria.

1. Prodiit Tiguri apud C. Orell & Soc. Johann Jacob Breitingers Critische Dichtkunst, worinnen die poetische Mahlerey in Absicht auf die Erfindung im Grunde untersucht, und mit Beyspielen aus den berühmtesten Alten und Neuern erläutert wird. Mit einer Vorrede eingeführet von Joh. Jacob Bodemer, Zürich 1740. 8. plag. 36. Commentarius iste in XIII. Capita aut Sectiones dividitur: Argumenta singulorum sunt: 1. Vergleichung der Mahlerkunst und der Dichtkunst. 2. Erklärung der poetischen Mahleren. 3 Von der Nachahmung der Natur. 4 Von der Wahl der Materie. 5. Von dem Neuen. 6. Von dem Wunderbaren und dem Wahrscheinlichen. 7. Von der Esopischen Fabel. 8. Von der Verwandlung des Wirklichen ins Mögliche. 9. Von der Kunst gemeinen Dingen das Ansehen der Neuheit beyzulegen. 10 Ob die Schrifft: August im Lager, ein Gedicht sey? 11. Von etlichen absonderlichen Mitteln die schlechte Materie aufzustüzen. 12. Von der Wahl der Umstände und ihrer Verbindung. 13. Von den Characteren, Reden und Gemüthes-Gedanken oder Sprüchen. Nuntiant Editores, prœlum jam exercere alteram Partem hujus *Poeseos criticæ*, qua cultus Poeseos externus, & quæcunque ad hujus artis mechanismum pertinent, dilucide explicentur.

2. Apud eosdem prostat: Johann Jacob Bodmers Critische Abhandlung von dem Wunderbaren in der Poesie, und dessen Verbindung mit dem Wahrscheinlichen, in einer Vertheidigung des Gedichtes Johann Miltons von dem ver-

verlohrnen Paradiese: der beygefüget ist Joseph Addisons Abhandlung von den Schönheiten in demselben Gedichte. Zürich 1740. 8. plag. 30. Opusculum hoc apologeticum oppositum est Criticis præcipue Gallis *Voltaire*, *Magny*, & qui eos sequuntur, atque diluit omnes cavillationes, quibus divinum Miltonis carmen licentius castigatum est. Distribuitur in VII. Sectiones, quarum argumenta sunt: 1. Von der Wahl der Materie aus der unsichtbaren Welt. 2. Von der Vorstellung der Engel in sichtbarer Gestalt. 3. Von der Wahrscheinlichkeit des Characters und der Handlungen der Engel. 4. Von dem Zusammenhang in Miltons Vorstellungen der Engel 5. Von dem Character und den Handlungen des Todes, der Sünde, der Geister in dem Chaos. 6. Von der Wahrscheinlichkeit des Characters und der Handlungen der ersten Menschen. 7. Von Miltons Anbringung der Mythologischen Geschichte und Theologie in seinen Gedichten. De Nobiliss. Angli *Addisson* introductione apologetica ad Miltoni carmen nil adtinet dicere, cum ex Gallica versione jam satis nota sit.

3. Observationes philologico-criticæ in Libros N. T. quibus vocibus & phrasibus difficilioribus lux affunditur, atque earundem sensus ex antiquitate S. & profana declaratur: auctore J. GEORGIO ALTMANNO, V. D. M. Ling. Græc. & Ethices in Academia Bernensi Professore, Tomus II. Capitis XII. Evang. Matthæi & sequentium usque ad XXII. explicationem continens. Bernæ. apud Wagner & Müller, Illustr. Reip. Typogr. a. 1740. pl. 30. in 8. Præclarum est hoc Viri Clarissimi institutum, quo auditoribus suis, omnibusque Philologiæ studiosis ad brevem, planam & perspicuam N. Fæderis intelligentiam præire, ipsisque facem præferre jam triennio abhinc orsus est: Id nunc mascule persequitur; & in altero hoc Tomo accuratiorem se cum in seligendis, tum in illustrandis

locis sacris præstitisse, posthabitis tamen omnibus ad ostentationem magis, quam ad usum comparatis digressionibus, adfirmare non dubitaverim. Fidem etiam facit, se omni conatu id agere, ut III. Tomus Historiam Passionis D.N. complexus, brevi compareat spatio, utque II.- hujus Tomi longior sub proelo mora aliquantum compensetur.

4. Cum anni hujus auspiciis hebdomadatim ex officina Heideggeri & Soc. prodit Scriptum, quod ad formandos & castigandos corruptos Seculi mores pertinet. Auctores, qui ingenio & acumine morum istis censoribus, quos Germania superioribus annis magno numero protulit, inferiores non sunt, sub personato *Brachmannorum* autGymnosophistarum nomine pulcre latent.

5. Apud eundem Heideggerum & Soc. prostat: Probe von Theologisch-Philologischen Anmerkungen über verschiedene Stellen der Heil. Schrift und andere wichtige Materien, ausgefertiget von Johann Rudolff Fischer, V. D. M. gewesenen Schweitzer-Colonie-Prediger in Brandenburg, zu Lunau, Braunsberg und Cagar. Zürich. 1739. 8. VI. Stücke. plag. 37. Contenta singularum partium hæc sunt. I. a.) Explanatio Jesaj. III : 8. b.) Jesaj. LIII: 8. c.) De Origine τῆς פריעה in circumcisione. e.) Vera ratio, ob quam octava dies circumcisioni dedicata fuerit. II. De Origine circumcisionis adversus *Spencerum*. b.) Expositio Jesaj. XXIV: 5. c.) Jesaj. LXV: 20. d.) Evang Joh. VIII: 56. III. Meditatio, qua ratione Ministri Ecclesiarum ingenuam confessionem ab animis sensu peccatorum tactis & sub onere laborantibus elicere, sibique fidem conciliare possint. b.) Ratio sufficiens, ob quam dulcissimus Soter e Synagogis Judæorum publica Lege nunquam fuerit exclusus. c.) Idea de vero Scopo Epistolæ S. Pauli ad Galatas. d.) Fontes operis operati inter Protestantes.

e.) Ap-

e.) Appendix de causa frequentiorum tempestatum anni 1731. præcipue in Helvetia. IV. Vindiciæ Paulinæ assertionis de futura universali conversione Judæorum Rom. XI. adversus V. Cl. *Christ. Wolfium*, Hamburg. V. Ad locum Ezech XXXVI. disquisitio, an hoc vaticinium jam sit impletum? b.) Ad Ezech. XXXVI. 26. an in h. l. ὑστερολογία sit admittenda? c.) Ad illius Capitis vers. 22-37. De emphasi primæ personæ. d.) Notio Evangelica vocum משפטים, חקים, תורות Ezech. XXXVI: 27. e.) Conversio S. Pauli Typus futuræ conversionis Judæorum universalis, ad 1. Tim. I: 16. VI. Explicatio loci Deut. XXIX: 18. al. 19. b.) De emphasi copulæ ו Jesaj. XI: 1. c.) Ad Thren. I: 12. d.) R. Isaac Abarbanelis Idea de Sacrificio propitiatorio V. T. d.) Prælectio literaria ad Inscriptionem Wettingensem: DEAE ISIDI &c. e.) De conditione S. Ministerii Candidatorum apud Tigurinos & Bernenses. f.) V. Cl. *Nicol. Brunneri*, V. D. M. nova assertio Paulinæ conversionis typicæ.

6. Prodiit nuper insulsus, & tantum non famosus Libellus, sub titulo: Schweytzerland durch die Hächel gezogen: Vorgestellt in einer Küehmödi, 2c. von einem Mönch von Weingarten, *P. Eugenius Speth.* Habet Autor ille tribus Anticyris caput insanabile, quem non puduit levissima scurrilitate personæ Ecclesiasticæ dignitatem contaminare: Famam sibi quærens Juvenalis consilium secutus est:

Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum,
Sis vis esse aliquid! - - - - - -

Prudenter de inepto hoc scripto monuit Vir quidam Romanæ Ecclesiæ addictus in Epistola ad amicum: Ungeachtet VIII. der ansehnlichsten Benedictiner Gottshäuser des Hohen Schutzes L. Ständen der Eydgnoß-

gnoßschaft in vollem Flor geniessen, so muß man dennoch von Zeit zu Zeit verschiedene unverdiente Anfeindungen und Probstücke des gegen die Schweitzer hegenden Grollens erfahren, ja so gar Aufwieglungs-fähige Schriften zu Handen bringen, dergleichen von geschwornen offentlichen Wiedersächeren man kaum, will geschweigen von Geistlichen Benedictinischen Ordens-Verwandten besahret hätte: Wie dann in unvergessenem Angedenken eine solche Schrift unter dem Titul: Schweytzerland durch die Hächel gezogen; hervor gekommen, und mit ausgeschämter Stirn ein solcher sich als Autorn offentlich anzupreisen nicht gescheuet hat, da doch in selbiger weder dem Ansehen der Hoheit des Aller-Christlichsten Königs, noch der Schweitzerischen Nation im geringsten nicht geschonet wird: Und diese Schmäch-Schrift mit solchen ausgesonnenen Spitzbübischen Ausdrückungen auftritt, und Vorstellungen dick angefüllet ist, als wenn dergleichen Hrn. Geistliche, der Welt abgestorbene, und alleine nach dem Himmel strebende Einsiedlers in ihrer müssigen Einsamkeit nichts zu thun hätten, als solchen vermeint-geistreichen, in der That aber muthwilligen, Verbitterungs-vollen und ihnen selbst nachtheiligen Concepten nachzusinnen, die solchen Religiosen kümmerlich beyfallen würden, wenn sie in einer ihrem Beruff und Stand angemässenen Zucht gehalten, und ihnen nicht so viel Fueter aufgeschüttet wurde. Daß inmittelst ein so Hochberühmter Orden sothane unanständige Ausgelassenheiten seinen Gliederen zuläßt, wodurch selbiger nichts anders als Hohn und Verachtung auf sich ziehet, dieses ist, was man nicht begreiffen kan.

7. Heideggerus & Soc, parant editionem Commentarii Historici & Analytici de Vita, rebus gestis & scriptis S. Apostoli Pauli, auctore V. Clariss. atque Doctissimo BEATO WERTHMYLLERO, sub titulo: Paulinische Gottesgelahrtheit, in genauer Zergliederung und grundlicher Erklärung der Reden und Schriften

ten des Apostels Pauli; vornemlich der Episteln an die Gemeine zu Thessalonich, und die Gemeinen in Galatia: begleitet mit einer in Chronologischer Ordnung verfaßten vollständigen Beschreibung des Lebens und der Verrichtungen desselbigen durch Beat Werthmyller, Diacon bey St. Peter, Zürich. 4to. Subſcriptionis leges, quibus Typographi eximium hoc opus publicæ luci dare inſtituunt, ſunt ſequentes: 1. Fidem facit Typographus, opus iſtud CX. ad minimum foliis conſtans in charta ſolida literisque recentibus excuſum Σ. Θ. ad nundinas Paſchales anni MDCCXLI. proditurum. II. Huic operi ſtatuit pretium æquiſſimum 2. flor. & 30. Cruc. Ita qui nomina dant, ſolvent 1. flor. 15. Cr. alterum tantum cum opus integrum accipient. III. Subſcribendi poteſtatem Typographus prorogat uſque ad exitum Maji menſis. Animus quidem erat Doctiſſ. Autoris conſilium pluribus explicare, ſed iniquis ſpatiis excluſus in alium locum & tempus id rejicere cogor: Illos interim, qui rationem operis penitus cognoſcere ſtudent, ad Programma germanice editum & Specimen luculentum, quod illi ſubjungitur, ablego.

* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

ELEN-

****

ELENCHUS DISSERTATIONUM

Tomi IV.

Sectio I.

Sectio II.

III. S.

V. *EJUSD.*

Sectio IV.

* * * *
* * *



IN-

Monitum.

Indices Tomi tertii & quarti *Temp. Helvet.* dum exeunt, Consilium meum non aliud fuisse scias velim L. B. quam ut Typographus opera levaretur, tibi autem non nisi res Consignatione dignæ traderentur; quod institutum si tibi probetur, utere mecum Syllabo hocce; sin minus, non multum operæ periit: Ipse tibi pro lubitu & commodo tuo materias collige atque dispone! Plura addere supersedeo, quandoquidem ipse Typographi Character, quid, quantumve in evolvendis rebus consignatis tibi polliceri possis, docet.

* * * * * * * * * * * * *

INDEX

Locorum S. Scripturæ, in quibus Romano numero expressa peculiarem explicationem indigitant,

Consignatio

Vocum Hebræarum & Græcarum quarum usus & Emphasis duobus his Tomis indicantur.

Voces Græcæ.

Conſignatio Rerum & Auctorum.

A.

de Grea-

M.

N.

Necker

R.

S.

Corrigenda.

pag. 580. lin. 17. lege odisse pro odi.
pag. 586. lin. 5. lege quodque pro quique.
pag. 616. lin. 2. lege quæsitam pro quæsi tam.

* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

